



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>









$$4^{\alpha} = 3041$$

~~$$45-0-4$$~~

3. 3. 4.



FCC 10.003

Prohib<sup>o</sup>

34

~~456-6~~

~~12/1 - 9/10/1967~~



D. JO. LAUR. FLEISCHERI,  
CONSIL. REG. AUL. ET PROF. JURIS

IN ACAD. FRIDERICIANA,

INSTITUTIONES  
JURIS NATURÆ

ET

GENTIUM,

20.023 IN QUIBUS  
REGULÆ JUSTI, DECORI ATQUE

HONESTI

POTISSIMUM SECUNDUM

PRINCIPIA THOMASTANA

DISTINCTE

EXPLANANTUR ET APPLICANTUR.

---

L I P S I Æ,

---

Apud JO. SAMUELEM HEINSIUM

ANNO MDCCXLI.





REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO  
ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DOMINO

MARQUARDO

LUDOVICO

LIBERO BARONI DE

PRINZEN,

HÆREDITARIO DOMINO IN

KARO, SEDORF, NIELBOCK,

WESLIN, KADERSDORF &c.

POTENTISSIMI AC SERENISSIMI

REGIS BORUSSIÆ SUPREMO AULÆ

MARESCHALLO, MINISTRO STATUS IN-

TIMO, BORUSSICI ORDINIS AQUILÆ

NIGRÆ EQUITI, REGII PALATHI PRÆFECTO,

SACRORUM TRIBUNALIUM PRÆSIDI, REI

BENEFICIARIÆ DIRECTORI, SUPREMO RE-

GIARUM ACADEMIARUM CURATORI,

MAGDEBURGENSIS BASILICÆ CA-

NONICO, RELIQUA,

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

FAUSTA QUÆVIS ATQUE

FELICIA!





REVERENDISSIME ILLU-  
STRISSIME ATQUE EXCEL-  
LENTISSIME DOMINE,  
DOMINE GRATIOSISSIME.

**F**acile veniam abs  
TE impetratu-  
rum me esse con-  
fido, quod hæ Institutio-  
nes Juris Naturæ & Gen-  
tium TUUM Illustrissi-  
mum Nomen præferant,  
cum quotidie ab omnibus  
fere eruditis scripta innu-  
) 3 mera

mera TIBI soleant offerri.  
Imo eo magis adducor,  
ut credam, TE hoc tenue  
scriptum, pro consuetu-  
dine TUA benigno vultu  
esse accepturum, cum id  
unice constitutum ha-  
beam, ut TIBI, Mæce-  
nas summe, rationes vi-  
vendi agendique meas  
prohem, atque hinc fœ-  
tum hunc ingenii, TIBI  
REGIÆ FRIDERI-  
CIANÆ Curatori Su-  
premo, optimo jure de-  
beri publice profitear.  
Accedit huc, quod tan-  
tam apud omnes Illustris-  
simi Nominis TUI Glo-  
riam

riam adeptus sis, ut unus-  
quisque inter primas fe-  
licitatis suæ partes nume-  
ret, clientem TUUM esse,  
ac TUO frui posse patro-  
cinio. Quid enim, obse-  
cro, admirabilius est ea  
prudencia, qua TU in ad-  
ministracione tot mune-  
rum, quibus admotus es,  
versaris, & quam REGI  
nostro invictissimo quo-  
tidie sic declarare soles,  
ut TUO hoc spiritu im-  
perii sui nervos foveri  
omnes fateantur? Quis  
non obstupescat in TE  
considerans gravitatis  
istam cum humanitate

) ( 4 socie-

focietatem, qua omnibus  
opem TUAM imploran-  
tibus facilem, justum ac  
promptum TE præbes  
Quem non cum admira-  
tione delectet inter tot  
virtutum TUARUM  
specimina illud præclaris-  
simum, quod TU fere so-  
lus sis liberalium discipli-  
narum solatium ac firma-  
mentum, ita, ut exempla  
virorum illustrium, qui  
Musas respexerunt, non  
tantum intuearis atque  
imiteris, sed & superare  
feliciter coneris? Quis  
non confiteri cogitur, TE  
maxime præter cæteros  
in

in Regia aula ita sese ge-  
rere, ut literatos omni gra-  
tia & studio complectaris,  
eorum causam suscipias  
atque ad tam Augusti  
REGIS ac PRINCI-  
PIS notitiam TUA viam  
pandas commendatione.  
Patere igitur, VIR IL-  
LUSTRISSIME at-  
que EXCELLEN-  
TISSIME, ut publi-  
cum hoc erga TE animi  
mei devotissimi testimo-  
nium extet, & ut vota,  
quæ pro TUA perpetua  
salute in pectore foveo,  
palam exponam. DEUS  
T. O. M. TE REGI,  
) 5 RE-

**REGNO** omnibusque  
bonis, una cum univ<sup>er</sup>sa  
**ILLUSTRISSIMA**  
domo **TUA** diu incolu-  
mem fervet, ac longæ-  
vam **TIBI TUISQUE**  
vitam cum perpetua felici-  
tate conjunctam largia-  
tur, ut **TE** in primis au-  
ctore, divinæ humanæque  
res in toto **REGNO**  
quam diutissime possint  
florere. Scribebam Halæ,  
die 1. Sept. 1721.

**ILLUSTRISSIMÆ EXCEL-  
LENTIÆ TUÆ**

religiosissimus ciliens

**JOH. LAURENTIUS FLEISCHER.**

**PRÆ-**



## PRÆFATIO.

**P**ER multa secula utilissimam Juris Naturæ & Gentium disciplinam aut plane occultam, aut tamen pulvere Scholastico commaculatam latuisse omnibus obvium esse videtur. Rationem hujus neglectus ac contemptus unusquisque facile deprehendet, miserrimum religionis statum, in quo vixerunt ethnici, & superstitiosa tempora, in quibus etiam inter Christianos majores nostri vitam transegerunt, consideraturus. Omnes itaque,

itaque quibus & vera religio, & sua propria totiusque humani generis salus ac felicitas cordi est, immortalī laude dignum prædicabunt magnum Grotium, primum saluberrimæ hujus disciplinæ restauratorem. Quem enim fugit, quod hic primus extiterit, qui in aureo suo libro de Jure Belli & Pacis ex tenebris illam produxit, atque ejus tam utilitatem, quam necessitatem solidissimis rationibus evicit? Non potuit vero aliter evenire, quam ut plura aut plane intacta reliquerit, aut non solidis satis ex fundamentis demonstraverit. Non enim tantum glaciem fregit, sed & eorum temporum conditio nondum omnes pertulit veritates. Quid igitur mirum, quod Hobbesius ac Pufen-



## PRÆFATIO.

---

Pufendorffius plura adhuc addenda, confutanda atque solidioribus ex rationibus demonstranda invenerint? Veruntamen magnos hos viros omnia in hac disciplina corrupta non ita emendasse, ut non *aliis* locus relictus fuisset, multa accuratius tradendi ingeniique vires exercendi, nemo sane poterit dubitare. Quis enim ignorat Grotium ac Pufendorffium allegationibus testimoniorumque pluralitate laborare: quibus vero magis intellectus distrahitur, quam ut de veritate doctrinarum vincatur. Quinimo cognitionem naturæ humanæ, tanquam præcipuum totius hujus disciplinæ fundamentum, aut plane neglexerunt,

## PRÆFATIO.

---

runt, aut certe in aliorum quæsi-  
runt opinionibus, magis solliciti,  
quid alii de natura humana scripse-  
rint, quam ut suam aliorumque ho-  
minum naturam inspexerint.

Quis itaque non agnoscat mentē  
grata, & hilari animo accipiat, quod  
Illustris DN. THOMAS IUS  
ultimas huic quoque Disciplinæ  
manus voluerit admovere? Tan-  
tum enim in ea se præstitit, ut  
unusquisque invidia atque odio  
haud occæcatus, fateri omnino de-  
beat, palmam ab Illo aliis fuisse præ-  
reptam. Secutus quidem fuit ve-  
stigia & Grotii & Pufendorffii suis  
in Institutionibus Jurisprudentiæ  
divinæ, sed simul probe perspexit  
principium socialitatis ab his Duum-  
viris

## PRÆFATIO.

---

viris stabilitum non paucis laborare difficultatibus, imo ita esse comparatum, ut non sine maximis ambiguitatibus plures Juris Naturæ conclusiones exinde deduci queant. Huic itaque ut mederetur malo, primum principio illi socialitatis adjunxit leges divinas universales, quas quidem Grotius, Kulpisius, Henniges alii que tetigerunt, sed Ille nostras solus optime proposuit, usumque earum ac applicationem ingeniosissime ostendit, nec non mascule contra alios defendit. Verum non perstitit hic magni hujus viri industria, veritatem, non vanam gloriam sectati: quare in posterioribus suis cogitationibus merito pro melioribus habendis, insuffi-

## PRÆFATIO.

---

insufficientiam harum quoque legum universalium Ipse primus & agnovit, & alios edocuit. Conscriptit hinc fundamenta sua Juris Naturæ & Gentium, in quibus accuratius investigata natura humana solidius demonstravit, faciliori naturæque humanæ convenientiori methodo omnia totius humani generis officia ad veram hujus vitæ felicitatem spectantia ex regulis justitiae, decori, ac honesti rectius posse deduci. Quam immortales laudes scripto hoc VIR Illustris mereatur, aliorum recte sentientium ac veritatem haud fucatam amplectentium relinquo judicio: obtrectatoribus autem commendo illud Senecæ, qui de Vita beata Cap. 1. & 2.

Ni-

## PRÆFATIO.

Nihil magis (inquit) præstan-<sup>ce</sup>  
dum est, quam ne pecorum<sup>ce</sup>  
ritu sequamur antecedentium<sup>ce</sup>  
gregem pergentes, non qua<sup>ce</sup>  
eundum est, sed qua itur. At<sup>ce</sup>  
qui nulla res nos majoribus<sup>ce</sup>  
malis implicat, quam quod ad<sup>ce</sup>  
rumorem componimur, opti<sup>ce</sup>  
ma rati ea, quæ magno assen<sup>ce</sup>  
su recepta sunt, quorumque<sup>ce</sup>  
exempla nobis multa sunt; nec<sup>ce</sup>  
ad rationem, sed ad similitu<sup>ce</sup>  
dinem vivimus. Inde ista<sup>ce</sup>  
tanta coacervatio aliorum su<sup>ce</sup>  
pra alios ruentium &c.<sup>ce</sup>  
Optandum vero esset, ut VIR  
Illustris ulteriorem operam o-  
peri huic impendere potuisset,  
quod tamen vix sperandum:  
cum alii, quibus obrutus est,  
labores id haud permittant.  
Ecquis Ei etiam hoc vitio ver-  
tat,

## PRÆFATIO.

rat, si aliorum studio aliquid in hac Disciplina committat? Quare id saltem voveo, ut DEVS T. O. M. hunc Nostrum Ill. DN. THOMASIVM in Academia splendorem atque incrementum semper ad senam usque senectutem saluum ac incolumem seruet: gloriatur enim nostra ætas merito de tanto viro & posteritas denique sentiet, quid in eo & habuerit & perdidit.

Explicui ego hæctenus in nostra Academia VIRI hujus Ill. Institut. Jurisprud. divinæ, itemque Fundamenta Juris Nat. & Gent. non sine fructu, uti spero, meorum auditorum. Observavi tamen simul, quod eorum animus sæpius distractus fuerit, sicubi Institutionum Jurisprud.

## PRÆFATIO.

---

risprud. divinæ emendationem in Fundamentis quærere atque conclusiones eruere debuerunt: quapropter operæ pretium fore existimavi, ut ipse calamum arriperem & applicationem regularum justî, decori ac honesti, justa serie atque connectione, monstrarem. Utrum scopum hunc obtinuerim, tibi, Benevole Lector, dijudicandum permitto. Quodsi vero alicubi aut opinione deceptus, aut ingeni viribus destitutus Tibi videar, veniam tua Humanitas pollicetur. Vale.

1812

SVM-

# SUMMA CONTEN- TORUM.

## LIBER PRIMUS.

Caput I. de Natura Hominis  
moralis pag. 1. sqq.

2. de Animi Passionibus 29

3. de variis hominum mo-  
ribus 60

4. de Normis Actionum  
humanarum, Consilio  
& Imperio 87

5. de Jure Natur. & Genti-  
um 122

6. de Principio Juris Nat.  
166

7. de Normæ Applicatione  
201

LI.



# LIBER SECUNDUS.

- Cap. I. de Officiis hominum  
erga Deum p. 218
2. de Officiis erga se ipsum 249
  3. de custodienda æquali-  
tate 249
  4. de vitanda superbia 283
  5. de non lædendis aliis 289
  6. de promiscuis Officiis  
Humanitatis 303
  7. de Officiis paciscentium 321
  8. de Officiis hominis circa  
Sermonem 340
  9. de Officiis jurantium 358
  10. de Officiis circa res &  
earum dominium 371
- L. L. 3      II. de

11. de Officiis circa rerum  
pretia 400

12. de Interpretatione 430

## LIBER TERTIUS.

Cap. I. de Statu naturali p. 441

2. de Officiis hominum  
intuitu Societatis conju-  
galis 445

3. de Officiis Parentum &  
liberorum 481

4. de Officiis Dominorum  
& servorum 498


5. de Officiis viventium in  
Civitate, imprimis vero  
de origine Rerumpubl.

6. de Majestate atque of-  
ficio imperantium &  
paren- 507

- parentium 513
7. de Potestate legislatoria 526
8. de Officio Principis circa  
pœnas 539
9. de Officio Principis cir-  
ca constituendos Magi-  
stratus & alios officiales 550
10. de Officio Principis in-  
tuitu existimationis at-  
que honorum Civium 555
11. de Officio Principis cir-  
ca bona tam publica,  
quam privata 564
12. de Officio Principis cir-  
ca Collegia 570
13. de Officio Principis cir-  
ca

- ca Religionem & Studia 573
14. de Officio Principis circa foedera & Sponsiones 585
15. de Officiis erga legatos 592
16. de Officiis circa bellum & Pacem 601
17. de formis Rerumpubl. 617
18. de Modis acquirendi & amittendi imperii, item de mutationibus atque interitu civitatum 633
19. de Officiis erga motuos 637





# LIB. I.

## CAP. I.

De

### Natura hominis morali.

§. I.

**C**orrupta hominum natura indiget *Quali nor-*  
 norma, quæ ita debet esse compara- *ma. natura*  
 ta, ut conveniens sit naturæ huma- *boninum*  
 næ eique applicari possit. Ante omnia *indigeat?*  
 igitur de natura hominis ipsa debemus ef-  
 se solliciti.

§. 2. Ad cujus cognitionem non me- *Via ad co-*  
 lius perveniri posse videtur, quam si cum *gnitionem*  
 primis inquiramus, quid totum sit univer- *natura be-*  
 sum, quidque homo cum aliis creaturis *mane.*  
 commune habeat, ac in quo iterum diffe-  
 rat ab illis.

§. 3. Totus hic mundus consistit ex *Mundus*  
 rebus tam *visibilibus*, quam *invisibilibus.* *constat ex*  
 Deus enim ante creationem rerum visibi- *visibilibus*  
 lium omnia replevit; postea vero ex in- *ac invisibi-*  
 visibili sua virtute & visibilia & invisibilia *libus.*

A

pro-

produxit a). Absonum enim esse omnibus liquet, si Deus omnipotens misero comparetur artifici humano, a quo tamen haud potest secerni, nisi supponamus, Deum omnium Creaturarum principia extra se ex praeeistente materia desumpsisse: artificem v. g. fabrum ferro opus habere ad opus suum producendum; solum Deum autem sibi esse sufficientem b).

a) Genes. I. Hebr. II. v. 3. I. Cor. 8. v. 6. Coloss. I. v. 16. Rom. II. v. 36. ubi diserte dicitur: ex Deo, esse omnia; Lutherus vero secutus Metaphysicam Scholasticorum, illud vertit von. Vid. Ill. Thomaf. in cautel. circa Praecogn. Jurisprud. cap. ult. §. 46. lit. 1.

b) Fluddius in Philosophia Mosaica. Dissentit Eöscherscher im alten und neuen p. 253.

*Invisibilia quomodo operentur?* §. 4. *Invisibiles* res operationes suas in rebus visibilibus sensibiliter peragunt; operationes vero ipsæ nihil aliud sunt, quam signa invisibilium. Et quidem omnes ita sunt comparatæ, ut se invicem adjuvent; quamvis unicuique earum talis etiam insita vis sit, ut una alteram possit destruere. Qui de hac re dubitat, inspiciat saltem quæso, regna mineralium, vegetabilium atque animalium.

*Per visibile & invisibile quid intelligatur?* §. 5. Visibile vocamus, quod tangi potest: invisibile, quod tangi non potest. Illud appellamus materiam; hoc naturam. Vid. Robert. Boyle in disquisitione de ipsa natura, & Joh. Christoph. Sturmius de naturæ agentis idolo.

§. 6.

§. 6. Hominem ad visibilia pertinere, *Homo vese-*  
nemo dubitat. Quia vero plurima ei cum *rendus est*  
aliis visibilibus sunt communia, præcipue *ad visibilia*  
inquirendum nobis erit, quid sit homo.

§. 7. Si me ipsum intueor, deprehen- *Homo quid*  
do, me non solum ex corpore consistere, *fit, & ex*  
sed sentio simul me cogitare & velle. Quas *quos parti-*  
operationes a corpore provenire, natura *bis constat?*  
ipsum corporis haud admittit; aliud ita-  
que in corpore esse has actiones produ-  
cens, facile animadverto. Quod si ve ani-  
mam, si ve spiritum nominare velis, mihi  
perinde erit. Ex eo igitur concludo,  
hominem ex duabus compositum esse  
partibus, anima nimirum ac corpore.

Quidam tres hominis partes statuunt; quod dog-  
ma Platoni adscribitur: inter recentiores id am-  
plectuntur Theophrast. Paracelsus, Jo. Baptist.  
Melmont. Petr. Poiret & olim quoque Illustr.  
Thomafius im Versuch vom Wesen des Geistes.

§. 8. Constat autem Corpus machi- *Corporis*  
nam esse, ex fibris atque musculis materi- *humani de-*  
alibus innumerabilibus ita fabricatam, ut *structio-*  
compages machinæ hujus materialis ubi-  
que turgescat suis humoribus, nunc sub-  
tilioribus, nunc minus subtilibus, in arte-  
riis, venis, nervis, vasculis lymphaticis  
aliisque receptaculis, horum beneficio vi-  
vat ac varia ratione se moveat.

§. 9. Gaudent quidem alia animalia eti- *Corporis*  
am Corpore cum humano in multis con- *humani*  
veni- *differentia*

*à corpore  
ceterorum  
animalium.*

veniente, in plurimis tamen diverso. Ita homo vultu præditus est a facie bestiarum prorsus diverso, manuum pedumque structuram plane hæbet singularem, loquitur, ridet, suspiria ducit, & quæ sunt alia, quæ fusius pertractavit Cumberland de Legibus naturæ c. 2. § 23. sqq. item Illustr: Thomasius in fundament: Jur. Nat. & Gent. c. 1. §. 10.

*Corpus ac  
materia &  
differunt  
& conveni-  
unt inter  
se.*

§. 10. Dum vero corpus machinam materialè voco, hæud obscurum est, differentiam dari inter corpus atque inter materiam, quamvis non possit negari, hæc maxime inter sese quoque convenire.

*Materia  
quid sit?*

§. 11. Nam materiæ titulus est generalis, nihilque aliud denotans, quam ens solidum & passivum, ex quo omnia corpora, quæ sunt, formantur.

*Materia  
cur dicatur  
passiva.*

§. 12. Dico passivum: nam in soliditate materiæ non possumus non aliquam nobis concipere divisibilitatem; & hæc ipsa divisibilitas passionem involvit, ita, ut nonnulli in divisibilitate sola essentiam materiæ quæsierint, atque huic, alii divisibilitatem in infinitum, adscripserint. Et quamvis aliqui motum, quo materia gaudet, objicere soleant, facile tamen quivis intelligit, materiam quidem aptitudine præditam esse, ut moveri possit, motum vero ad ejus essentiam plane non perti-



pertinere, sed potius ens esse essentialiter passivum.

V. d. Illustr. Thomasius in Cautel circa præcognita Jurisprud. C. 11. §. 28. seqq.

§. 13. Corpus autem nihil aliud est, *Corpus in genere quid sit?* quam aliquod compositum ex diversis speciebus materiæ & formatis membris, specificisque quibusdam præditum proprietatibus, quibus ab omnibus aliis sese distingvit

Aliter sentit Hobbesius, cui corpus quodlibet ens reale denotat in Leviathan. C. 34. p. 183 316. & 344.

§. 14. Hinc concludimus, quod Corpus *Forma est activa.* ipsum consistat ex materia atque potentiis invisibilibus, sive spiritu: quod materia, secundum hæcenus dicta, sit ens mere passivum; forma vero ac figura corporis sint actiones. Non possunt igitur non hæc potentiæ invisibiles corpori formam dare, illud extendere, movere atque id omne, quod actio in Corpore vocari potest, producere.

§. 15. Cumque videamus, singulas corporum species diversam non solum habere figuram, sed etiam secundum figurarum diversitatem diversas producere operationes, ac diversa edere signa aliam atque aliam Corporum naturam indicantia, luce meridiano clarius est, ipsas has potentias invisibiles in unoquoque Corpore

pore agentes. hujus diversæ figuræ causam esse & species inter se discernere.

*Quomodo  
spiritus a-  
gat in cor-  
pore.*

§. 16. Ergo spiritus format corpora secundum naturam, qua a Deo præditus est: ita, ut spiritus v. g. vulpis non possit formare leonem, aliasque, quam in vulpe videmus, producere actiones; Ita spiritus hominis non potest aliud quid, quam hominem formare. Inde est, quod forma externa sit signum internarum operationum.

*Forma dat  
speciem &  
spiritum.*

§. 17. Quodcumque igitur unam eandemque habet formam, unius ejusdemque est speciei, & uno eodemque gaudet spiritu: quod autem diversam habet formam, diversæ etiam est speciei, diversi-que spiritus.

*Cognito a-  
no indivi-  
duo cogno-  
scimus ce-  
tera.*

§. 18. Itaque qui naturam unius individui investigavit, tuto a natura hujus ad naturam omnium aliorum individuorum ejusdem speciei argumentari potest.

*Cur homi-  
nes specie  
inter se dif-  
ferant?*

§. 19. Quia vero diversa a reliquis animalibus forma in homine sese offert, extra dubium est positum, quod spiritus hominis diversis quoque præ reliquis creaturis polleat virtutibus: & cum in unoquoque homine faciem plane diversam aliaque signa ac actiones deprehendas, ab aliorum actionibus diversas, affirmare necessario debemus, homines specie inter se dif-

differre i. e. tot esse hominum species, quod sint homines ipsi.

§. 20. Spiritum hominis, quem animam *Essentiam Spiritus ratio non cognoscit.* vocamus, quod attinet, cœcutit atque ineptit ratio in ejus indole ac essentia indaganda. Melius itaque facturos nos esse arbitramur, si ab omnibus quæstionibus circa animam nostram versantibus, abstrahamus, tanquam ad Philosophiam plane non spectantibus.

§. 21. Unde frustra sumus solliciti: an *Frustraneæ de Anima humana quæstiones.* anima sit immortalis? a) in quo conjunctio ejus cum Corpore consistat? utrum a Patre in liberos traducatur, an vero immediate a Deo infundatur? an sit spiritualis, an vero materialis? Nam omnes hæc quæstiones recte referuntur ad incognita rationi sibi relictæ.

b) Vid. Lith de immortalitate animæ, Clericus in Pnevmatologia, Thomas Millelius de naturali animæ immortalitate, qui simul uberius percussit varias objectiones Dodwellianas, Jaquclot in libello, quem inscripsit: la conformite de la foy avec la raison, Basnage in historia doctorum literaria Ao. 1705. p. 251.

§. 22. Hæc anima omnes, quas in nobis *Præcipuæ Animæ operationes ejusque sedes.* sentimus, producit operationes, inter quas tanquam præcipuæ elucescunt potentia intelligendi atque volendi. Et licet tanquam spiritus in nulla corporis parte collocari possit, sed pertotum corpus

pus operetur, admitti tamen potest eorum sententia, qui sedem animæ, quatenus cogitat, in cerebro, & quatenus vult, desiderat &c: in corde constituunt.

*Potentia  
intelligendi  
& volendi  
quomodi  
differant?*

§. 23. Cave autem, ne putes, duas has animæ operationes diversas esse partes, vel substantias. Nam licet sint distincta, non aliter tamen quam potentia cantandi atque eundi in homine differre videntur.

Dissentiunt quidem de Potentiis animæ Doctores. Ita singularem sententiam fovet Petrus Poiret in Tractat. de Erudit. solida, superficialia & falsa. Ita Petr. Petit in Tr. de Sibyllis facultatem vaticinandi animæ attribuit. Vid. Buddei Diff. an naturali homines polleant ratiocinandi facultate?

*Intellectus  
definitio.  
Cogitatio-  
num sedes  
nequit de-  
terminari.*

§. 24. Intellectus est facultas animæ humanæ cogitandi in cerebro; in quam vero iterum parte cerebri cogitationes sedem suam habeant, nostrum non est determinare.

Vid. Malpighius de cerebro.

*Cogitatio  
quid sit?*

§. 25. Cogitatio est actus mentis, quo homo de schematibus corporum externorum, ope sensuum cerebro impressorum, per modum discursus aliquid vel quærit, vel affirmat, vel negat.

§. 26. Quomodo vero schematum impressio fiat, rursus maximus dissentientium se offert cumulus: alii ideas innatas sibi imaginantur, quas alii plane rejiciunt.

Fuse de hac controversia agit Lockius in Tr. de intellectu hum. Lib. 1. per tot.

*Cogitatio  
quomodo  
fiat?*

§. 28.

§. 27. Nostra sententia est : dari ideas *Idea innatas, si sub his nihil aliud intelligimus, te quatenus quam facultatem cogitandi. Quatenus dentur, vel non dentur* vero per eas certa schemata cerebro jam impressa hominique connata, quamvis nullo externo objecto sensus moveantur, intelliguntur, eatenus illas nego.

§. 28. Eorum accedo sententiæ, qui in- *Idea quo- lectum sibi concipiunt ut tabulam ra- modo for- sam, omnibus literis vacuum ; ita, ut, si ob- mentur ?* jectum aliquod sensibus nostris se offerat, v.g. lux ad nostros oculos adpulsa, moveat nervos motusque hic ad intimum cerebrum pertingat : hoc commoto nobis idea e. g. arboris, canis &c. obversatur, s. anima nostra videt arborem &c. Et ita cum reliquis sensibus se res habet.

§. 29. Impressione hoc modo in cerebro *Ratiocina- facta anima nostra facultate prædita est has tio in quo consistat ?* ideas discernendi, componendi, reflectendi, interdum etiam duas inter se comparandi, imo & aliquando tertiam assumendi ; quod ratiocinationem vocamus.

§. 30. Sensus ipsi sunt vel externi, vel *Sensuum in internos & externos di- interni. Illi, uti communi ore sumun- visio & de- tur, nihil aliud sunt, quam partes Corpo- finitio.* ris nobis cum reliquis bestiis communes. Hic autem intelligimus per sensus externos, si cerebrum hominis immediate per externa objecta tangitur ; quod alias vo-  
A § catur

*Quid per sensum communem intelligatur?* catur sensus communis. Interni vero sunt, si quis idearum impressarum recordatur atque conscius est ejus, quod cogitat.

*Cognitio- nis per sensum & per intellectum differentia.* §. 31. Per sensum comprehendimus individua; per intellectum vero universalia. Illis nobis innotescit existentia; hoc autem essentia rerum. Illis cognoscimus effectus; hoc vero causam rerum. Illis sentimus materiam; hoc vero spiritum.

*Intellectus activus ac passivus quid denotet nonnullis?* §. 32. Intellectus a nonnullis dividitur in activum & passivum. Ille dicitur, quando facultas cogitandi ex se ipsa motum in res externas producit; hic autem, quando motum recipit a rebus externis.

*Intellectus in genere consistit in cogitatione.* §. 33. Consistit autem intellectus, sive activus sit, sive passivus, in cogitatione; & quidem sumitur vel late, vel stricte. Late omnes operationes intellectus, imo & sensationes comprehendit; stricte vero

*An & quomodo sensationes ad intellectum pertineant?* denotat ratiocinationem ipsam quatenus a sensatione distinguitur.

*De variis differentiis inter intellectum activum atque passivum.* Vid. III. Thomasius in der Einleitung zur Vernunftlehre c. 3. Dissentire videtur Titius in arte cogitandi c. 2. §. 18. Verum illis magis est in verbis.

§. 34. Differentia inter intellectum activum & passivum præcipue in eo consistit, quod ille se moveat ab objecto aliquo externo haud excitatus; hic vero excitetur ab omnibus objectis externis, ita, ut non possit non ea considerare.

§. 35. Ille semper utitur objectis, s. præsentibus, s. futuris; hic autem se extendit quoque ad res spirituales, imo plane non existentes. Ille producit in homine cognitionem vivam; hic vero mortuam saltem atque cerebrinam: sic aliter colorem cognoscit, qui oculis gaudet, aliter cæcus ille magister accurate de coloribus disputans. Ille considerat res singulares; hic contemplatur etiam res universales, Cavendum tamen, ne invicem separentur, sed potius sedulo jungantur.

§. 36. Merito igitur exploditur intellectus purus Cartesianorum, quem ab imaginatione disjungunt. ita, ut hæc agat opere <sup>Intellectus purus fingitur saltem a Cartesianis.</sup> atque instrumentis corporis, ille vero sine iisdem. Non nego quidem dari ingenia <sup>Abstractiones proveniunt ab imaginatione.</sup> abstractionibus apta nata, non possunt autem non ideæ etiam abstractissimæ per signa corporis innotescere, atque sic opus sunt imaginationis.

§. 37. Versantur hominis cogitationes <sup>Objectum</sup> vel circa præsentia, vel futura, vel præterita. Proinde memoria, iudicium, ingenium <sup>cogitationum quoniam duplex sit?</sup> atque imaginatio sub intellectu comprehenduntur.

§. 38. Quatenus præterita considerat, <sup>Memoria quid sit?</sup> prout sensui se obtulerunt, vocatur memoria; quatenus ea subtrahit aut <sup>Imaginatio s. Phantasia quid sit?</sup> com-ponit, aut de futuris quoque cogitat, vocatur

*Memoria quisnam valere dicitur.* catur imaginatio s. phantasia. Illum itaque memoria excellere dicimus, qui facultate præditus est plurimum sensuum recordandi. Si apte ratiocinationes conjungere potest atque convenientiam objectorum comparare, ingenio pollere; & *Ingenio quisnam gaudeat?* qui prompte differentias ratiocinationum investigat, *Judicii excellentis criterium.* judicium habere dicitur.

*Duplex est cogitandi modus.* §. 39. Modus cogitandi est duplex, vel *Quæstio quid sit?* per investigationem, vel per propositionum formationem. Priorem vocamus quæstionem s. suspensionem judicii, ita, ut neque affirmemus, neque negemus, sed quasi suspensi hæreamus, investigantes, quodnam duorum Objectorum alterum idearum pluralitate vincat.

*Affirmatio quid sit & quid negatio?* §. 40. Quando convenientiam duarum idearum sentimus, affirmamus; hac autem convenientia cessante, negamus.

*Ratiocinationis ac ratiocinationum duplex objectum?* §. 41. Quia vero omnis ratiocinatio vel circa existentiam, vel circa essentiam rerum versatur, hinc ratiocinatio nostra facile ad duas reduci possunt quæstiones. Vel enim sciscitatur an res existat? vel quid res sit?

*Diversæ idearum denominationes.* §. 42. Ex his facile liquet, in quonam causa quærenda sit, quod ideæ nostræ tam diversas nanciscantur denominationes. Vocantur enim vel claræ vel obscuræ, vel crassæ vel subtiles, vel confusæ vel distinctæ.

§. 44.



§. 43. Voluntas & appetitus <sup>Voluntas &</sup> ~~boni~~ <sup>Appetitus</sup> ~~et~~ <sup>sensitivus</sup> ~~ter~~ <sup>in quoniam</sup> non differunt, sed nominatur appe- <sup>convenient,</sup> ~~titus~~ <sup>vel discom-</sup> sensitivus, si conatus cordis sine co- <sup>venient.</sup> ~~gitatione~~ <sup>veniant.</sup> in nobis existit; Voluntas au- <sup>tem,</sup> si idem conatus cum cogitationibus <sup>f. intellecta</sup> est conjunctus.

§. 44. Voluntas igitur nihil aliud est, <sup>Voluntas</sup> quam facultas f. potentia animæ nostræ <sup>quid sit?</sup> aliquid concupiscendi f. appetendi, cum <sup>cogitatione</sup> conjuncta.

§. 45. Fluit exinde perpetua voluntatis <sup>Voluntas</sup> atque intellectus conjunctio. Cavendum <sup>ipso non co-</sup> tamen simul est, ne cum Cartesio, Poire- <sup>gitat.</sup> to aliisque in alium abducamur errorem, ac si voluntas ipsa cogitet, f. quod judici- um ad voluntatem referri debeat; quem errorem quoque defendit Barbeyrac in Not. ad Pufend. de offic. hom. & Civ. L. I. c. I. § 4.

§. 46. Nam voluntas ipsa plane non <sup>Voluntas</sup> cogitat, sed excitat saltem intellectum ad <sup>quomodo se</sup> cogitandum seque jungendum cum <sup>conjungat</sup> ea, quamvis momentum hujus conjunctio- <sup>cum intella-</sup> nis, uti omnium animæ operationum, vix <sup>tu?</sup> percipere queamus. Voluntas itaque est impellens; intellectus vero impulsus.

§. 47. Hæc conjunctio ita concipi de- <sup>Conjunctio</sup> bet, ut voluntas nunquam velle possit nisi <sup>hec quomo-</sup> cum intellectu conjuncta, intellectus au- <sup>do concipi</sup> <sup>debeat?</sup> tem

tem cogitare queat, atque sæpius etiam cogitet a voluntate haud impulsus.

*Voluntatis motio unde existat?* §. 48. Movetur voluntas ab omnibus rebus tam in homine, quam extra hominem existentibus; intellectus ipse vero nunquam movet voluntatem.

*Voluntatis in liberam & coactam divisio, ut utriusque definitio.* §. 49. Quare voluntas vel libera est, vel coacta. Libere agit intuitu intellectus, quatenus ejus imperio plane non subest, ac nunquam ab eo movetur; coacta autem dicitur, quatenus ab omnibus aliis rebus tam visibilibus, quam invisibilibus, excitatur ac movetur.

*Intellectus motio & impulsio ad cogitandum.* §. 50. Omnes quoque res ita sunt comparatæ, ut intellectum hominis movere atque ad cogitandum impellere possint. Ita posita arbore non potest non intellectus arborem sibi concipere, ideamque objecto convenientem formare.

*Intellectus movetur quidem, sed non movet ipse.* §. 51. Intellectus ipse haud movere potest, neque voluntatem, neque partes corporis, neque res extra hominem positas. Nam plurimos motus in corpore nostro sentimus, in quibus intellectus plane non concurrat. Ita sæpe movemus manus, pedes aliasque Corporis partes, cogitationibus ad illum motum huc directis.

*Per seriam cogitatio-* §. 52. Et licet cum aliis inter cogitationes serias & non serias distingvere velis; facile tamen est perceptu, seriam cogitatio-

tionem nil aliud esse, quam cogitationem a voluntate impulsam: quod igitur intellectui adscribendum esse putas, non ad eius, sed voluntatis pertinet imperium.

*nem quid nam sit intelligendum?*

§ 53. Imo si putas, excitari tamen, ac moveri Voluntatem ab intellectu, si e. g. lascivia aliorum moveamur, vel obscœna in conversatione proferantur verba, ita, ut sæpius iis ad libidinem excitemur, ad hanc alias haud inclinaturi; hoc facile quidem concedo, sed causam frustra quæris in intellectu, cum in voluntate unice sit: alias enim eosdem in singulis videremus effectus. Ast videas ipsa illa verba obscœna, item lasciviam aliorum &c: in Titio excitare libidinem, in Sempronio repugnantiam, in Cajo suspiria. Causa ergo hujus rei in diversitate voluntatum est, quærenda.

*Objectio: quod voluntatem moveat intellectus. Ad ipsam Responsio.*

§ 54. Voluntatis e contrario imperium latius se extendit. Nam non solum movet intellectum, sed & omnes corporis partes suo arbitrio dirigit. Est quidem in intellectu talis virtus, ut citra voluntatis impulsum (sicut jam monuimus) negare & affirmare queat, atque ita quidem, ut non possit non apertis oculis videre, meditationes suas continuare, adeo, ut voluntas neque quietem dare cogitationibus, neque impedire eas possit, neque mutare aut effi-

*Voluntas movet & intellectum & partes Corporis omnes.*

cere, ut id, quod rubrum est, pro nigro habeat intellectus: re tamen penitus inspecta unicuique obvium erit, quod intellectus in plurimis a voluntate dependeat, ipsiusque impulsui sit subiectus.

*Quomodo  
voluntas  
moveat  
corpus?*

§. 55. Eodem modo voluntas se habet ratione Corporis; nam licet hujus motus in multis a voluntate haud dependeat v. g. ut volare possit &c.posito tamen corpore integro ac sano, unusquisque facile sentiet, motus corporis humani conatibus voluntatis esse subditos, statimque promptos ac paratos ad jussa voluntatis exequenda.

*Ulterior  
Probatio,  
quod volun-  
tas moveat  
intellectum.  
Diversiffi-  
ma homi-  
num de bo-  
no & malo  
iudicis.*

§. 56. Clarius asserti veritas quoad intellectum patebit, si bonum & malum ipsum examinemus. Quid enim bonum, quidve malum sit, omnes nosse nobis videmur; si vero porro consideremus, quid unusquisque pro bono aut malo habeat, infinita deprehendes bona malaque. In quo Titius bonum summum ponit, ab eo abhorret Mævius. Ita avarus bonum judicat id omne, quod est aptum acquirendis divitiis, nullo respectu habito, an sit honestum, an jucundum &c. Hoc fugit ambitiosus magisque pro malo, quam pro bono habet, illud saltem bonum esse autumans, quod honores parit, nominisque sui gignit immortalitatem. Hæc omnia ridet voluptuosus, tam avarorum quam ambitiosorum  
mise-

miseriam atque stultitiam exclamat, solum id pro bono reputans, quod sensus delectat, parum sollicitus, an opes suas diminuat, an famam lædat &c.

§. 57. Aliter ratiocinatur homo in affectu positus, aliter affectu satiato; & illud in proverbium abiit: quisquis amat rationam, ranam putat esse Dianam.

*Affectus impedit sanum rationis iudicium.*

§. 58. Intellectus ægrotat præjudiciis, hæc vero haud existerent, nisi intellectus agnoscere & sequi deberet imperium voluntatis. Nam præjudicium auctoritatis oritur ex insipienti imitatione, ad quam inclinatur voluntas, & illud, quod vocamus præcipitantiæ, ex voluntatis nostræ impatientia trahit originem.

*Præjudiciorum, imprimis auctoritatis, origo.*

§. 59. Homines lyncei sunt in aliorum actionibus dijudicandis, in propriis vero talparum instar cœcutiunt. Irridentes aliorum stultitiam, vivis eam coloribus depingunt, quamvis eandem corde foveant stultitiam. Videt avarus aliorum avaritiam, suam tegit sub nomine boni patris familias. Sic ambitiosus aliorum famæ obtreçtat, sed sua propria ne lædatur, data opera præcavet.

*Defectus cognitionis sui ipsius in homine.*

§. 60. Econtra approbamus, imo ut optimas admiramur aliorum actiones, quæ nostra cum voluntate conveniunt. Ita videmus in historiarum lectionibus unam

*Philantia hominum.*

B

perfo-

personam præ alia nobis placere ejusque actiones nobis probari. In Comœdiis conspectum unius præ altero optamus, quin etiam, si huic aliquid adversi accidat, misericordia tangimur tristesque evadimus, licet sciamus esse fictionem puram. Er quotidiana docet experientia, quam diversimode sentiatur atque judicetur de aliorum scriptis.

*Diversa  
judicandi  
ratio profi-  
ciscitur à  
sola volun-  
tate.*

§. 61. Causa hujus diversitatis non potest alibi quæri, quam in voluntate. Nam intellectus unus idemque est & unica saltem veritas, in qua omnes consentire debent, imo manet idem intellectus, si versetur circa proprias, s. alienas actiones.

*Obiectio  
circa hanc  
rem.*

§. 62. Objicis : Causam harum diversitatum nihilominus in intellectu quærendam esse; in propriis enim actionibus homines non serio satis agere, non debitam adhibere diligentiam, qui tamen in alienis negotiis sint quam accuratissimi.

*Ad eam Re-  
sponso.*

§. 63. Libenter hoc concedo, sed eo ipso quoque fateris, voluntatem unicam hujus impedimenti esse causam atque efficere, ut non eam, quam natura negotii exigit, diligentiam in nostris adhibeamus actionibus. Finge Titium omnium consensu pro homine maxime prudenti haberi, cujus consilia omnes sequantur, omnibus -

nibusque in negotiis expetantur, qui saluberrima aliis in matrimoniis ineundis porrexit consilia, jam amore Virginis aliqujus capitur, matrimonium cum ea inire maxime optat, dehortantur illum amici, vitia virginis vivis ei depingunt coloribus, ad oculum demonstratur, quam infelicem se reddat; ille tamen neglectis his omnibus matrimonium init, pro felicissimum omnium se habet, summumque bonum jam possidere sibi persuadet; brevi temporis spatio deplorat conditionem suam, damnat diem, quo sprevit amicorum consilia. Unde hæc mutatio? non nisi a voluntate. Quamdiu enim in affectu hærebat, cæcus erat intellectus; satiato vero affectu, jam videt, audit atque sapit cum alijs.

§. 64. Hanc veritatem adhuc clarius ostendit communis distinctio inter rationem rectam ac corruptam. Vocamus enim rectam rationem, quando intellectus cognoscit verum bonum; corruptum autem, si bonum apparens pro vero bono habeat.

*Alia Pro-  
batio hujus  
rei itemque  
divisio Ra-  
tionis in  
rectam &  
corru-  
ptam.*

§. 65. Causa hujus diversitatis rursus in voluntate latet. Nam comprehendit intellectus verum bonum, si a voluntate haud sit impulsus; apprehendit vero statim bonum apparens, & ut verum bonum pendeat?

*Conceptus  
boni tam  
veri, quam  
apparentis,  
unde de-  
num pendeat?*

num sibi imaginatur, si voluntas concurrat.

*Voluntas  
cogi potest.*

§ 66. Habet & voluntas suas passiones, ita, ut, quamvis non moveatur ab intellectu, patiatur tamen ab omnibus aliis rebus, falsoque hactenus multis fuit persuasum, ac si voluntas plane non possit cogi.

*Voluntas  
qua ratio-  
ne & agit,  
& patitur.*

§. 67. Patitur enim voluntas & agit. Pati nihil aliud significat, quam moveri; agere autem idem, ac movere. Ubi vero motus deprehenditur, ibi necessario aliquid hunc motum produciens esse debet.

*Voluntas  
quomodo  
cogi dica-  
tur.*

§. 68. Denotamus per coactionem non visibilem illam, quæ a corpore infertur, sed invisibilem, quando nimirum potentia aliarum rerum voluntatem hominis vel irritant, vel reprimunt, vel ad agendum impellunt. Hæc veritas tam evidens est, ut non indigeat probatione, sed provocem saltem ad omnium experientiam.

*Actiones  
intellectus  
sunt im-  
manentes;  
Voluntatis  
vero trans-  
euntis.*

§. 69. Actiones dividuntur in immanentes, vel transeuntis. Illas appellamus, quæ ibi permanent, ubi fuerunt ortæ; unde omnes actiones intellectus sunt immanentes. Nam oriuntur in cerebro, ibique manent ita, ut extra illud plane non operentur. Transeuntis sunt, quæ extra illum locum, unde ortum sumserunt, effectus suos produciunt atque operantur. Hinc omnes actiones voluntatis sunt trans-



transeuntes; movet enim omnes corporis partes ejusque conatus tam in intellectu, quam intoto corpore, sentitur.

§. 70. Quæritur igitur: An homini s. *An Voluntati competat libertas & electio?* voluntati hominis competat libertas, quam communi ore ei hætenus adscripserunt, persuasi, voluntati competere electionem; ubi vero sit electio, ibi quoque necessario esse debere libertatem.

§. 71. Est vero libertas duplex vel extrinseca vel intrinseca. Illa vocatur talis electio homini competens, ut v.g. agere vel non agere, sedere aut non sedere, edere aut non edere, hac vel alia veste se induere possit. Hæc vero dicitur, quando talis homini competit electio, ut omnia, ei etiam interne indifferentia sint e.g. ut avaro indifferens sit, habere aliquid proprii vel non, aliquem amare vel non.

§. 72. Illam omnibus hominibus competere, extra controversiam est: hanc autem omnino negamus. *Voluntati competit libertas extrinseca; non intrinseca.*

§. 73. Non vero essentia hominis consistit in intellectu, sed potius in voluntate. *Hominis essentia maxime consistit in Voluntate.*

§. 74. Nam omnia corpora ejusdem speciei eandem habent formam externam, eandem naturam, easdem producunt actiones, ita, ut cognita natura unius speciei tuto concludere possim ad naturam omnium reliquorum. Veritatem hujus *Corpora ejusdem speciei ejus.*

*dem quoque sunt natura.* asserti cognoscimus non solum in bestiis homini proximis, sed & metallis, lapidibus, herbis, plantis, arboribus.

*Homines sunt diverse nature ac speciei.* §. 75. In hominibus autem diversamprehendis formam externam, diversissimam naturam, diversasque actiones, adeo, ut nec unus reperiatur, qui in omnibus actionibus cum altero consentiat. Si duo saltim sint in Collegio quodam, statim adest dissensus, ita, ut eandem ob causam pluralitas votorum debuerit introduci.

*Homo ipse secum diffidet.* §. 76. Quinimo ne quidem nobiscum semper sumus unanimes, sed talem sentimus contrarietatem, ut ab eo, quod jam cupimus, alio tempore abhorreamus, quod nunc elegimus, mox repudiemus, quod jam anxie quæсивimus, deinde contemnimus, tantaque in nobis deprehenditur variatio, ut sæpius dubitent, imo nesciant homines ipsi, quid velint.

*Signa Affectuum.* §. 77. Diversam in unoquoque facierum conspicimus formam, ita, ut nemo reperiatur, qui non habeat, faciem ab omnibus aliis discrepantem; & signa s. lineamenta ipsa, quæ in facie se produnt, diversas inelinationes passionesque satis superque indicant.

*Affectuum triplicia signa sunt.* §. 78. Imo variantium in homine affectuum signa se exerunt; modo enim signa ambitionis, modo avaritiæ, modo libidinis apparent. §. 79.

§. 79. Silentio prætereo, quam variis *De eadem*  
 modis homines differant ratione risus, la *hominum*  
 crymarum, loquelæ, ingressus &c. *diversitate*

§. 80. Hæc omnia abunde probant, in *Hinc con-*  
 intellectu hominis essentiam haud confi- *cluditur &*  
 sere. Nam hic in omnibus hominibus *probatur 1)*  
 unusidemque est; non potest igitur esse *Essentiam*  
 duum tam diverforum sibi que invicem re- *hominis*  
 pugnantium esse causa. *non confi-*  
*sere in in-*  
*tellectu.*

§. 81. Ex quo porro fluit: falsum esse, *2) Homi-*  
 quod homo sit species infima. Quis enim *nem non es-*  
 sanæ mentis crederet, Titium laboriosis- *se speciem*  
 simum, ambitiosum, inimicum omnis ju- *infimam,*  
 cunditatis ac libidinis, simulantem & dis- *nec unius*  
 simulantem, vindictæ cupidum, iracun- *ejusdem-*  
 dum, unius ejusdemque naturæ ac speciei *que speciei.*  
 esse cum Mævio nil nisi commodam vitam  
 optante, ab omni ambitione remoto, nil  
 nisi delicias atque sensuum delectationem  
 anhelante, cordato &c.

§. 82. Fons hujus erroris communis est, *Falso sup-*  
 nempe quia communiter fuit creditum, *ponunt*  
 homines unicam saltem habere volunta- *communi-*  
 tem. Et verum est, unica saltem in ho- *ter unicam*  
 mine posita voluntate, impossibile esse ei *in homine*  
 simul denegare libertatem intrinsecam; *volunta-*  
 cum alias aut Deum injustum fingere, aut *tem.*  
 omnes Leges, omnes pœnas, omnemque  
 imputationem negare debeamus.

§. 83. Tres igitur in homine sunt vo- *Tres in uno*  
 lun- *eodemque*

*homine  
dantur vo-  
luntates,  
nempe am-  
bitiois, a-*

luntates sibi invicem in plurimis contra-  
riae, in multis tamen quoque convenien-  
tes, ambitio scilicet, avaritia atque volu-  
ptas.

*varitia, va-  
luptatisque.  
In quonam  
tres haec vo-  
luntates 1)*

§. 84. Quæ omnes in eo conveniunt,  
ut exoptent vitam diuturnam, eamque fe-  
licem ac jucundam, & simul omnino fugi-  
ant vitam infelicem & dolorificam; quod  
omnes appetant cibum, potum, coitum  
cum diverso sexu, proprietatem, liberta-  
tem atque æqualitatem; horreant vero fa-  
mem, sitim, paupertatem, servitutem ac  
contentum.

*2) In qua-  
nam diffe-  
rant.*

§. 85. Differunt in eo, quod una felici-  
tatem atque jucunditatem quærat in sen-  
suum delectatione, altera unice in rerum  
proprietate ac divitiis, & rursus altera in  
imperio super alios homines.

*De eadem  
voluntatum  
diversitate.*

§. 86. Atque hinc ex adverso alia uni-  
ce vitam pro dolorifica & infelici habet,  
quæ non omnibus voluptatibus abundat;  
alia solum eum infelicem nominat, qui  
destituitur divitiis & occasione ditescen-  
di; alia denique tantum illam vitam ju-  
dicat infelicem, quæ in obscuro sine ho-  
nore ac dignitatibus ducitur.

*Inde infer-  
tur; Tres  
dari volun-  
tates diver-  
sas.*

§. 87. Hæc omnia affatim tres diversas  
in homine declarant voluntates. Unica  
enim voluntas non potest producere di-  
versos effectus, nec secum ipsa pugnare,  
non

non appetere sibi contrarium, sibi que noxium ac se ipsum destruens.

§. 88. Hæ vero tres voluntates quamvis in quovis reperiantur homine, non tamen ejusdem mixturæ sunt. In quibusdam unarum cupiditatum præ reliquis eminent; in aliis passio dominans mixta est ex duabus trium harum cupiditatum s. voluntatum; in aliis tandem omnes hæ tres cupiditates vel passiones dominantur.

*Diversarum trium voluntatum mixtura.*

Conf. III. Thomasi *Ausübung der Sitten-Lehr* c. 12. & 13. item fund. I. N. & G. c. 1. §. 131. D. Buddeus in *Element. Philos. Pract.* P. 1. c. 2. Sect. 2. §. 30. seqq. statuit tres illas voluntates esse saltem motus diversos sibi invicem succedentes.

§. 89. Actiones hominum sunt vel voluntariæ & liberæ s. spontaneæ & morales, vel non voluntariæ s. necessariae atque coactæ.

*Alia Divisio, Actionum humanarum.*

§. 90. Voluntariæ vocantur, quæ a voluntate sunt imperatæ. Liberæ nominantur, non quod voluntas gaudeat libertate intrinseca, sed quatenus libertas extrinseca, secundum hætenus dicta, de voluntate potest prædicari. Spontaneæ a voluntariis plane non differunt, sed Synonymice sumuntur. Morales dicuntur, quia plures hominum actiones voluntariæ uniformes appellantur mores.

*Quenam actiones dicantur liberæ s. spontaneæ, item morales?*

§. 91. Natura hominum moralis est complexus omnium illarum actionum, quæ homini imputentur.

*Quenam actiones homini imputentur.*

quæ voluntati sunt subjectæ, ita, ut ab eâ dirigantur, hominique hanc ob causam imputari possint.

*Physica  
fundamen-  
tum, Studii  
& naturæ  
hominis  
moralis.*

§. 92. Hinc sequitur: Physicam naturæ hominis morali haud posse opponi. Potest quidem homo physice considerari, nullo respectu, habito ad naturam moralem; haud vero investigari potest natura moralis, nisi simul physice consideretur. Physica enim est basis & fundamentum totius studii moralis. Nam non licet nobis in moralibus formare homines, uti esse debeant, sed uti secundum naturam sunt; & in moralibus quidem media suppeditantur corrigendi naturam hominis, quæ tamen necessario quoque naturæ ipsi debent esse convenientia.

*Actiones  
morales  
quænam  
vocentur  
rationales,  
aut irratio-  
nales.*

§. 93. Actiones morales sunt vel rationales vel irracionales. Illæ sunt, quæ diriguntur a ratione nostra, quatenus a voluntate haud est impulsæ; hæ vero diriguntur a ratione corrupta.

*Quatenus  
rationali-  
tas de acti-  
onibus vo-  
luntatis  
possit præ-  
dicari?*

§. 94. Potest quidem rationalitas proprie loquendo de actionibus a voluntate proficiscentibus non prædicari, cum voluntas ipsa non cogitet; attamen & hæc locutio eatenus tolerari potest, quatenus ut plurimum intellectus a voluntate dirigitur, sicque semper fere cum cogitationibus est conjuncta.

§. 95.

§. 95. Ex his omnibus elucescit totius *Cur & quo*  
 humani generis miseria, & quod homo, *usque homo*  
 si penitius eum intueamur, sit miserrima *miserrima*  
 creatura, infelicioꝝ bestiis quamquam in- *fit creatu-*  
 tellectu & voluntate destitutis. Bestiæ *ra?*  
 enim contra appetitum sensitivum nihil  
 faciunt, nihil edunt, nihil bibunt &c. Ho-  
 mo autem sectatur quidem bonum ac fe-  
 licitatem, metuit econtra mortem sui que  
 destructionem, & omnia tamen facit, quæ  
 mortem accelerant atque ipsius vitam red-  
 dunt infelicissimam.

§. 96. Fons hujus miseriæ inde oritur, *Origo mi-*  
 quia voluntas, peculiare suum sibi fingit *seriæ hu-*  
 bonum, a bono vero hominis prorsus di- *mana.*  
 versum eique contrarium. Appetit ita- *Quale ho-*  
 que homo semper quidem bonum, sed *mo appetat*  
 illud voluntatis, eoque ipso nil nisi maxi- *Bonum.*  
 mum malum miseriamque desiderat.

§. 97. Ita voluntas ambitiosi bonum su- *Quid vo-*  
 um invenit inperpetuo labore, vigilantia *luntas am-*  
 atque inquiete, inde autem nihil repor- *bitios habet*  
 tat præmii, quam sui destructionem & so- *at pro bono?*  
 latium, quod aliis inserviando sit con-  
 sumtus.

§. 98. Voluntas avari pro unico agno- *Bonum vo-*  
 scit bono vitam asinino cum labore trans- *luntatis a-*  
 igere, ire per fyrtes, per antra, per saxa, *vavi.*  
 per maria, per arma & hostes, sibi subtra-  
 hit ad conservationem ac sustentationem  
 vitæ

vitæ non modo utilia, sed etiam necessaria; lucrum vero, quod exinde capit & imaginaria ejus felicitas quid aliud est, quam perpetua inquires, continua miseria? & dum longum vitæ terminum sibi statuit, vitam innumerabilibus sollicitudinibus sibimet ipsi adimit.

*Bonam voluntatis voluptuosa* §. 99. Voluntas voluptuosi bonum querit in omni abundantia cibi ac potus, in infrænato cum altero sexu coitu & perpetuo otio; Sed nubem, quod dicitur, pro Junone, pro jucunditate atque felicitate dolores ac miseriam amplectitur.

*Distinctio boni veri totius hominis, & boni apparentis* §. 100. Bonum igitur totius hominis unice pro vero bono habendum; Istud autem particulare, puta voluntatis, est saltem apparens, magisque mali, quam boni, nomen meretur.

*particularis. Uberior demonstratio miseria humana.* §. 101. Præditus quidem est homo ratione, sed stulta, verum cognoscit, sed in rebus ad se plane non pertinentibus, & ubi ab affectibus remotus est. In veritatum vero ad propriam suam felicitatem spectantium cognitione cæcus est, verum pro falso & falsum pro vero habet, & hinc neque sibi, neque aliis prodest. Non sibi, quia propriam felicitatem non cognoscit; non aliis, quia & hi non agnoscunt, quid sibi utile sit atque bonum.

*Contra hanc miseria* §. 102. Itaque ne in hac miseria arque  
in



infelicitate pereamus, opus est disciplina riam media  
 morali, quæ tradit criteria ac media evi- suppeditat  
 dentia discernendi rationem rectam a cor- Logica &  
 rupta, bonum verum a bono apparenti. Philosophia  
 Prius discimus ex Logica; posterius per- moralis.  
 agit Philosophia moralis. Sine hac autem  
 frustra adhibemus Logicam, frustra scru-  
 tamur criterium veritatis. Purgata vero  
 atque emendata per Philosophiam mora-  
 lem voluntate, facilis est transitus ad emen-  
 dationem intellectus; sublato fonte mor-  
 borum non amplius desperandum de sani-  
 tate recuperanda.

## CAP. II.

De

# Animi passionibus.

§. I.

**P**er necessarium esse hoc caput de pas- Caput de  
 sionibus s. affectibus nemo ambiget; Affectibus  
 dolendum vero hanc tam gravem ma- fuit negle-  
 teriam adeo fuisse neglectam. Plurimi ctam.  
 quidem eam peculiaribus libris, sed non  
 æque feliciter pertractarunt; & in primis  
 maxime cavendum a traditis tam philoso-  
 phiæ paganæ, quam Scholasticæ, tam Gas-  
 sendiæ, quam Cartesianæ.

Quid sentiendum sit de Cartesii Tract. quem de  
 Passionibus animi inscripsit, pluribus docet III.  
 Thomæ P. 2. Prax. Ethic. c. 2. & 3.

§. 2.

*Unde Affe-  
ctum desi-  
nitio sit de-  
sumenda?*

§. 2. Haud felicius vero procedi posse existimo, quam sepositis omnium aliorum sententiis, eruendo ex natura humana ipsa genuinam affectuum s. passionum definitionem.

*Spei ac Me-  
tus natura  
est inda-  
ganda.*

§. 3. Præprimis opera danda; ne cum communi Philosophorum Schola affectus spei & metus plane negligamus: nam nemo melius fata veluti vitæ humane addiscere potest, quam spei & metus naturam probe meditaturus.

*Voluntas  
& agit &  
patitur.*

§. 4. Vidimus in Capite præcedente, quod voluntas habeat suas & actiones & passiones. a) Sua quidem natura est potentia activa; desiderat enim & fugit, cupit & adversatur, quæ nihil aliud sunt, quam actiones: quia tamen potentiæ tam in, quam extra hominem, eam movere, excitare, impedire ac suppressere possunt, patitur atque inde est, quod affectus nomen accipiant passionum.

a) Contra Cartesium, qui actiones denegat voluntati eique sedem in Capite assignat.

*Amor est  
affectus  
primarius,  
cui recte  
adjicitur  
odium.*

§. 5. Unicus videtur esse affectus, amor nimirum. Omnes enim, quotquot etiam sint affectus, consistunt in desiderio alicujus rei, quam nondum possidemus, & nihil desideramus nisi id, quod amamus. Non tamen errant, qui amori odium adjiciunt.

§. 6.

§. 6. Nam consistit affectus in motu *Probatio:*  
 versus rem aliquam. Quando igitur ali- *quod ad*  
 quid averſamur, oritur hæc averſio ex *Amorem*  
 amore rei cujusdam, cujus privationem *odinumque*  
 atque amiſſionem metuimus. Ita averſa- *omnes pos-*  
 tur voluptuoſus temperantiam, quia hanc *sint referri*  
 ſibi adverſari putat in explenda ſua libi- *affectus.*  
 dine tanquam amato bono ſuo. Odit  
 ambitioſus modeſtiam tanquam id, quod  
 ambitioni & exiſtimationi ſuæ obeſſe cre-  
 dit. Fugit avarus communionem, quia  
 proprietatem unice amat.

§. 7. Ex hoc fonte varii oriuntur affe- *Ad prima-*  
 ctus, qui vel tanquam primarii vel ſecun- *ios affe-*  
 darii concipi poſſunt. Ad primarios re- *ctus qui-*  
 ferimus ambitionem, avaritiam & volu- *nam refe-*  
 ptatem; quibus opponuntur modeſtia, *rendi?*  
 communio ac temperantia.

§. 8. Secundarii ſunt ſpes atque timor. *Secundarii*  
 Reliqui affectus omnes tanquam filiæ pri- *Affectus*  
 mariorum affectuum conſiderari debent. *sunt ſpes*  
 Gaudium vero trititiamque quod con- *& timor.*  
 cernit, male a nonnullis ad affectus refer-  
 ri videntur, cum potius ſigna ſint, quibus  
 hunc vel illum affectum declaramus &  
 patefacimus.

§. 9. Eſt vero ſpes excitatio affectuum, *Definitio*  
 orta ex ſenſu alicujus vel adjumenti con- *Spei.*  
 ſequendi rem gratam, quam optamus, vel  
 ex ſenſu nullius impedimenti.

§. 10.

*Definitio  
Metus.*

§. 10. Metus e contrario est affectuum depressio ex sensu alicujus impedimenti, vel amittendi id, quod nobis est gratum, vel adipiscendi, quod nobis ingratum est.

*Spes & metus requirunt Vim.*

§. 11. Spes ergo atque timor requirunt vim. Vis autem hæc tum demum se erit, quando vel aliquid impedimenti adesse, vel nihil impedimenti superesse observamus.

*Spes, con-  
nascitur  
Affectibus  
primariis.*

§. 12. Spes connascitur primariis affectibus, & sicut mel non concipi potest sine dulcedine, ita etiam nullus affectuum sine spe. Nam eo ipso, dum aliquid concupiscimus, simul id nos obtenturos speramus, & nunquam sine hac spe serio aliquid desideramus.

§. 13. Licet enim sæpius nonnulli hominum concupiscant impossibilia & quæ nunquam sint consecuturi, eo ipso tamen, dum hæc concupiscunt, non tanquam impossibilia, sed obtentu facilia, ea sibi imaginantur.

*Timor non  
connasci-  
tur Affecti-  
bus prima-  
riis.*

§. 14. Timor vero affectibus primariis connatus haud est, Sed semper præsupponit impedimenta.

*Spes datur  
sine metu;  
non metus  
sine Spe.*

§. 15. Potest itaque Spes existere in homine sine conjuncto timore i. e. concupiscimus sæpius rem aliquam ita, ut nulla prorsus deprehendamus impedimenta. E-contra timor concipi non potest sine spe præ-

præcedente. Ubi enim aliquid timeo, ibi necessario adhuc adest spes aliqua simulque amor alicujus rei, cujus vel amissionem, vel impetrationem timeo: & licet pugnam Spei ac metus simul eodemque velut momento sentiamus, pugna tamen hæc ex diversis oritur principiis; aut enim impedimentum supervenit, & tunc Spes jam præcessit, aut vero pugna adest ipsorum primariorum affectuum.

§. 16. Nulli affectus in nobis generantur, nulli quoque destruuntur s. exuuntur. Cave enim, ne generationem & destructionem affectuum cum excitatione ac suppressione eorum confundas.

*Affectus in nobis neque generantur, neque exuuntur.*

§. 17. Affectus sunt in sanguine, adeoque cum homine nascuntur: vivo igitur homine & massa sanguinis integra, illorum destructio effici non potest.

*Sed nobis conati per omnem vitam inhaerent.*

§. 18. Est autem excitatio affectuum, quando per potentias alias externas impulsus datur affectibus, ita, ut agere incipiant ignis instar, qui interdum motu aliquo externo opus habet, ut ad flammam perducatur.

*Excitatio affectuum quid sit & quomodo fiat?*

§. 19. Suppressio est, si motus affectuum impeditur eorumque vires diminuuntur. Sic supprimitur ambitio aut contemptus aut occasionis carentia; supprimitur voruluptas, si os claudere, oculos vero aperire

*Quid sit & quomodo fiat Suppressio affectuum?*

C

re

re debeat voluptuosus; & avaritia vix se exerit, ubi æqualitas est bonorum, ita ut neque divites, neque pauperes aliquo in loco reperiantur.

*Impedi-  
menta Af-  
fectuum  
interna &  
externa.*

§. 20. Impedimenta, quæ timorem gi- gnunt, sunt duplicis generis, vel interna, vel externa. Illa vocamus, quæ in ipso homine oriuntur sine concursu aliarum potentiarum; hæc sunt iterum vel intra, vel extra cor hominis.

*Impedi-  
menta ex-  
terna in-  
tra cor or-  
ta.*

§. 21. Intra cor oriuntur ex pugna tri- um affectuum primariorum; si aliquis in suspenso quasi hæreat, nescius, quo se vertere debeat v. g. Titius amore cujus- dam Virginis correptus, ducere eam in- tendit in matrimonium, considerans vero ab altera parte, pauperem ipsam esse ac vilioris conditionis, nescit, quid decerne- re debeat.

*Impedi-  
menta ex-  
terna ex-  
tra cor ho-  
minis orta.*

§. 22. Impedimentum extra cor homi- nis oritur, si Corpus id peragere recusat, ad quod affectus inclinant v. g. in eunu- cho, in sene, perpetua valetudine adver- sa laborante, oculis privato &c.

*Impedi-  
menta  
quam  
dicantur  
in genere?*

§. 23. Ad impedimenta externa omnia illa pertinent, quæ quidem extra homi- nem existunt, affectus tamen supprimunt eorumque motum impediunt.

*Timor  
quomodo  
externe  
excitetur?*

§. 24. Ita timor externe excitatur vel a Corporibus, vel a potentiis invisibili- bus.

§. 28.

§. 25. Corpora agunt vel eodem, vel *Corpora d.*  
 diverso modo. Eodem modo agunt *gunt dicitur*  
 omnia individua ejusdem speciei i. e. uno *so, vel eo-*  
 eodemque modo homini nocent: cogni- *dem modo.*  
 ta igitur unius saltem individui natura  
 facile inveniuntur media, quibus iis re-  
 sisti queat.

§. 26. Diversimode autem nocent ho- *Quomodo*  
 mines, ac quamvis omnes sint metuendi, *diversimo-*  
 cum nocere queant, in aprico tamen est, *de homines*  
 unumquemque alio modo alteri nocere *noceant, iis*  
 posse, atque singulis etiam diversa ratione *que sit resi-*  
 resisti debere, ne nocere queant. Sic alio *stendum.*  
 modo nocet voluptuosus, alio ambitiosus,  
 & diverso rursus modo avarus.

§. 27. Licet igitur plurium hominum *Media no-*  
 naturam exquisitissime perscrutatus fue- *cendi &*  
 ris, imo & exploratum habeas, quomodo *impedi-*  
 illi omnes noceant, quibus mediis uti *menta sunt*  
 debeas præveniendi ac eludendi eorum *innumera.*  
 insidias, nihil tamen hæc omnia quoad  
 reliquos tibi proderunt. Quid? quod  
 corrupta natura humana subinde & quo-  
 tidie nova excogitet atque inveniat no-  
 cendi media, ita, ut ne sagacissimus qui-  
 dem omnia impedimenta satis prævidere,  
 multo minus præcavere possit.

§. 28. Timor, qui excitatur a poten- *Metus ex-*  
 tiis invisibilibus, proficiscitur vela a Deo, *citatus*  
 vel ab Angelis. Illum unusquisque sen- *Potentis*  
 tiet *invisibili-*  
*bus.*

tiet ad actiones suas reflexurus. Quid autem Angeli tam boni, quam mali in nobis efficere queant, edocemur in S. Scriptura.

*Differen-  
tia inter  
impedi-  
menta Po-  
tentiarum  
invisibili-  
um & cor-  
porum.*

§. 29. Hæc tamen notanda est differen-  
tia, quod ordinem ac modum ratione im-  
pedimentorum a potentiis invisibilibus  
provenientium ignoremus. Impedi-  
menta vero aliorum Corporum & de-  
monstrari, & eorum causa ab intellectu  
humano percipi potest.

*Spes quo-  
modo possit  
augeri, &  
quidem vel  
1) extrin-  
sece.*

§. 30. Spes, licet non generetur, diversi-  
modè tamen potest augeri, & hoc fit vel  
extrinsece, vel intrinsece.

§. 31. Extrinsece impellitur atque au-  
getur vel a potentiis invisibilibus, vel a  
Corporibus. Quod in Deo unica spes fit  
ponenda, nemo potest negare, imo & hoc  
certum est, quod nunquam majori cum  
gaudio homines suas suscipiant actiones,  
ac multa, quæ aliis impossibilia videntur,  
meliori cum fiducia moliantur, quam si  
causæ bonitate freti assistentiam Dei sibi  
possint polliceri. Exemplo nobis sunt  
David, Apostoli, B. Lutherus &c.

*2) vel in-  
trinsece.*

§. 32. Intrinsece spem hominum au-  
geri videmus, si omnia, quæ suscipiunt,  
prosperè succedant atque finem conse-  
quantur exoptatum, ita, ut homines ni-  
hil adversi ratione trium passionum sen-  
tientes



tientes audaces evadant perſuali, nihil grave ſibi poſſe evenire.

§. 33. Variæ autem dantur ſpecies Spei *Variæ Spei* atque metus. Nempe Spes & metus eſt *ſpecies ſ. di-* vel rationalis vel irrationalis. Supra e- *viſiones.* nim obſervavimus, quod bonum ac malum vel verum ſit, vel appareus. Spes itaque boni veri eſt recta & rationalis; ſpes boni apparentis irrationalis atque inepta.

§. 34. Timor rationalis ſ. rectus eſt, *Diviſio me-* ubi metuimus ac odimus, quod revera *tus in rati-* meretur nomen mali. Timor irrationalis, & ineptus eſt, ubi metuimus atque *analem &* odimus, quod malum revera non eſt, ſed *irrationalem.* potius ut bonum conſiderari debet.

§. 35. Spes rationalis nos ducit ad virtutem atque incitat, ut ejusmodi media *Spei rati-* amplectamur, quæ felicitatem veram o- *nalis emq-* perantur, eamque adeptam conſervant. *lumenta, &* Spes vero irrationalis nos abducit a ſe- *irrationalis* mita Virtutis, ac ad media inepta eligen- *lis danna.* da nos allicit, ita, ut ſub ſpecie boni niſi miſeriam conſequamur.

§. 36. Timor rationalis nos a vitiis re- *Timoris &* vocat efficitque, ut evitemus ea, que in- *rationalis* felicitatem noſtram promovent. Timor *& irratio-* irrationalis autem impedit, quo minus *nalis eſſe.* perveniamus ad veram felicitatem nec *Aut ac im-* bonum verum impetremus, ſed media *pedimenta.* omnia

omnia ad hunc finem ducentia sub specie mali respuit.

*Omnes Affectus ver-  
santur cir-  
ca futura.*

§. 37. Quoniam vero omnes affectus tendunt ad futurum, ideo quoque spes ac metus diversos nanciscuntur gradus.

*Fiducia  
quid? &  
quid sit au-  
dacia?*

§. 38. Sic Spes boni cujusdam propin- qui, quodque facile nos obtenturos cre- dimus, fiducia vocatur; spes autem, ma- lum sine omni difficultate repellendi au- dacia.

*Diffiden-  
tia, item  
desperatio-  
nis defini-  
tio.*

§. 39. Timor mali, quod haud felici- ter nec facile repelli posse putamus, ap- pellatur diffidentia; & timor mali cu- jusdam præsentis, quod non tantum perpetuum fore, sed etiam inevitabile nobis persuademus, desperatio.

*Affectus  
variant ra-  
tione mo-  
tus.*

§. 40. Variant quoque ratione mo- tus. Prout enim hic vel vehemens est vel remissior, dicitur & existit stupor s. consternatio, ira, horror, tremor, bru- talitas, timiditas, meticulositas &c.

*Pro diver-  
sitate boni  
malive va-  
riant Spes  
metusque.*

§. 41. Variant etiam spes ac metus prout bonum & malum est vel positivum, vel privativum.

De quo vid. III. Thomæ in Ethica P. I. c. 1.

*Divisio tam  
Spei quam  
metus in di-  
vinum &  
humanum.*

§. 42. Juxta distinctionem rerum in res divinas atque humanas, Spes & metus datur vel divinus vel humanus. Ille no- men sortitur a Deo, fonte omnis veri boni.

boni, omnisque nostræ felicitatis ; hic a creaturis.

§. 43. Abit vero Spes ac metus divinus *Spei ac me-*  
*in rationalem & irrationalem.* Prior vo-  
 catur pietas, religiositas, timor s. metus *tu* *subdiviso-*  
 lialis ; hic autem superstitio, impietas,  
 metus servilis. Ubi omnis cessat & spes  
 & metus divinus, dicitur atheismus.

De quæ pluribus infra in Cap. de Deo.

§. 44. Dum vero Spe metuque omnes *Omnia agi-*  
 nostræ diriguntur actiones, & quidquid *mus impulsi*  
 agimus, s. tendat ad bonum s. ad malum, *Spei aut me-*  
 ex mixtura ac impulsu spei atque metus *tu.*  
 fluit, hinc homines accipiunt nomen vel  
 prudentum, vel imposterum.

§. 45. Est autem Prudentia Virtus, quæ *Definitio*  
 respicit remouetque devia ac obstacula *Pruden-*  
 actionum bonarum. *tie.*

§. 46. Quia impedimenta hæc vel in-  
 terna vel externa sunt, secundum hæc-  
 nus dicta, & illa acribus nostris affectibus *Quisnam*  
 vitiosis promanant, hæc vero ab aliis stul- *fit dicendæ*  
 tis nobis obijciuntur ; ille nomen me- *Sapiens &*  
 retur sapientis, qui priora didicit remo- *quis pru-*  
 vere : prudentis, qui posteriora prævi- *dens.*  
 det, præcavet ac avertit.

§. 47. Stulti iterum diversos habent *Stultitia*  
 gradus : sunt enim vel astuti, vel stupidi. *gradus, &*  
 Illi haud sunt inidonei ad media inveni- *quinam*  
 enda & eligenda eaque ita aptanda, ut *vocentur*  
 finem *stulti astu-*  
 ti?

finem actionum, quem intendunt, obtineant & actiones aliorum maxime sapientum impediunt; & quidem omnia eorum media ita sunt comparata, ut aliis occulte nocere intendant.

*Stulti stupidi qui nam sent & dicantur.*

§. 48. Ex adverso stupidi omni carent Prudentia ac plane incapaces sunt, ut aliorum impediunt actiones, nisi apertam adhibeant violentiam. Proinde non quidem opus est magna cautione atque Prudentia ad declinanda & devitanda illorum impedimenta, non tamen profus sunt negligendi, sed cavendum ab eorum impetu violento, quem prudenter repellere studeamus.

*Imprudentes sunt longe plurimi.*

§. 49. Hæc omnia eo diligentius notanda sunt, quo sæpius videmus, paucissimos dari sapientes, paucos astutos, plurimos vero imprudentes; atque hinc quotidie imprudentia & calliditas a maxima hominum parte pro Sapientia vel Prudentia habetur.

*Imprudentum impedimenta quot & quanam sint?*

§. 50. Docet vero præcipue Prudentia impedimenta imprudentum duplicis esse generis, nempe vel exempla tam callidorum, quam imprudentum sub specie sapientiæ decipientium, vel stultorum oppositiones, quibus clandestine aut aperte sapientium actiones impedire anituntur.

*Exempla*

§. 51. Eo majori studio exempla sunt inspi-

spicienda, cum hæc non solum utram-  
que in nostris actionibus faciant pagi-  
nam, sed & sapiens non omnem deponat  
stultitiam; & licet sapiens multas alio-  
rum actiones improbet, plura tamen sunt,  
quæ facile ei arrideant nosque non per-  
petua cura ad actiones nostras respicien-  
tes in aliorum trahere queant stultitiam.

§. 52. Accedit & hoc, quod stultitia  
sæpissime sub pallio Virtutis superbiat,  
nomen Virtutis affectet geratque, ac sub  
hoc prætextu alios incautos & naturæ  
humanæ incios decipiat.

§. 53. Ita facile apud incautos volup-  
tati dediti adipiscuntur nomen sapien-  
tis, dummodo sobrietatem & castitatem  
simulare noverint. Ambitiosi facile ali-  
is apparent justi, si vindictæ cupiditatem  
atque ambitionem sub pallio justitiæ te-  
gere sciunt. Et quia avari natura sua ad  
simulationem & iræ suppressionem sunt  
proni & aptiores, imo ad superstitionem  
inclinant, facile aliis persuadent, se Vir-  
tuti Patientiæ litare, ipsumque avaritiæ  
vitium, sapientibus exosum, sub larva par-  
simoniæ aliis venditant.

§. 54. Imprudentes, qui sua natura in-  
epti sunt ad simulanda trium affectuum  
vitia, alia tamen adhibent media: Ut  
tetur enim pallio Religionis, vel Pietatis,  
vel orthodoxiæ.

§. 55.

*cur sint  
probe at-  
tendenda?*

*Virtutum  
larva &  
inanis præ-  
textus.*

*Vitiosi qui-  
que simu-  
lant Vir-  
tutes.*

*Impruden-  
tes quam  
ratione de-  
cipiant al-  
ios?*

§. 55. Eccui ignotum esse potest, nulum crimen unquam tam horrendum fuisse, quod non sub prætextu Pietatis atque religionis fuerit perpetratum & adhuc perpetretur? Quo prætextu eo securius uti possunt, quoniam maxima hominum pars externis non solum inhæret, in veram causam non inquirens, sed & præjudiciis auctoritatis ita est imbuta, ut ineptissima quæque, fabulas, contradictoria & cum omni ratione pugnantia, plebi isti credulæ atque incautæ facile imponant. Hanc credulitatem & superstitionem comitatur temeritas, qua nihil non audent & committunt, puta regicidia, persecutiones cruentas hæreticorum, imo & aliorum innocenter viventium.

*Prætextus  
Pietatis ac  
Religionis.*

*Præjudicia  
auctorita-  
tis.*

*Temeritas  
cum super-  
stitione  
conjuncta.*

Qui dubitat de hac veritate, inspiciat quæso inquisitionem diabolicam, Processum magiæ atque hæreseos.

*Veri Pro-  
pheta &  
herois cri-  
teris.*

§. 56. Hæc Philosophia quoque nos eo ducit ac præmunit. ne confundamus veros Prophetas, verosque heroes cum falsis & deceptoribus. Sunt autem veri Prophetæ, quorum intellectus immediate a Deo dirigitur; & veri Heroes, quorum voluntas immediate a Deo agitur.

§. 57. Ante, omnia igitur ad hanc confusionem evitandam requiritur, ut quis suam atque aliorum naturam probe cogni-

gnitam perspectamque habeat, deinde ut firmiter sit persuasus, Deum neque velle neque posse, eo ipso, quia non vult, facere contradictoria. Nam hæc secundam dic tamen rationis sunt impossibilia s. talia, quæ vera neque sunt, neque fieri possunt. Ita absurdum esset, dicere: Deum nobis voluntatem revelasse suam, & non revelasse; quod tamen naturaliter sequeretur, si concederemus Deum facere impossibilia. Atque cum alii criterii loco allegent miracula; & circa hæc caute est procedendum.

§. 58. Sapiens enim admittit miracula, maximeque credit, talia extare in S. Scriptura, quin etiam Deum adhuc, semperque, quotiescunque velit, miracula facere posse; sed simul credit & hoc, de miraculis, quæ extra Scripturam S. allegantur, se non solum dubitare posse, sed etiam debere.

§. 59. Circa illa, quæ ex S. Scriptura recenseri solent, hæc rursus ipsi incumbit cautela, ut præprimis inquireat, an causam prætensi miraculi concipere queat, nec ne. Si concipit causam, sine ratione rem pro miraculo agnoscit; non igitur patiatur sibi illudi ab impostoribus hisce fictis miraculis alios decipere intendentibus. Imo quamvis quoque causam

*Cur Deus  
contradi-  
ctoria sim-  
possibilia  
facere no-  
lit, adeoque  
nec possit  
facere?*

*Miracula  
extra Scri-  
pturam S.  
allegata  
non temere  
sunt ad-  
mittenda.*

*Criterium  
veri mira-  
culi ex S.  
Scriptura  
depromi-*

fam non statim capiat, id circo tamen non statim credat id esse miraculum, sed sciat potius, multas esse res naturales, quarum causas ignoramus.

*Miracula  
citra neces-  
sitate non  
sunt multi-  
plicanda.*

§. 60. Licet alii ipsi persuadere conentur, multiplicanda esse miracula, quia iis fides Christiana roboretur atque confirmetur; hoc unum tamen reponat: miracula non esse propter fideles ac sapientes, de Dei Omnipotentia & Misericordia haud dubitantes, sed propter incredulos.

*Distinctio  
inter natu-  
ralia, su-  
pernaturalia  
&c.*

§. 61. His observatis attendamus porro, ut rite distingvamus inter naturalia, supernaturalia, præternaturalia & contradictoria s. contra naturalia.

*Supernaturalia  
quid  
sint?*

§. 62. Sunt vero supranaturalia, quæ natura sibi relicta nec solet, nec potest facere, ratio tamen humana percipit, quod fieri possint, quamvis nesciat, quomodo fiant.

*Per præ-  
ternatura-  
le quid in-  
colligatur?*

§. 63. Præternaturale idem est ac irregulare, quod quidem natura facere potest, sed raro solet v. g. immanissimum frigus, flos arborum tempore hyemis.

*Contra-  
naturale  
quidnam  
dicatur.*

§. 64. Contranaturale est, quod natura facere neque solet, neque potest, & quod ratio quoque comprehendere nequit, quod sit & qua ratione fiat v. g. quod pars major sit toto &c.

§. 65.



§. 65. Ex jam dictis simul liquet, Miracula esse supra naturam, admirandum vero præter naturam.

§. 66. Ne vero & circa hanc doctrinam committamus errorem, examinare præcipue debemus: 1) an aliquid factum sit 2) an præter vel supra naturam viresque humanas 3) ex quo scopo & 4) an quoque sit factum aliquod notatu dignum?

Confex. Clerici Pnevmatolog. sect. 3. c. 8. p. m. 17. 199.

§. 67. Ita constat in Vet. Test. omnia Miracula Mosis actus fuisse majesticos, regios atque divinos: in N. T. vero Miracula Christi actus Medici, benigni Patris Doctorisque, Majestatem & gloriam Dei vel ejus Bonitatem ostendentes. Examinautem quæso miracula, quæ extra S. Scripturam referuntur, & facile cognosces eorum absurditatem.

Obiter hic noto: ex Commentariis in S. Scripturam eos esse seligendos, qui pauciora faciunt statuuntque miracula & ea, non comice, non curiose, sed graviter explieant. Exemplo esse potest Excellentiss. Clerici Diss. de Transitu per Mare rubrum, & altera de Columna salina Uxoris Lothi; quarum utraque Commentario ad Genesin est annexa.

§. 68. Circa doctrinam de angelis tenendum, ea tantum pro veris esse habenda, quæ in S. Scriptura de Angelis traduntur.

*Distinctio inter Miraculum & admirandum. Circa Miracula præmonita quædam.*

*Miracula Mosis & Christi Salvatoris.*

*De Angelis quoniam credenda?*

*Angelorum  
existentiam  
ratio  
ignorat.*

tur. Nam ratio sibi relicta ignorat eorum & existentiam & essentiam. Putat quidem Svarez ex perfectione atque ordine Mundi existentiam illorum demonstrari posse; & Aristoteles e motu corporum cœlestium; sed uterque ineptit. Ordo enim Creaturarum & perfectio Mundi a libero Dei dependet arbitrio, haud vero a Chimæris absurdis Philosophorum. Sane infirmiter inferitur: nescio causam motus astrorum; ergo datur intelligentia s. Angelus.

*Essentiam  
Angelorum  
frustra in-  
quirimus.*

§. 69. Nec minus simus haud quoque solliciti de Angelorum essentia. Sic frustra quærimus: an sint puri spiritus, an vero Corpus habeant subtile? Tota enim quæstio de subtili corpore Angelorum resolvitur in logomachiam.

Confer. interim. Clericus c. l. sect. 2. c. x. p. m. 68. fqq.

*Angelorum  
existentia  
constat ex  
Sola SS.*

§. 70. Certo nobis constat ex S. Scripturæ lectione de existentia Angelorum tam bonorum, quam malorum. Credimus dari diabolum huncque esse substantiam operantem tam intra, quam extra hominem; sed eorum philosophiam explodimus, qui arbitrantur, omnes bonas cogitationes a bonis, malas autem a malis genis s. angelis nobis suggeri. Rejicimus quoque doctrinam Cartesii, quod spiri-

spiritus sit nullibi, & quod præter Deum non dentur Spiritus medii, sed quod omnium Creaturarum motus Deo immediate sint adscribendi.

Conf. Ill. Thomasi Diff. de ctimine magiæ & Cautel. circa Præcogn. Jurisprud. in cap. de studio Metaphysices. De Balthaf. Beckeri Mundo fascinato plura in Discursu.

§. 71. Præcipue consideremus prædicationem, quæ in S. literis diabolo tribuuntur. Dicitur enim spiritus, malus, potens, astutus; nullibi vero nobis ob oculos ponitur tanquam hircus, famulus, simplex, stultus, ridiculus, histrio &c. Quapropter fallit illud quoque dicterium: Quod ignoro per rationem, id non possum doceri per revelationem.

§. 72. Cavendum porro est, ne motus cordis bonos, quatenus sunt naturales, confundamus cum motibus angelicis aut divinis, neque malos promiscue cum motibus diabolicis.

§. 73. Nam si abstinuisti a malo, ad quod natura tua inclinas, sine impedimento in sensu incurrente, aut si inclinas ad bonum secundum temperamentum tuum, s. inclinationem naturalem, deficientibus circumstantiis ad illud te impellentibus, omnino referre hæc potes ad motus spirituum bonorum. Si malum sine irritamento notabili, ad quod inclinas, commisit,

*Quenam prædicatio diabolo conveniant, ne?*

*Motus naturales ac*

*supernaturales discernendi.*

*Criterionum motuum*

*bonorum a Spiritibus bonis provenientes.*

*Criterionum motuum*

*malorum a Spiritu malo excitatorum.*

sisti, vel occasionem speciose bonam, ad quam inclinās, omisisti sine notabili obstaculo, non incongrue culpam in malum rejicies spiritum.

*Subtilitates inanes Theol: mysticæ.*

§. 74. Enim vero satius est vitare malum atque bono studere secundum regulas justī, honesti & decori, quam in motus suos nimis curiose inquirere, atque eos ad certas classes Dei, Angelorum bonorum malorumque referre. Sciendum enim hæc omnia esse reliquias Theologiæ mysticæ, quibus ille plane opus haud habet, qui bonum Deo, malum vero sibi adscribit.

*Naturales operationes a supernaturalibus facile discernimus.*

§. 75. Certe optimum erit, nosse suam aliorumque hominum naturam; hac enim cognitione conjuncta cum S. Scriptura, facile operationes naturales a divinis & angelicis æque, atque a diabolicis, poteris separare.

*An & quatenus dantur magi veneficæque?*

§. 76. Persuasus quidem est sapiens, dari magos & veneficas, sed minime omnium credit, dari magos pactum cum diabolo ineuntes & cum eo concumbentes.

Moveri hic posset quæstio: utrum illi pacta inierint cum diabolo, qui hæc pacta negant, aut existentiam diaboli in dubium vocant? An a negatione diaboli concludi possit ad negationem Dei, aut Providentiæ divinæ? An Reckerus fuerit magus, cum ubique præ se ferat,

se ideo Potentiam atque operationes diaboli destruere, quo Regnum Dei exstruat? Conf. Dn. Thomafius ad præjudicia extirpanda & elegantiore[m] veramque Jurisprudenciam in Germania restaurandam natus in Diss. ad Poireri Tract. de Eruditione solida, superficialia & falsa, præcipue vero in Diss. de origine diaboli p[ar]ta incultis.

§. 77. Quoniam autem maxime interesse diximus, ut sciamus vires naturæ humanæ, præprimis voluntatis, quædam generaliter de hac re annotanda erunt. *Præmonitu genera- lia.*

§. 78. Naturam humanam suos habere fines atque ultra hos progredi haud posse, nemo inficias ibit. Si enim voluntatem contemplamur, deprehendimus in ipsa potentiam finitam. Ita non possumus volare, non invisibiles nos reddere, non mare ebibere &c. adèo ut, licet omnium conjungerentur voluntates unaque quasi fieret voluntas, tamen hæc efficere nequeant. Necesse ergo est; ut asseramus; dari res naturam impossibiles, & de hoc inter omnes convenit, atque id nemo vocabit in dubium, nisi præjudiciis ita occupatus, ut illa quoque pro veris assumat; quæ sensui communi sunt contraria. *Natura hu- mana suos habet terminos; Dantur natura impos- sibilis;*

§. 79. Dantur tamen etiam multa omnibus hominibus possibilis; plura multis impossibilia. Nam tanta voluntatum di- *De Possibi- libus ac im- possibilibus homini.*  
D ver-

versitas in singulis reperitur hominibus, ut uni eidemque homini interdum multa sint possibilia, quæ alio tempore ei sunt impossibilia, & vice versa, ita, ut circa possibilia ac impossibilia ab unius horæ spatio ad alteram nihil inferre liceat.

*Spei ac metus varietas.*

§. 80. Idem accidit circa spem atque metum: nempe, quod multi sperant, alii contemnunt; quod plurimi metuunt, multi derident; quod jam sperant, alio tempore metuunt.

*Corpora quatenus homini, vel profint vel noceant?*

§. 81. Corpora autem omnia ita sunt comparata, ut homini & nocere & prodesse queant, non quidem ideo, quia illa suâ naturâ bona vel mala sunt, sed applicatio ususque hominum diversus efficit, ut mox tanquàm utilia, mox ut noxia debeant considerari.

*Homo Homini maxime prodest aut obest.*

§. 82. Nulla verò omnium creaturarum reperitur, quæ hominem adjuvare & eidem nocere quoque magis possit, quam homo ipse.

*Potentissimus eget aliorum ope.*

§. 83. Nam considerato hominum statu ac conditione nemo adeò potens censendus erit, ut aliorum haud indigeat consilio vel auxilio: experitur enim interdum etiam potentissimus adversam sibi fortunam ita, ut sine aliorum auxilio necquicquam possit resistere, vel præstare,

§. 84.

§. 84. E contrario nemo tam impo- *Infirmiffi-*  
 tens & imbecillis est; ut non aliis longè *mus, nocere*  
 potentioribus emolumento vel detri- *& prodesse*  
 mento esse possit. Notum enim est, *potest.*  
 eum, qui suam contemnit vitam, alte-  
 rius vitæ esse dominum.

§. 85. Cui accedit, quod nullus homi- *Nemo ca-*  
 num inveniatur, qui omnes amare, aut *pax amo-*  
 omnes odio habere possit; sed cernas po- *riis odii que*  
 tius homines v. g. avaros, qui amant ne- *omnium.*  
 minem; multos tamen odio prosequun-  
 tur. Neque ullus existit hominum;  
 quem omnes ament, vel omnes odio pre-  
 mant.

§. 86. Insuper nullà datur creatura tam *Nihil in-*  
 inconstans, tam mutabilis, quam homo. *constantius*  
 Nam quotidie videmus eum, qui alte- *homine.*  
 rum impense adamavit; brevi tempore  
 ejus maximum fieri inimicum; & quem  
 odio Vatiniano persecutus est; illius  
 jam ambire amicitiam.

§. 87. Fallunt & falluntur, qui putant; *A posse v.*  
 quod is, qui prodesse vel nocere possit, *g. nocere*  
 statim quoque velit; quam opinionem *&c. ad vel-*  
 fovet Hobbesius. Cognita enim natura *le N. V. C.*  
 hominum, facile quisque animadvertit,  
 pro diversa mixtura bonorum malorum-  
 que, dari homines, qui quidem damnum  
 inferre, aut auxilium præstare velint, sed  
 non semper possint; & alios, qui qui-

dem possint , sed non semper velint.

*Causa nocendi quomodo remouenda.*

§ 88. Hæc meditatio eo nos ducit, ut, quoad ejus fieri poterit, nemini causam vel occasionem nobis nocendi præbeamus; id quod maxime fiet, si ex ipsa natura humana has nobis formemus cautelas :

1. Nonnullis non resiste, neque eos aspernare; quia dantur homines, qui nulla re magis, quam resistentia & contemptu exacerbantur ac irritantur.

2. Añis benefacere stude.

3. Respectu aliorum te illis inferiorem gere.

*Cur in nomine spes ponenda?*

§. 89. Quia igitur, secundum hætenus dicta, homines magis ad nocendum, quam iuvandum inclinant, ideo sapiens ita se gerit, ut magis alios timeat, quam ut spem in aliquo hominum ponat; qui enim ab amore facile cessare vel desistere potest, in eo spem ponere ineptum est.

*Possibilia ac impossibilia ratione corporis & intellectus.*

§. 90. Hanc differentiam possibilium atque impossibilium inter homines non tantum percipimus ratione voluntatum, sed etiam in corpore ejusque partibus, ac intellectu ipso ea sese exerit. Nam deprehenduntur diversæ vires hominum non solum ratione corporis, sed & intellectus, ita ut hic excellat memoria, ille iudicio, & alius ingenio.

§. 91.



§. 91. Quamvis autem homines infinitis modis tantum ratione voluntatum variant ac differant, multaque, uti diximus, sint, quæ quibusdam possibile, aliis vero impossibile videantur; quia tamen unusquisque hominum semina trium voluntatum retinet, & hæc tam augeri, quam minui possunt, inde perpetua illa hominum mutatio originem trahit.

§. 92. Nam passiones tam varie miscentur, ut una quidem sit passio dominans i. e. præ reliquis duabus maxime & quasi unice operetur, reliquæ vero duæ sint infimæ i. e. raro operentur, sed cedere debeant imperio passionis dominantis.

§. 93. Cum vero omnes affectus possint irritari, evenit sæpius, ut passiones infimæ objectis atque circumstantiis externis ita excitentur, ut instar passionis dominantis in homine agant passionemque natura dominantem ita suppriment, ut durante hac irritatione alium quasi hominem, quam qualis antea fuit, repræsentent.

§. 94. Intercedit tamen inter passionem dominantem ac infimam hæc differentia: Infima passio semel in motum deducta multo sensibilius agit, quam passio naturaliter dominans; majoribus ta-

D ; . . . . . men

men irritamentis opus est in passione infima, donec moveatur; cum e contra, passio dominans in nobis agat sine irritatione aliqua externa.

*Gradus excitationis suppressionisque Affectuum.*

§. 95. Dum autem de excitatione & suppressione affectuum loquimur, simul monendum, illis suos quoque competere gradus, & sæpe tam subtili motu agere atque procedere, ut à maxima hominum parte ne quidem sentiantur.

*De Exhalationibus moralibus.*

§. 96. Deprehendimus cœtas exhalationes morales ex omnibus Corporibus effluentes aliisque se insinuantes, quæ maximam affectuum nostrorum mutationem ipsorumque excitationem gignunt atque producant. Quid non valent in voluptuoso voces, imo gestus aliique motus fœminæ libidinosa? Ita sane quotidie movemur primo saltem aspectu ad amorem vel odium hujus istiusve hominis; ita, ut non possimus non eum amare vel odio prosequi; cujus intuitu recte ait Poëta: amo te, non possum dicere quare.

*De iisdem Exhalationibus, Effluviisve.*

§. 97. Hæc vero effluvia persentiscimus non modo in corporibus animantibus, sed & artificiosis. Quid non operantur chartæ lusoriæ? quid gestus reverentiam designantes? quam diversos producit effectus Musica? Et ne forsan  
 affve-

affectioni hæc omnia adscribas, considerare saltem potes actiones nostras a primis statim incunabulis; in his enim jamjam inuenies alios delectari nummis, alios lusu, alios musica, alios canibus, equis &c.

§. 98. Nec eosdem in unoquoque hominum producant effectus, sed exhalationes v. g. ambitionorum, in nonnullis reverentiam, in aliis iram & odium, rursus in aliis metum producant. *Quanam Exhalationes, ambitionosorum?*

§. 99. Avarorum exhalationes in aliis excitant tristitiam, in aliis inclinationem illos decipiendi damnaque inferendi. *avarorum?*

§. 100. Gulæ deditorum exhalationes, creant in iis, qui pariter gulæ genioque indulgent, gaudium ac hilaritatem, in avaris fugam, in ambiciosi displicentiam atque contemptum. *gulosorum?*

§. 101. Libidinis, Venetis impuræ mancipiorum exhalationes progenerant in sui similibus libidinem, in ambiciosi odium, in avaris despectum ac detestationem. *libidinosorum?*

§. 102. Si consideremus homines secundum diversam voluntatum mixturam, cui contigit mixtura ambitionis & avaritiæ, nil nisi odium ac contemptum ab aliis ambiciosi, ab avaris autem & volu- *Effectus i) mixtura ambitionis ac avaritiæ.*

ptuosius metum quidem servilem, sed in fortuna adversa, persecutionem atque oppressionem sibi polliceri potest.

*Mixtura voluptatis ambitionis-que.*

§. 103. Mixtura voluptatis ac ambitionis, odium metumque gignit in avaris, in alijs ejusdem mixturæ amicitiam & benevolentiam, & quotidiana docet experientia hujus temperamenti homines quidem habere inimicos, plurimos tamen quoque amicos.

*Mixtura voluptatis & avaritiæ.*

§. 104. Mixturâ voluptatis ac avaritiæ efficit homines inconstantes, perfidos, ad omnem amicitiam inhabiles, & licet facile sibi amicitiam aliorum acquirere queant, acquisitam tamen nesciunt conservare, ita, ut hæc mixtura nil nisi odium, commiserationem & contemptum pene apud omnes pariat.

*Non æque ratione g-  
liorum ti-  
mendum  
fidendum-  
que.*

§. 105. Sicut vero omnes hæc observationes eo tendunt, ut monstrant, in quantum homines nobis nocere vel prodesse queant: ita exinde facile colligimus, quod unus præ altero magis sit timidus, uni quoque præ altero magis sit fidendum.

*Avarus plerumque nocet, raro juvat.*

§. 106. Avarus sicut omni amore erga alios destituitur, ita neminem adjuvare cupit, sine spe aliquid acquirendi majusque lucrum ex eo reportandi. Adjuvare nihilominus potest, si ejus actiones

ab

ab aliis dirigantur, & quamvis semper aliis nocere intendat, facile tamen technæ ejus evitari possunt, si saltem notemus, avarum nunquam nocere, nisi occulte.

§. 107. Ambitiosus maxime idoneus est ad nocendum atque juvandum. Magis tamen metuendus, quam spes in eum collocanda. Nam omnia officia summa cum submissione ab eo expectanda, quo semel neglecto, maximus evadit inimicus, &, cum vindictæ sit cupidus, non minus vult, quam potest, aliis nocere. Si tamen nocet, non nocet occulte, sed aperte, hostique ansam præbet occasionemque relinquit se defendendi.

*Ambitiosus maxime juvare ac nocere potest.*

§. 108. Voluptuosus est benevolus erga alios, ad misericordiam pronus, nec facile ad læsionem aliorum inclinatur. Impeditur enim sua ignavia, timiditate ac inconstantia, quo minus nocere possit velitque. Nocet tamen sæpe in primo calore ac impetu; & hinc quoque magis est metuendus, quam auxilium ab eo expectandum.

*Voluptuosus maxime juvare vult.*

§. 109. Mixtura ergo voluptatis atque ambitionis maxime homines reddit capaces, si ad ætatis maturitatem pervenerint,

*Mixtura voluptatis ambitionisque est optima.*

D §. 109.

rint, ut aliis consilio, ac opere subveniant & inserviant.

*Mixtura  
ambitionis  
avaritiæ  
que facit  
morosos.*

§. 110. Mixtura ambitionis atque avaritiæ austeros & morosos efficit homines, imo difficiles, ac licet hi maxime aliorum conatus secundare & promovere possent, neminem tamen adjuvant, nisi suos clientes, quos in altum extollunt, sed & facile ad incitas redactos deserunt, imo ipsimet in ruinam præcipitant.

*Mixtura  
voluptatis  
avaritiæ  
que facit  
stultos.*

§. 111. Mixtura voluptatis ac avaritiæ stolidos producit homines, segnes, magis ad servitutem, quam ad imperium natos, adeoque ad opem aliis ferendam ineptos. Cum vero quoque maxime sint timidi, ob id maxime sunt metuedi; cum verum semper maneat illud, quod omnes homines timidi sint crudelēs.

*Cur omnia  
coacte agimus?*

§. 112. Ex hætenus dictis quoque uberius evicimus, nullam voluntatibus nostris convenire libertatem intrinsecam, sed homines in omnibus suis actionibus agere coacte. Nam omnia quæ agunt, spe impulsæ agere debent; omnia quæ omittunt, metu pressi & compulsæ necessario omittere debent.

*Coactio  
vim inducit.*

§. 113. Omnis autem coactio vim supponit. Omnis vis denotat vel facultatem

tem agendi, (eine Kraft,) vel in specie coactionem ab alia aliqua potentia ortam.

§. 114. Hæc vis vel visibilis vel invisibilis est. Illa visibiliter a Corpore in Corpus agit; hæc vero modo invisibili, & non, nisi ex effectu, sentitur.

*De vi visibili ac invisibili.*

§. 115. Omnis vis visibilis, quia renitentibus nostris affectibus resistenteque corpore nostro infertur, est inimica.

*Vis que non inimica est*

§. 116. Invisibilis autem est vel amica, vel inimica. Illa grata est affectibus hominum serioque exoptatur v. g. laudes hominum, pecunia, illecebræ & blanditiæ meretricum, esculenta atque potulenta &c. Hæc vero est ingrata nostris affectibus, ipsis resistit, eosdem supprimit, spem adimit metumque incutit. v. g. ignominia, amissio bonorum, captivitas, morbi, metus mortis &c.

*Vis invisibilis subdivisa.*

§. 117. Quibus præmissis sequens emergit definitio: Affectus est appetitio voluntatis, cum sanguinis nostri extraordinaria diversaque commotione conjuncta, quæ ad futurum tendit bonum.

*Affectus definitio.*

§. 119. Affectus sunt vel boni, vel mali; imo & addere possumus indifferentes.

*Affectuum Divisio.*

§. 120. Falsum enim est, affectus in se consideratos esse malos; cum homo si-

*Affectus non boni ac mali.*

ne affectu existere nequeat. Nam motum dant sanguini, & optime alii observarunt, quod non parum conferant ad sanitatem Corporis.

*Affectus  
saltem ac-  
cidentaliter  
sunt  
mali.*

§. 121. Excessus igitur ac defectus saltem eos reddit malos; absonum hinc est, quod ira atque invidia a nonnullis inter affectus indifferentes ferantur.

Ita facile conciliari potest dissensus Peripateticorum & Stoicorum; An affectus sint mali, an vero indifferentes?

## CAP. III.

De

### Variis Hominum moribus.

§. I.

*Causa con-  
vergentis  
diversita-  
tisque Mo-  
rum.*

**E**X voluntatum diversitate, quam præcedente Capite demonstravimus, fluunt necessario diversi hominum mores; & cum apud singulos diversa harum voluntatum existat mixtura, ac semina trium voluntatum in unoquoque hominum sese exerant, eo fit ut mores hominum in multis conveniant, in plurimis vero quoque differant.

*Morum*

*Descriptio.*

§. 2. Intellego hic per mores inclinationes ac propensiones voluntatum uniformes.

§. 3.



§. 3. Nam homines potius stolidi, quam sapientes nascuntur; hinc eo allaborandum, ut deponamus stultitiam: hac enim ex corde humano expulsa, locum occupat Sapiencia.

*Hujus Descriptio-  
onis ratio.*

§. 4. Sane ut perveniamus ad Sapienciam, præcipuum est & aditum quasi pan- dit Sapienciæ cognitio stultitiæ. Quam diu enim propriam stultitiam non cognoscimus, tam diu moraliter sumus incurabiles, & nunquam pertingimus ad veram Sapienciam.

*Prima ad  
Sapienciam  
autem via  
quænam?*

§. 5. Obstare quidem videtur dictum S. Scripturæ, quo initium Sapienciæ dicitur esse timor Domini. Sed hic ipse timor præsupponit cognitionem, non tantum Dei, sed etiam nostri, adeoque & stultitiæ nostræ i. propriæ: alioqui timor ille non foret filialis, sed servilis.

*Ad Objecti-  
onem Re-  
sponso:*

§. 6. Quia vero stultitia in moribus nostris corruptis est conspicua & sapiens a stulto non nisi moribus differt; non abs re erit, hos mores accuratius inve- stigare.

*Mores di-  
stinguunt  
sapienciam  
a stulto.*

§. 7. Ante omnia autem cavendum, ne stultitiam atque Sapienciam dijudice- mus ex rebus externis, ac si in his consi- deret, puta in ritu salutandi, comedendi, vestiendi &c: cum omnes hæ res sint in- differentes, sapiensque in illis se accom- mo-

*Externis  
sapienciæ  
stulto sunt  
communis:*

modare debeat stultis. Ita falso quidam ratiocinantur: Titius splendido incedit amictu; ergo est stultus: Cajus simplicibus indutus est vestibus; ergo est sapiens: & vice versa.

*Stultis se  
accommodat  
sapiens:*

§. 8. Imo obligati sumus splendidius vivere, quatenus opes & status, in quo vivimus, illud admittunt. Dicis stultum esse, purpura nitere & splendida superbire supellectile. Concedo, esse stultitiam, carere quoque nos posse plurimis rebus, naturam paucis esse contentam; sed cogitare simul debemus, non omnem nos deponere stultitiam: neque status rerum publ: id patitur. Nam maxima hominum pars in hac sua stultitia invenit vitæ subsidia: quamvis igitur hisce rebus facile carere queamus; alii tamen non carere possunt nostra pecunia.

*Ad Objectionem  
respondetur.*

§. 9. Dicis: gratis aliis porrigere tuam pecuniam, eroga eleemosynas. Sed juxta impendere nos docet, hominem & orare, & laborare debere. Præstat itaque, ut aliis occasionem des ad aliquid laboribus suis acquirendum, quam ut occasionem præbeas ad otium ac mendicitatem.

Vid. Auctor Gallicus in Tr. de la vanité des Sciences.

*Communis  
hominum  
stultitia.*

§. 10. Omnes igitur homines ratione stul-

stultitiæ in eo fere conveniunt, quod philantia prava iis inhæreat, persuasis, hominem esse præstantissimam atque sapientissimam omnium creaturarum.

Perenda hæc doctrina ex Ethnicismo, cum communis Ethnicorum Philosophia fuerit: hominem omnibus creaturis esse anteferendum. Et licet apud eos testimonia humanæ miseriæ reperiantur, hæc tamen omnia status afflictionis extorsisse videtur.

§. 11. Sed præjudiciis liberatus quis-  
que facile deprehendet, hominem admo-  
dum miseram esse creaturam. Ita quoad  
corpus longe pluribus morbis est obno-  
xius, quam reliqua animalia. Qui de eo  
dubitatur, inspiciat saltem ædilitium edi-  
ctum, ubi sane longe plura vitia de man-  
cipiis, quam de bestiis recensentur.

*De homi-  
num Mije-  
ria.*

§. 12. Frustra quoque hanc hominis præstantiam atque nobilitatem quæris in intellectu; cum hic pene totus sit corrup-  
tus & potius miseriam hominis augeat ac promoveat.

*Speciatim  
de corrupti-  
one intel-  
lectus.*

Vid. Ill. Thomasi Versuch vom Wesen des Geistes Cap. ult.

§. 13. Accedit, quod regulariter verum pro falso, ac falsum pro vero habeat; quo ipso evenit, ut cognitio veri ei necquicquam profit. Quamvis autem fatendum  
sit, quod homo insigni prærogativa præ-  
bestiis, puto triplici reflexione ad præte-  
rita,

*Abusus Re-  
flexionum  
noxius*

tita præsentia & futura gaudeat, sine qua frustra fuissent promissiones de vita æterna, imo omni ipse destitutus fuisset; si tamen ab usum respicias, hæc ipsa quoque reflexio homini nocet. Nam considerat malum præteritum, ut futurum, futurum vero ut præsens ac inevitabile; cum tamen potius debeat esse jucunda homini præteritorum memoria, ipseque præsentia considerare ut mox finitura, ac futura ut evitabilia.

*Stulte cogitationes gaudii, tristitia, dolorum*

§. 14. Hinc evenit porro, ut suis cogitationibus stulta non minus gaudia, quam dolores non necessarios & frustraneos excitet. Nam futuram suam dignitatem, conjugium &c: suavissime sibi delineat, promissa patronorum pro evangelio agnoscit atque veneratur. Sed quod si deinde experiatur, quantum aberraverit, non potest non de vano suo conceptu & irrita spe contristari. Enim vero perpendere debuisse, omnia & ipsam quoque commoditatem sua ferre incommoda secum, homines mentiri, inter os & ossam multa accidere. Ut taceamus gaudia, quæ homines ex rebus sibi noxiis atque inhonestis excitant.

*Falso supposita.*

§. 15. Persvadent etiam multi sibi falso, essentiam hominis consistere in intellectu, homines unius ejusdemque esse natura,

turā, voluntatem dirigi ab intellectu, ipsam libertatem habere intrinsecam, ita, ut voluntas plane cogi non possit.

§. 16. Homines res sibi noxias concupiscunt, utiles autem bonasque respiciunt ac repudiant. Sentiunt quidem veri boni in se desiderium, sed ob nimiam suam, qua laborant, inconstantiam, id non debite prosequuntur, adeoque nec assequuntur. Nam illud boni desiderium plerumque ex passione exsatiata, vel tempore infortunii oritur; unde regulariter cessantibus suis causis cessare solet.

*Stolida maximum Desideria.*

§. 17. Plura nimis vehementer appetunt: omnis vero vehementia est periculosissima. Quodsi desiderata possident, non amplius curant, sed fastidiunt ea & abjicere satagunt. Inde in vulgus abiit illud: Nullum vehemens est diuturnum. Ratio autem hæc est, quod ejusmodi subitaneum desiderium non oritur ex expensis circumstantiis, adeoque fundamento careat, nec diu proinde possit durare.

*Appetitus inordinatus.*

§. 18. Homines quoque impatientia sua impediunt, quo minus bono presenti recte fruantur, mala vero longe sensibilius patiuntur. Ex quo & hoc fluit, ut id saltem pro bono habeant, quod sensibilibus ipsos afficit; cætera, quæque autem vel

*Impatientia amoris que sensibilibus.*

E cen-

contemnant, vel saltem pro bono non agnoscant.

*Bonum  
falsum  
Passionis  
dominan-  
tis.*

§. 19. Omnes fere id solum pro vero bono reputant, quod convenit cum passione sua dominante, s. quod secundum hanc optant, credentes, secum alios in intellectu quoque hujus rei, tanquam certissimæ veritatis, esse convictos. Ita Chineses amplectuntur quidem dogmata reliqua Christianorum, quod vero Polygamia Christianum dedecet, credere nolunt. Ita Mandarinii acceptant præcepta Christianismi, quod autem Christianus abstinere debeat a concubinato, vix illis aliquis poterit persuadere.

*Curiositas  
inutilis.*

§. 20. Multi scrutantur & sectantur mere curiosa, circulos formant, speculantur Planetas cum inhabitatoribus eorum, tubos machinasque inveniunt, ipsam Dei essentiam anxie inquirunt &c: res vero ad suam felicitatem & tranquillitatem spectantes susque deque habere solent.

*Veritas nec  
bona nec  
mala est.*

§. 21. Quærunt summam felicitatem in veritatum cognitione atque inventione; cum tamen veritas æque ac ignorantia nec bona sit, nec mala.

*Probatio,  
quod Veri-  
tas sit in-  
differens.*

§. 22. Consistit enim veritas in nuda convenientia subjecti atque prædicati, abstrahendo ab omni operatione v. g. pi-  
leus

leus est rotundus; rotundum esse sane nihil operatur. Econtra bonitas semper consistit in operatione & assistentia certæ rei v. g. sic Medicina est homini bona i. e. usum ipsi præstat atque aliquid in eo operatur.

§. 23. Dices: utilitatem in eo consi- *Objectione.*  
stere, quod cognitio veritatum perficiat intellectum excolatque, ac quod veritas in præsentis inutilis, reservanda sit uti futuro: nam sæpe, propositionem inutilem, successu temporis factam, fuisse, utilem.

Vid. Tfirmhausen in Medic. Ment. p. 13.

§. 24. Enimvero ita disciplina quævis *Responsio*  
inutilis posset excusari. Una hirundo *ad Obj.*  
ver non facit, & labor circa plurimas speculationes vanas consumtus, nullam habet proportionem cum utilitate illa, sæpe quoque incassum sperata. Neque homo ideo in mundo degit, ut incerta speculetur, sed ut bene & recte agat vivatque. Ergo non opus est perfectione in infinitum.

Conf. Ill. Thomasi cautel. circa Præcogn. Jurisprud. c. i.

§. 25. Omnes igitur in ore gerunt ve- *Veritas*  
ritatem, hanc indefesso labore indagant *frustra*  
& venantur, propriis tamen sensibus haud *quæsitafal-*  
fidunt, sed ipsis reclamant, & hinc plura *soque cre-*  
*dita.*

E 2

pro

pro infallibili veritate aliis venditant, quæ  
ne umbram quidem veritatis habent.

Vid. III. Thomasi Verumst. Lehre c. 6.

*Bonum*

*partis præ-  
fertur bono  
totius.*

§. 26. Illud, quod passionem dominantem  
temauct, pro maximo æstimant bono  
interim bonum totius hominis flocc  
pendentes, quod tamen multo est excel  
lentius, sicque bonum partis præferunt  
bono totius; imo illud alterum, ne bonum  
quidem nomen meretur.

*Bono ordi-  
nario præ-  
fertur ex-  
traordina-  
rium.*

§. 27. Statum extraordinarium plu-  
amant plarisque faciunt, quam ordina-  
rium; ac ipsum adeo bonum extraordi-  
narium, pro majori bono habent, quam  
ordinarium.

*De bono  
maloque  
positivo ac  
privativo.*

§. 28. Imo bonum positivum præfe-  
runt bono privativo; malum vero pri-  
vativum magis fugiunt, quam positivum.

*De Statu  
ordinario  
& extraor-  
dinario.*

§. 29. Considerari enim potest homo  
secundum duplicem statum: Nam vel  
vivit in statu ordinario, in quo plena tam  
animi, quam corporis gaudet sanitate;  
& in hoc statu bonum est ordinarium.  
Extraordinarius vero est, in quo homo  
quoad corpus ægrotat, quoad animam  
altem vitiis atque erroribus est obrutus;  
& in hoc statu bonum est extraordina-  
rium.

Vid. III. Thomasi Sitten-Lehr c. 1.

*Boni positi-  
vi ac priva-*

§. 30. Bonum positivum consistit in

æ-



sequiſitione alicujus rei, quæ nobis eſt *civi deſi-*  
 chara: Bonum verò privativum in deli- *cio,*  
 beratione ex malo aliquo, quod nos pre-  
 mit.

§. 31. Putant homines dari bonum ve- *Falsus con-*  
 rum, quod aut honeſtum, aut utile, aut *ceptus boni*  
 jucundum ſit; cum tamen nullum detur *veri,*  
 verum bonum, quod non ſimul ſit & ho-  
 neſtum, & utile, & jucundum.

Vid. III. Thomafius cit. loc. cap. 1.

§. 32. Omnes fere ſpem capiunt ex re- *Vna ſpes*  
 bus impoſſibilibus, timent vero poſſibi- *impoſſibili-*  
 lia. Itaque de die in diem differunt e- *um, timor-*  
 mendationem ſui ipſius, vel eam habent *que poſſibi-*  
 pro ſupernaturali, ad quam medijs natu- *lium.*  
 ralibus nullo modo poſſit perveniri.

§. 33. Omnes cognofcunt vitia deſe- *Amor ſuæ*  
 ctusque aliorum, conſilia aliis imperti- *inordina-*  
 unt, in aliorum actionibus cenſendis ſunt *tus.*  
 acutiſſimi, propria autem vitia non  
 vident, propriam ſtultitiam non a-  
 gnoſcunt, ſibi que ipſis ac rebus ſuis con-  
 ſulere neſciunt, & nihilominus ſibi tan-  
 quam prudentiſſimi atque ſapientiſſimi  
 perſolent.

§. 34. Dum itaque proprios ſuos de *Philantie*  
 ſectus haud agnoſcunt, plurima ſua vitia *hujus fru-*  
 aliis pro virtutibus quoque venditant & *ctus peſſimi.*  
 Cœlum terramque movent, ſi alii ſecus  
 ſentiant. Ita quotidie credulitas ſe oc-

cuitatibus vocabulo fidei, pertinacia habetur pro constantia, ira & vindicta nomen Zeli divini allumit, imo stupenda vitia sub prætextu religionis, pietatis, orthodoxiæ latitant.

*Religio Pi-  
etasque fa-  
mulata.*

§ 31. Eccui ignotum esset, quomodo religio ac Pietas apud plurimos fucetur atque coloretur? ita, ut externe quidem Deum colant, internus vero eorum cultus nihil aliud sit, quam metus humanus atque servilis, i. e. superstitio vel ipse atheismus?

*Momenta-  
neum plus æ  
quo amu-  
mus.*

§ 36. Momentaneum quoque bonum pluris æstimatur plurimis, quam perpetuum.

*Felicitatis  
falsus con-  
ceptus in-  
eptaque  
media.*

§ 37. Ponunt & homines felicitatem in his rebus, quibus maxime sunt infelices, & dum anhelant felicitatem, accerant miseriam, ac quia plerumque ineptis utuntur mediis, non solum adaugent, sed perpetuam & quasi fixam, s. stabilem suam reddunt infelicitatem.

*Quietem  
impediunt  
cupiditates  
nimie.*

38. Omnes sibi vocant quietem, huiusque carentia infelices sese fore facile sentiunt, sed hanc ipsam quietem in ejusmodi quærunt rebus, quæ loco quietis maximam pariunt inquietem. Terminum sibi abstinendi a cupiditatibus præfigunt, quem vero plerumque transiliunt, vel eo ægerrime exantlato novos sibi fines statuunt. Frænum laxant cupiditatibus, &

ita diminuere affectus conantur; cum tamen hoc modo corpus quidem debilitent, sed affectibus majores subinde vires superaddant.

§. 39. Omnes aliis suppeditant consilia *Consilia*  
& ab omnibus tamen consilia conquirunt. *quisque*

§. 40. Omnes laudant honestum, per *quærit.*  
quod tamen nil aliud intelligunt, quam *Erroneus*  
id, quod congruit passioni suæ dominan- *honesti con-*  
ti, ita ut pro cujusque sententia vel cap- *ceptus.*  
tu infinitæ prope darentur honesti defi-  
nitiones. Quod enim Titius judicat ho-  
nestum, tanquam inhonestum repudiat  
Mævius; quo fit, e. g. ut unus commen-  
det comœdias, saltationem, concubina-  
tum &c: alter autem ea omnia diris de-  
voveat atque damnet.

§. 41. Omnes quidem plenis buccis *Falsus con-*  
collaudant decorum, sed & unusquisque *ceptus de-*  
illud sibi concipit secundum passionem *cori.*  
suam dominantem. Titius e. g. ut opus  
Satanae execratur saltationes, suspiria  
mittit, si quos aliorum in salutem bibere  
videat &c: Mævius hæc miratur, in Cœ-  
lum extollit & summo cum fervore de-  
fendit, tanquam ad amorem Procerum  
conciliandum maxime necessaria

§. 42. Eadem de causa homines diver- *Falsus con-*  
sos sibi formant conceptus de pulchro, *ceptus, pul-*  
ameno, præstanti, perfecto &c: Et rea- *chri. &c.*

ipse experimur omnia, quæ ut pulchrâ  
amœna &c: sibi homines concipiunt.  
plerumque esse imperfecta, noxia, imo  
& rectæ rationi adversantia.

Nihil obstat, quod Pythagoras generalem pul-  
chri definitionem invenerit, quod scilicet sit pro-  
portionabile; qui tamen determinare non po-  
tuit, in quonam objecto præcipue illa propor-  
tio sit inveniendâ.

*Servitute  
delectamur  
præ liber-  
tate.*

§. 43. Omnes libertatem tanquam in-  
estimabile quid prædicant, & tamen non  
illa, sed servitutem tantum delectantur.  
Quæ tam misera servitus, quam avari?  
quis pro majori mancipio habendus est,  
quam voluptuosus, imo quæ captivitas  
gravior atque intolerabilior, quam ea,  
cui adstringitur & adstringit se ambitio-  
sus? Homines igitur dum captant liber-  
tatem, ipsam fugiunt, & dum fugiunt  
servitutem, hanc ipsam anxie captant.

*Rerum  
proprieta-  
tem mox  
fastidi-  
mus.*

§. 44. Omnes cupiunt rerum propri-  
etatem, res tamen propriæ mox il-  
lis vilescunt, usumque rerum alienarum  
majoris ducunt, quam propriarum. In-  
de infinita sunt exorta commercia, per-  
mutationes rerum &c.

*De impe-  
rio in alios  
ac servitu-  
te.*

§. 45. Omnes affectant imperium in a-  
liis, servire tamen & aliis student. Hæc  
saltim intercedit differentia: ambitiosi  
vi aliis imperare satagunt, voluptuosi  
vero precario, & clam avari. Imponitur  
ser-

servitus ambitiosis precario, avaris clam, voluptuosi autem vi trahuntur sub jugum.

§. 46. Omnes immerfi sunt præjudiciis hac saltem cum differentia, quod uni magis inhæreamus & indulgeamus, quam alteri.

*Præjudicia communia.*

§. 47. Quemadmodum vero duplicia sunt præjudicia nempe auctoritatis ac precipitantia: ita illa ab alijs per irrationalem ipsorum amorem & imitationem haurimus, hæc autem ipsimet efformamus per philantiam, impatientiam &c.

*Præjudiciorum auctoritatis ac precipitantia origo.*

Conf. III. Thomastus in der Vernunft, Lehre Cap. ult: Interim quam exacte hæc ibi pertractata sint, observationes tamen artis cogitandi sua jueunditate non destituuntur. Nam scire rem per pauca, est quidem rem exacte scire; specialius tamen scire, est scire amœnius.

§. 48. In his omnibus aliisque infinitis homines quidem conveniunt, unanimestamen hanc ob causam esse non videntur, sed potius intuitu status naturalis cum Hobbesio sentire cogimur, quod status hic naturalis nihil sit aliud, quam bellum omnium contra omnes.

*Status naturalis est Status belli*

§. 49. Ut eo melius percipere queamus non solum, in quonam homines differant, sed & hujus differentia causa, necesse est, ut accuratius nonnihil naturam temperamentorum investigemus.

*Differunt homines ob Temperamenta.*

*Homo ex quo constat?*

*Corpus ex quibus constat?*

§. 50. Hominem ex anima atque corpore constare, extra dubium est.

§. 51. Corpus si consideramus, notum ex Physica suppono, illud non esse simplex, sed compositum, & ideo ex elementis combinatum a veteribus credebatur. Rectius autem nos facturos arbitror, si ante omnia sanguinem in Corpore contemplemur.

*De sanguine in corpore humano.*

§. 52. Invenitur quidem sanguis in omnibus corporibus humanis; qui varie mixtus, & ita temperatus est, ut sanguis ex diversis constet partibus.

*Ejus divisio.*

§. 53. Est igitur sanguis vel fluidus, vel pinguis, vel terrestris.

*Ipsius indicia ac partes.*

§. 54. Fluiditas aquam, soliditas terram, pinguedo vero ignem significat.

*Effectus varii.*

§. 55. Aqua efficit, ut corpora sint flexibilia, terra, ut solida sint, pinguedo autem motum corporum caloremque producit.

*Aër non aëque separatim observatur.*

§. 56. Aëris s. ætheris ideo nullam mentionem facio, quia omnes sanguinis partes penetrat, seorsimque haud observatur.

*Inæqualitas portionum sanguinis.*

§. 57. Deprehenditur vero in quolibet corpore inæqualis harum partium mixtura, & una præ reliquis dominatur atque eminet.

§. 58.

§. 58. Itaque sicut a potiori fieri solet *Pars do-*  
 denominatio: ita pars præ aliis eminentis *minans*  
 cæterasque partes viribus superans, si- *sanguinis*  
 gnat temperamentum. *notas Tem-*

§. 59. Quia ergo vel ignis, vel aqua, *peramen-*  
 vel terra prædominatur, proinde tria ad- *tum.*  
 modum oriuntur temperamenta, nimi- *Hinc tria*  
 rum cholericum, voluptuosum, melan- *sunt. Tem-*  
 cholicum. *peramen-*  
*ta.*

§. 60. Utuntur quidem Chymici aliis *Chymica*  
 terminis, videlicet sulphuris, Salis & *Denomi-*  
 Mercurii, sed in re ipsa conveniunt no- *natio ignis,*  
 biscum, Nam Sulphur, tanquam oleo- *aqua, ter-*  
 sum quid, ignem, Mercurius, fluidum. *re.*  
 aquam, Sal vero terram denotat.

§. 61. Eodem modo se habet cum ea *Alia Nomi-*  
 lido, humido & frigido. Calidum e- *nu ignis, a-*  
 nim nihil est aliud quam ignis, Humi- *que, terre.*  
 dum aqua, frigidum terra.

§. 62. Ex his facile potest dijudicari, *Varia di-*  
 cur in corpore humano dispositio hæc *positio ef-*  
 sanguinis varians, varios quoque produ- *fectusque i)*  
 cat effectus. *sanguinis*

§. 63. In temperamento cholericò ma- *Dispositio*  
 teria pinguis atque facile inflammabilis *effectusque*  
 occurrit, itemque calor, pulsus ac mo- *Tempera-*  
 tus vehementissimus & celerrimus; quo *menti Cho-*  
 fit, ut vasa maxime sint capacia, meatus *lerici.*  
 vero sive partes porosæ admodum stri-  
 ctæ; corpus quoque propter ignem ve-  
 he-

hementesque motus siccum, aridum ac tenue est.

2) *Temperamenti sanguinei.*

§. 64. Ubi voluptas dominatur, ibi fluidæ partes prævalent, motus sanguinis pene semper æqualis & moderatus est, atque hanc ob causam vasa non admodum sunt capacia, meatus autem vel partes porosæ laxæ admodum & spongiosæ; corpus vegetum atque ob copiam succi alimentique nimis laxum.

3) *Temperamenti melancholici.*

§. 65. In temperamento melancholico terra est potior, motus sanguinis nimis lentus ob materiam spissam ac limosam; quamobrem magno propulsu opus habet; vasa supra modum capacia, partes vero porosæ valde strictæ sunt. Huius temperamenti homines in omnibus actionibus lente procedunt, sunt facie fusca, & malo hypochondriaco atque obstructionibus subiecti.

*Temperamenti perfecta cognitio non datur.*

§. 66. Hæc autem sanguinis mixtura in omnibus singulisque hominibus ita variat, ut quamvis in omni sanguine hæc tria principia inveniantur, proportio tamen vix determinari queat, nempe quoto gradu vel cholera, vel sanguis, vel melancholia in homine reperiatur.

*Datur tâmen ejus cognitio generalis.*

§. 67. Atque ideo generaliter saltem respicere debemus ad præcipuum sive principium potius i. e. ad id, quod præ reli-



reliquis duobus eminent, & quod post hoc sequitur sive proximum est, ita, ut hic vocetur sanguineo cholericus, ille melancholico-cholericus, alius sanguineo melancholicus.

Ex instituto, de hac materia egit Excellentiss. Dn. D. Stalius in Diss. de Temperamentis.

§. 68. Intima conjunctio animæ cum corpore efficit, ut hoc cum illa, & vice versa patiatur; quare anima quoque necesse habet, ut actiones suas secundum corporis dispositionem instituat, motuque corporis pro varia sanguinis mixtura alteretur.

*Anima cum corpore conjunctio ac Sympathia.*

§. 69. Prout igitur motus sanguinis est vehemens, vel lentus, vel temperatus, ita etiam anima procedit in suis actionibus.

*Anima se accommodat motibus sanguinis.*

§. 70. Sanguinei itaque sunt alacres, nihil solliciti, ad omnia faciles, immodica jucunditatum cupidine flagrantes, gulosi, luxuriosi, ignavi, otiosi, impatientes, meticulosi, serviles, iracundiæ subitanæ, molles & effæminati, præcipitantes, garruli, turpis prodigalitatæ, turpiter officiosi, intempestive misericordes.

*Signa sanguinei ac voluptuosi.*

§. 71. Cholericæ temperamenti homines sive ambitiosi sunt in agendo expectati, veloces, vigiles, immodicæ gloriæ avidi.

*Caractères Cholericæ & ambitiosi.*

avidissimi, jejuni, abstinentes, intensibiles, parci, inquieti, contemptores aliorum, vindictæ cupidi, obstinati, reticentes, magnifici, violenter officiosi, immisericordes &c.

*Melancho-  
lici avari-  
que indi-  
cia.*

§. 72. Melancholici tardi, nimia opum cupiditate vexati, bestiales, fame, siti & misogynia laborantes, sordidi, vigiles, insomnes, in labore assidui, constantes, trepidi, anxii, furiosi, inflati, jactabundi, parasitæ, iræ dissimulatores, clandestinæ vindictæ studiosi, fraudulentissimi, mendaces, simulatores, immisericordes, tenaces, invidi.

*Sanguinei  
ingenium,  
studia mo-  
resque-*

§. 73. Quoad intellectum quoque inter se variant. Sanguinei enim si voluptati dediti proprium est ingenium; hinc ad inventiones, fictiones atque omnia studia ingenium requirentia maxime apti, Oratores, Poëtæ &c. sunt, & præterea creduli, audientes rationes aliorum, in inquirenda tamen retinendaque veritate maxime fluctuantes ac in meditationibus impatientes. Faciles & flexiles sunt in gerendis negotiis, atque in consiliis suppeditandis prompti.

*Melancho-  
lici Studia  
ac mores.*

§. 74. Melancholici memoria pollentes sunt ad studia illam poscentia aptissimi, ut sunt studia homiletica, historica, Oratoria, Cosmologica, mathematica,

ca,

ca, Physica &c. sunt & superstitiosi, ad Enthufiasmum proclives, subtilitatibus profunde inhærentes, meditabundi, irrationabili modo pertinaces, omnes rationes respuentes.

§. 75. Cholericis iudicio excellunt & i- *Cholericis*  
 deo ad omnia studia theoretica maxime *dotes ani-*  
 idonei sunt, nec minus ad res gerendas *mi, studia,*  
 & feliciter exequendas, ut & ad confi- *mores. &c.*  
 lia danda, sunt præterea quoque perti-  
 naces, etiam in defendendis suis aut ali-  
 orum erroribus.

§. 76. Si considerentur tria ista homi *Speciatim*  
 num genera ratione officiorum, quæ no- *sanguinei*  
 bis incumbunt; sanguinei s. voluptuosi *2) Religio-*  
 omnia fere erga Deum officia negligunt. *nem vix*  
 Ignavia ipsorum non admittit, ut vel se- *curant.*  
 mel de Religionis veritate serio cogi-  
 tent, sed potius credunt id, quod Eccle-  
 sia credit, veritatem ipsam haud sub exa-  
 men vocantes. Non tamen sunt perfe-  
 cutores, sed ex adverso ad quasque se-  
 ctas tolerandas atque conciliandas, imo  
 ad ipsum Syncretismum quam maxime  
 inclinant.

§. 77. Agnoscunt quidem omnium *2) Emen-*  
 promptissime propriam suam stultitiam, *dationem*  
 sed sunt inconstantes ac languidi, eoque *suam ne-*  
 fit, ut rapiantur quidem nonnunquam, *gligunt.*  
 impetu tamen saltem quodam, ad emen-  
 da-

dationem : nam quando occasio se offert satisfaciendi suis libidinibus, plane immemores sunt omnis emendationis, semper divinae misericordiae immensitatem, & humanae naturae imbecillitatem, moniti quoque de sua emendatione, praetexunt

§. 78. Ratione officiorum erga se ipsum peccant non solum sua ignavia, sed & intemperantia, graves sibi attrahunt morbos & bona dilapidant, adeo, ut facile ad paupertatem atque incitas redigantur, & dum nil magis, quam mortem doloresque metuunt, nemo magis quam illi dolores ac mortem accersit.

§. 79. Quoad officia erga alios non quidem inclinant ad nocendum aliis, sed potius ad officia humanitatis aliis exhibenda; eorum tamen ignavia, inconstantia ac laborum impatientia haud permittit, ut aliis inferviant, imo vitiis illis eo adductantur, ut pacta quoque violent, mentiantur aliosque defraudare nihil vereantur; & sicut in omnibus suis actionibus inconstantiam produnt: ita eorum amicitiae haud magna habenda est fides.

§. 80. Cholericis & ambitiosis respectu officiorum erga Deum maxime ad atheismum sunt proclives &, dum pra alii sapere gestiunt, facile novas

am-

3) in se  
ipsum peccant:

4) quomodo  
erga alios se gerant:

Cholericis  
quomodo se  
gerant i)  
erga Deum.

amplectuntur opiniones, quas tam pertinaciter defendunt, ut martirium ipsum ea de causa subire haud subterfugiant: alias externi cultus strenui sunt observatores, si res ita exigat.

§1. Officia erga se ipsum parum <sup>2) erga se</sup> observant: nam emendari vix possunt; <sup>met ipsos.</sup> quia philantia sua ita dementantur, ut stultitiam suam non cognoscant, sed ambitionem credant esse virtutem; alias sunt laboriosissimi & maxime inquieti, atque nil, nisi magna spirantes, mortem praematuram, subito, inopinatoque sibi accelerant.

§. 82. Erga alios ita se gerunt, ut, cum <sup>3) erga alios.</sup> quam maxime possint, nolint aliis opem praestare, certe rarissime alios juvant, & auxilio praestito adorari postulant, imo omnia praecipua moralia violant gloriae ac libidinis imperandi causa, & ut hunc finem suum adipiscantur, scelera quaeque nefanda perpetrant, atque in alios saeviunt. Caeterum, licet eminentiam pra aliis affectent, decorum tamen plurimum stricte observant & ab aliis observari volunt, jubentque; munditiam amant, sed sine mollitie effaeminata atque inepta ostentatione.

§. 83. Melancholici & avari quoad officia erga Deum inclinant ad superstitionem, idololatriam & Enthusiasmum. <sup>Melancholici prout se gerunt i) erga Deum.</sup>

F

Quare

Quare Deum quidem cultu, & quidem maxime externo, strenue præ aliis prosequuntur, sed utilitatis gratia modoque plane perverso, superstitioso, idololatrigo, stulto & qui omnem iudicii defectum indicat abunde.

2) erga se  
ipsos.

§ 84. Ratione sui ipsius, omittit avarus, omnia officia, & cupidine acquirendi divitias, excœcatus, neque animæ, neque corporis sui, curam gerit. Quod enim animam concernit, ipsius intellectus non cognoscit turpitudinem avaritiæ, imo omni cognitione sui ipsius destituitur, vel certe ejusmodi homo ob pravitatem voluntatis, si videat meliora probetque, deteriora tamen sequitur. Corpus destruit per continuas vigilias, labores indefessos, curas vanas nimiamque tristitiam, quin etiam, sibi ipsi, manus inferre violentas, haud erubescit.

3) erga alios.

§. 85. Erga alios est immisericors, invidus, perfidus, persecutor aliorum, crudelis, hæretifex, nemini benefacit, neque ad ulla officia humanitatis aliis exhibenda obligatum se putat. Decorum est negligentissimus, neque humanus neque urbanus, severus, querulus, vilissimis ac sordidis vestibus indutus, aliorum bonis inhians, hæredipeta, religioni sibi haud ducens committere turpissima quæque lucri faciendi causa.

§. 86.

§. 86. Patet simul ex hæcenus dictis, De Passio-  
 quod una passio præ altera magis homi-  
 nes idoneos reddat ad eruditionem, im-  
 perium, honores, divitias parandas &c.

Disquiri adhuc posset: An sapiens possit esse di-  
 ves, potens &c. Vid. Tr. Gall la vanite des Sciences.

§. 87. Mixtura vero harum trium passio-  
 num, voluptatis scil. ambitionis & ava-  
 ritæ, infinitis modis discernitur, ita, ut  
 tot diversæ dentur mixturæ, quot dantur  
 homines; eodem modo, ut in coloribus  
 dantur quinque colores principales, quo-  
 rum autem diversa mixtura infinitas  
 quasi colorum species producit. Se-  
 cundum igitur diversam affectuum mix-  
 turam diversi quoque existunt homines,  
 & quot capita, tot sensus.

§. 88 Ita mixtura voluptatis & ambi-  
 tionis efficit, ut homines evadant pru-  
 dentes, legislatores, doctores sapientiæ,  
 milites circumspecti, atque ad omnia ne-  
 gotia, tam belli, quam pacis apti, non æ-  
 que tamen ad ea negotia, quæ multum  
 simulationis & taciturnitatis polcunt,  
 neque ad mutationem status finesque ar-  
 mis extendendos. Præterea & hoc la-  
 borant vitio, ut facile tentationibus se-  
 xus fæminini succumbant. Exempla ta-  
 lium Virorum præbent David, Salomon,  
 Julius Cæsar, Augustus, Cardinalis Co-  
 minæus &c.

*Effectus  
mixtura  
ambitionis  
ac avari-  
tiae.*

§. 89. Mixtura ambitionis & avaritiae est character sic dictorum heroum, Principum Ducumque magnorum, per naturam aptorum ad mutationes status publici. ad negotia arcana, ad reditus publicos augendos, ad fidem propagandam. Exempla talium habemus in Rege Saul, Pontifice Sixto V, Carolo V, Ferdinando catholico &c.

*Effectus  
mixtura a-  
varitiae &  
voluptatis.*

§. 90. Mixtura avaritiae & voluptatis est omnium miserrima, imo ita sibi contraria, ut vix concipi posset, dari mixturae hujus homines, nisi quotidiana experientia nobis suffragaretur. Est vero ea character tyrannorum crudelissimorum, hominum impudentissimorum, parasitarum, servorum natura, ad imperandum prorsus ineptorum. Exempli loco esse possunt Rex Jeroboamus, Nero, Caligula, Domitianus, Heliogabulus, Jacobus I. Rex Britanniae.

*Pblegma-  
ticum non  
est Tempe-  
ramentum,  
sed mixtu-  
ra.*

§. 91. Addunt nonnulli quartam mixturam, nimirum temperamentum phlegmaticum. Sed studio hoc omisimus: cum non speciale sit temperamentum, sed temperamenti mixtura, & quidem ipsa mixtura voluptatis atque avaritiae.

*De iis, quae  
cooperan-  
tur ad  
Tempera-  
mentum*

§. 92. Multum quoque circa temperamenta cooperatur clima, aëris temperies, educatio &c. præprimis etiam ætas. Nam



Nam ætas juvenilis magis subjacet voluptatis tentationibus, virilis magis succumbit tentationibus ambitionis; senectus denique propendet inavaritiam.

§. 93. Non tamen exinde concludere debes, ac si temperamentum ipsum mutetur. Hoc enim mihi probabile haud videtur. Nam quamvis interdum ætate, victu, laboribus, educatione gradus alteretur, massa tamen ipsa sanguinis ita mutari nequit, ut novam speciem aliquamque temperiem assumat.

*Temperamentum ipsum non mutatur.*

§. 94. Quod clima & aëris temperies multum contribuant ad temperamentorum diversitatem; facile unusquisque cognoscit, considerando diversas nationes. Nam diversi & alius utique temperamenti sunt Europæi, quam Asiatici, Africani atque Americani. In his enim tribus partibus homines pene omnes temperamento gaudent melancholico-sanguineo.

*Aër & clima alterant Temperamentum.*

§. 95. Europæos quod attinet, apud Hispanos temperamentum melancholico-cholericum, apud Gallos sanguineo-cholericum, apud Germanos melancholico-sanguineum, apud Anglos sanguineo-melancholicum, apud Scotos cholerico-melancholicum, apud Hollandos

*De Temperamento Europeanorum.*

melancholico-sanguineum &c. domina-  
ri videtur.

*De Signis  
physiognomi-  
cis quid  
versen-  
dum?*

§. 96. Non etiam negligenda sunt signa  
physiognomica, subintellige, faciei, ocu-  
lorumque imprimis dispositionem, ac to-  
tum corporis habitum. Nam si exter-  
na forma conjungatur cum illis, quæ ha-  
ctenus annotavimus, sine dubio multum  
id faciet ad cognoscendam aliorum ho-  
minum naturam.

*An Amor  
rationalis  
sit separa-  
ta Passio?*

§. 97. Constituit quidem olim Ill. Tho-  
masius quatuor passiones, nempe tribus  
passionibus recensitis adjunxit amorem  
rationalem, & ex eo demonstravit mise-  
riam generis humani, quod amor hic  
semper sit passio infima i. e. a reliquis  
tribus supprimatur; medium itaque per-  
veniendi ad felicitatem in eo consistere,  
ut tres istæ passiones potius suppriman-  
tur, amor vero rationalis sic elevetur, ut  
fiat passio dominans.

*In quo A-  
mor ratio-  
nalis confi-  
stat?*

§. 98. Sed ipse iterum hanc suam sen-  
tentiam destruxit, uti constabit ex cau-  
tel. circa Præcogn. Jurisprud. cap. 14.  
Non enim miseria in passionibus ipsis  
fundatur, sed in earum vel excessu vel  
defectu. Redige igitur easdem ad æqua-  
litatem ita, ut nulla amplius prædomine-  
tur, sed ut omnes æqualis sint proporti-  
onis, & habebis ipsum amorem rationa-  
lem;

lem, quem proinde ut separatam passionem concipere haud habebis necesse.

§. 99. Nam tribus illis passionibus ad *Probatur,*  
 æquilibrium reductis oritur Temperan- *quod confi-*  
 tia, modestia ac sufficientia; quæ rursus *stat in pas-*  
 gignunt sobrietatem, frugalitatem, ca- *tionum æ-*  
 stitatem, parsimoniam, vigilantiam, acti- *qualitate.*  
 vitem, æquanimitatem, humanitatem,  
 cordatam magnanimitatem, patientiam,  
 generositatem, sinceritatem, taciturnita-  
 tem, beneficentiam, liberalitatem, mise-  
 ricordiam, officiositatem, veram & ge-  
 nerosam prudentiam, consilium & do-  
 ctrinam morum.

§. 100. Ex quo videbis nullum homi- *Sapientie*  
 num esse tam stultum atque miserum, *felicitatis-*  
 qui non possit se emendare, hacque rati- *que omnes*  
 one pervenire ad sapientiam ac felicita- *capaces*  
 tem. *sunt.*

§. 101. Imo, quod nullus inveniatur, *Quivis a-*  
 qui non præparari atque adhiberi queat, *ptus est*  
 ad communem generis humani utilita- *prodesse,*  
 tem promovendam. *Reip.*

## CAP. IV.

De

# Normis Actionum hu- manarum, Consilio & Imperio.

F 4

§. I.

## §. I.

*Infertur  
necessitas  
Normæ A-  
ctuum  
nostrarum.*

CUM adeo, juxta præcedentia, corrupta sit natura totius generis humani, utique ut hæc in ordinem redigatur, norma aliqua necessario requiritur. Sine hac enim melius foret inter furiosos, imo pecora vitam transigere. Nam quotidiana testatur experientia, quod, poenis gravibus & atrocibus non obstantibus, tamen habeamus latrones, fures, raptores, aliosque pessimæ vitæ homines.

*Communis  
hominum  
stultitia.*

§. 2. Sed merito quæritur: unde hæc norma sit sumenda ac expectanda? quæ sane ne quidem cognosci posse videtur, ob defectum propriæ nostræ cognitionis communemque, omnium hominum stultitiam. Ecquis ergo illam suppeditabit normam? Licet enim dentur quoque sapientes, de quo minime dubito, quibus mediis eos separabimus a stultis? Certe stulti sapientes pro stultis habent, sibi vero similes stultos, sapientium titulo ornant. Si illis fides habenda esset, qui se sapientes putant ac credunt, nullus in toto mundo reperietur stultus. Nam omnes se habent pro sapientibus, imo sapientissimis; atque in hoc ipso consistit stultitia & miseria humana,

§. 3.

§. 3. Forſan putabis: Sapientiam in *De Sapien-*  
 Scriptis veterum quærendam, atque ex *tia veterum*  
 his normam eruendam ac diſcendam eſ- *inani.*  
 ſe. Sed & inibi eam non invenies. Gen-  
 tiles enim caput hoc vel prætermiſe-  
 runt, vel ſibi imaginati ſunt, ſapientiam  
 in abstracto, vel certe ſtatuertunt, ſapi-  
 entiam conſiſtere in ſpeculationibus, &  
 quoniam poſtea univerſus prope mun-  
 dus, vel Platonius, vel Stoicus factus fuit,  
 nil niſi ſpeculationes de Deo &c. in o-  
 mnium fere ſcriptis deprehendes.

Arriſit iſtis Chriſtianiſ doctrina Platonis & Sto-  
 icorum, qua diſtinguebant hominem in theore-  
 ticum & practicum. Ille credebatur perfici ſub-  
 tilitatibus Platonis de Deo; hic autem per  
*ἀπράδειαν* Stoicorum. Loca in hanc rem vide  
 in B. Jac. Thomæſii Orig. Hiſt. Philoſ. p. 86. ſq.

§. 4. Omnium optime ſapientes poſ- *Sapientes a*  
 ſunt cognoſci atque ſecerni a ſtultis, ſi *ſtultis di-*  
 hæc ſaltem, quæ jamjam ſequuntur, pro- *ſtinguendi.*  
 be advertamus.

§. 5. Stultitia hominum ſita eſt in vo- *Voluntatis*  
 luntate: qui igitur aliis normam præſcri- *ſtultitia, ac*  
 bere eoſque ad ſapientiam ac felicitatem *necceſſaria*  
 ducere intendit, voluntatis emendatio- *Emendatio.*  
 ni, debet operam navare, eoque omnes re-  
 gulas, quas proponit, dirigere.

§. 6. Hæ vero regulæ ita ſint compa- *Trium Pas-*  
 ratæ, ut oſtendant omnes tres paſſiones *ſionum E-*  
 eſſe vitioſas, & ideo emendandas; ubi *mendatio*  
F 5 ſimul *requiritur.*

simul monstretur, frustra quæri normam in emendatione solius voluptatis, vel ambitionis, vel avaritiæ, sed illam in emendatione omnium trium simul esse quærendam, adeoque eum, qui ad unicam saltem harum passionum non inclinat, nondum mereri nomen sapientis; cum omnes tres in stultitia sint pares, nihilque intersit, s. quis sit stultus ambitiosus, s. avarus, s. voluptuosus, sed sufficit, quod sit stultus.

*Sapientia  
criteria.*

§. 7. Si igitur sapientem cognoscere cupis, considera saltem, an omnem stultitiam, an vero unicam modo v. g. voluptatem emendare studeat? an sapientiam in externis quærat, in habitu, gestu, corporis motu, verborumque formulis? an sit iracundus, persecutor stultorum, austerus, *μισάνθρωπος*, pertinax &c? an extrinsece saltem benevolum se præstet? an sit misericors? an placidus, mitis, humilis erga alios? an humilis placidusque sit erga omnes, an solum erga potentes ac divites? Sapiens enim non quidem degenerat in stultum, sed simulat tamen stultitiam, suo loco atque tempore, imo fit omnibus omnia, accommodat se stultorum genio, ridet cum ridentibus, plorat cum plorantibus.

Re-

Recte ait Epictetus : optima vita est tolerare posse. Hinc totam Philosophiam complectebatur his duobus verbis: sustine, abstine. Huc quoque spectat Gratiani axiom. 133. savoir souffrir les fots; & ax. 159. etre plutot fou avec tous, que sage tout seul, & etre plutot sage avec les autres, que fou sans compaignon.

§. 8. In singularitate enim, si ita loqui liceat, fuga & averfatione humanæ societatis, conversationis ac affabilitatis confistit verus character stultorum, Pharifæorum, Stoicorum &c. In eo latet stultitia omnium periculofiffima, quæ republ. evertit, tyrannidem sæviffimam progignit, bella injusta concitat, atque ex hominibus facit bruta & mancipia.

§. 9. Non autem expectandus est perfecte sapiens, qui certe non datur: manemus enim homines, omnemque imbecillitatem ac stultitiam deponere, non patitur natura humana; cum sapiente igitur in medio gradu fimus contenti.

§. 10. Possunt vero omnes omnino homines perducì ad sapientiam, cujuscunque etiam sint temperamenti, ac de nullo, quamvis pessimo, est desperandum; licet unus præ altero, facilius ad eam possit pervenire.

§. 11. Cum autem nemo nascatur sapiens, experientia, & quidem cum meditatione conjuncta, efficit sapientem. Experi-

*Stultitie  
character.*

*Perfekte  
Sapiens  
non datur.*

*Communis  
Sapientie  
capacitas  
gradu ta-  
men dif-  
fert.*

*Medium  
pervenien-  
di ad Sapi-  
entiam.*

perientia enim sola reddit modo homines astutos, & ideo sola non est sufficiens.

*Senes an sint sapientiores juvenibus?*

§. 12. Nec ex eo sequitur, ac si omnes senes essent sapientes, omnes vero juvenes stulti. Concedimus quidem, quod senes propter experientiam juvenes sapientia longe superare, sicque apti & dignissimi esse possint, qui normam præscribant; attamen apud plurimos temperamentum & aliæ circumstantiæ in causa sunt, ut maneat in sua stultitia & plures sæpe inveniuntur stulti in ætate senili, quam juvenili.

*Temperamentum aliud alteri præferendum.*

§. 13. Temperamenta quod attinet, nullum in se hominem reddit ineptum ad Sapientiam; unum tamen præ altero aptius est ad normam aliis præscribendam aliorumque actiones dirigendas.

*Quanam mixtura Temperamenti præbet reliquis?*

§. 14. Mixtura enim ambitionis & avaritiæ homines reddit pronos ad aliorum omnium odium, contemptum, imo persecutionem, hæretificationem ac austeritatem. Mixtura voluptatis atque avaritiæ inclinatur ad principia phantastica, enthusiasmum &c: Maxime omnium vero aptum ad sapientiam reddit hominem mixtura voluptatis & ambitionis.

Conf. III, Thomaf. prax, Ethic. c. 12.

*Aliorum opinio de*

§. 15. Sed investigandum nunc est, in quo-



quonam norma ista consistat. Nam alii *Norma A-*  
illam ponunt in principiis innatis; alii *ctionum.*  
in conscientia uniuscujusque hominis  
propria.

§. 16. Utraque opinio mihi se haud *Cur ea non*  
probat. Nam quod spectat ad principia *consistat in*  
innata, ea saltem consistere videntur in *Principiis*  
cerebro nonnullorum Philosophorum, *innatis?*  
uti pluribus docuit Loock de Intell. hum.  
L. 1. c. 2. cui contradicere annisus D.  
Buddeus in Theologia morali P. 2. c. 2.  
§. 5. in not. p. m 425.

§. 17. Verum hanc controversiam ita *Uterior*  
mihi concipio: aut intelliguntur *Deductio*  
principiis innatis practicis, præcepta mo- *hujus con-*  
ralia, cerebro hominis ita impressa, ut sine *troverſiæ.*  
omni probationis subsidio, homini inno-  
tescant, omnesque homines de iis con-  
veniant; aut vero talia præcepta, quibus  
unusquisque facile assentitur, si recta u-  
tatur ratione, debitamque adhibeat atten-  
tionem.

§. 18. Prius omnino nego accu Lo- *Cur Præ-*  
ckio argumentor: Si nullæ plane ideæ *cepta mo-*  
hominis cerebro sunt impressæ, sed om- *ralia non*  
nes ab experientia sumunt originem, *sint inna-*  
multo minus præcepta moralia poterunt *ta?*  
esse innata. Qui enim ne ideam quidem  
habet læsionis, multo minus habet ide-  
am præcepti, quod nemo debeat lædi.  
Po-

Posterius autem affirmo, quod & Lockius nunquam negavit. Nam extra dubium positum existimo, quod omnes homines, si rectam rectam rationem ejusque ductum sequantur, omnia præcepta moralia comprehendant ac convinci possint, quod secundum hæc, tanquam normam, actiones suas debeant dirigere; & ita interpretor dictum Pauli Rom. 2. v. 15. cum Clerico in arte critica P. 2. sect. 1. c. 4. §. 10. Dissensum vero Dn. D. Buddei ad *λογομαχίαν* redire persuasus sum.

Optarem, ut celes Dn. Buddeus abstinuisset, atheismi aut Socinianismi eos arguere, qui Lockii opinionem defendunt. Nam sicut patet ex illius scripto de atheismo, est facile, dissentientes atheismi accusare, sed difficilis probatio.

*Conscientiæ Definitio.*

§. 19. Conscientia nihil est aliud, quam judicium singulare, intellectus proprii cuiusque hominis de bono & malo.

*Quousque ea ad intellectum voluntatemve spectet?*

§. 20 Referenda itaque conscientia ad intellectum; dum vero intellectus iudicat de bono & malo, fit evidens, quod voluntas concurrat s. cooperetur, adeoque iudicium hoc simul dependeat a voluntate.

*De corruptione rationis ac conscientia.*

§. 21. Ratio autem, juxta hætenus dicta, est vel recta, vel corrupta. Hæc sæpe efficit, ut homines malum præ bono eligant sibi que persuadeant, in malo ipso sum-

summum se possidere bonum: quo ipso quoque conscientia non potest non fieri corruptissima, sæpiusque evenit, ut, quod unus conscientia motus fugit ceu malum, alter velut bonum quid, prosequatur, ut sæpissime homines, in rebus parvi vel nullius momenti, scrupulum sibi aliisque moveant, maxima vero delicta sine nullo conscientia scrupulo committant.

§. 22. Qui ratione destituuntur, eo ipso etiam destituuntur conscientia e. g. *Quisnam caret conscientia?* mente capti, furiosi, infantes. Imo & is, qui non ratiocinatur, conscientia caret i. e. non judicat de bono malove.

§. 23. Dividitur autem conscientia diversimode, nempe in rectam, vel erroneam, in probabilem, vel dubiam, vel scrupulosam &c; *Divisiones Conscientia varia.*

§. 24. Recta conscientia dicitur, quando vere cognoscimus, quæ ratio recta dicitur, nobisque Deus, in Verbo suo revelavit, ac per consequens, quæ facere, vel omittere debemus. *Definitio Conscientia recta.*

§. 25. Erronea conscientia est, si putamus quidem, rem perfecte nobis esse cognitam, atque hinc præcipitanter & perperam eam affirmamus, aut negamus. *Conscientia erronea definitio.*

§. 26. Dubiam Conscientiam vocamus, quando in dubio adhuc hæremus inscii, an rem affirmare, an vero negare debeamus. *Conscientia dubia quid dicatur.*

§. 27.

*Homonymia Conscientie dubia.*

§. 27. Hæc a plurimis non agnoscitur pro conscientia. Sed res ad λογισμασίαν redit. Si enim dubitare idem esse dicis, ac suum suspendere iudicium, tunc omnino non potest haberi pro conscientia; si vero dubium appellas id, quod verisimile est, utique datur conscientia dubia; sed tunc coincidit cum Conscientia probabili & sub hac comprehenditur.

*Definitio Conscientie probabilis.*

§. 28. Est autem Conscientia probabilis, quæ se fundat in verisimilitudine v. g. Titius dicit, prohiberi in S. Scriptura ebrietatem, quod ego verum esse iudico, quia Titius hoc dixit.

*De Probabilismo Jesuitarum.*

§. 29. Inde primordia sumsit probabilismus, quo Jesuitarum cohors ignorantibus ac incautæ plebi persuasit, salva conscientia delicta, atrocissima committi posse, si director Conscientiæ, vel alii de Ecclesia meriti viri id permittant & pro licito habeant.

Gonf. Montaltus i. e. Paschalius in literis provincialibus, Wendrock. Rachelius aliique.

*Conscientia scrupulosa definitio.*

§. 30. Scrupulosa conscientia dicitur, qua quidem aliquis dubium unum vel alterum movet, an hoc illudve facere vel omittere possit, quod tamen levis est momenti.

*Conscientia cur non sit Norma Actionum?*

§. 31. Quæritur igitur: An Conscientia possit esse norma actionum humanarum?

rum? Ex dictis jam satis constare potest, quod negando respondere debeamus. Nam iudicium de bono maloque ita variat, ut ex eo infinitæ normæ necessario orientur.

Ex eo quoque dijudicabis, quid sentiendum de Conscientiæ Scriptoribus, præcipue Tayloris ductore dubitantium, Danhaueri & Robert. Sanderfonii libris. Conf. Ill. Thomasius in not. ad Pufendorf de monarch. papal. p. 263. sqq.

§. 32. Sed objicis: Recta debet esse Conscientia, ut norma esse queat actio- num humanarum. Concedo solam conscientiam rectam esse posse normam: sed quisque suam Conscientiam habet pro recta, quisque provocat ad rectam rationem & S. Scripturam, suamque sententiam cum his congruere præsupponit. Quis itaque erit iudex? quis litem determinabit? Ita Quakeri juramenta quævis vetita esse adeoque contra conscientiam putant, alii salva Conscientia jurare aliquem posse affirmant, & ab utraque parte pro sua sententiâ dicta S. Scripturæ allegantur. Una Facultas Polygamiam cum S. Scriptura omnique recta ratione s. conscientia pugnare asserit, altera utrumque negare & contrarium probare annititur.

§. 33. Regerunt: Conscientiam rectam esse dijudicandam ex iudicio aliorum in

*Ad objectionem respondetur.*

*Ad Exceptionem respondetur.*

focietate. Sed & hoc remedio parum aut nihil proficimus. Nam ita tot erunt Conscientiæ rectæ, quot societates, & ea Conscientia semper erit recta, quam præses societatis, vel qui alias maxima pollet autoritate in illa societate, fovet.

*Falsitas*

*consequen-*  
*tia.*

§. 34. Haud quidem nego, in abstracto dari Conscientiam rectam verumque conceptum de bono & malo; sed hoc non sufficit, ut inferre queamus: ergo conscientia recta potest esse norma.

*Car consci-*  
*entia erro-*  
*nea Norma*  
*non fit?*

§. 35. Illi, qui conscientiam quoque erroneam pro norma agnoscunt, magis umbram, quam normam ipsam, apprehendunt. Quid enim aliud, quam contradictorium, proponunt, si dicant eum, qui conscientiam erroneam habet, sequi debere aliorum consilia & quidem vel plurium, vel sapientiorum.

*Hujus sen-*  
*tentia ab-*  
*surditas*  
*porro mon-*  
*stratur.*

§. 36. Nam si sequi debemus alios, quomodo Conscientia in genere manebit norma? & unde constabit nobis, quosnam sequi debeamus? Si enim sequimur plures, hi sane non sunt sapientes; si vero sequimur sapientiores, necessario sequimur paucos; quia pauci sunt sapientes. Quam igitur normam constituunt & una quasi manu exstruunt, eam altera vicissim, destruunt.

*Alia causa*  
*absurdita-*

§. 37. Accedit, quod secundum jam di-

dicta, perdifficile sit determinare, quis- *is Affecti*  
 nam vere sit sapiens: imo licet dentur  
 sapientes, non potest tamen errans ab er-  
 rore liberari & in rectam reduci viam, ni-  
 si errore, ad oculum atque palpabiliter de-  
 monstrato; simul ac autem errans erro-  
 rem agnoscit suum, non amplius errat,  
 nec opus habet alios sequi.

§. 38. Idem sentiendum esse de Con- *Conscien-*  
 scientia dubia, scrupulosa ac probabili, *tia plane*  
 sponte sua sequitur, neque id nostris in- *non est Nor-*  
 diget observationibus. *ma.*

§. 39. Nullius etiam ponderis est divi- *Conscien-*  
 sio Conscientiæ in antecedentem & con- *tia antece-*  
 sequentem, hujusque subdivisio in bo- *dens ne*  
 nam & malam, s. tranquillam & inque- *consequens*  
 tam: magis enim hæc rem obscurant, *reijcitur.*  
 quam explicant.

Conf. Saurini librum, quem nominat: reflexi-  
 ons sur le Droit de la conscience; item Basna-  
 gii tract. de conscientia, & Imman. Proelei li-  
 brum sub tit. de certitudine sensuum, rationis  
 & fidei.

§. 40. Aliunde igitur petenda est nor- *Norma est*  
 ma, qua homines ex stultitia perducantur *Couflium*  
 ad sapientiam. Et quidem ita procedamus: *& Imperi-*  
 Stulti sunt duplicis generis; vel enim *um.*  
 audiunt rationes aliorum, vel eas pe-  
 nitus rejiciunt, solumque ductum rationis

corruptæ passionumque suarum sectantur. Priores ad adipiscendam cognitionem veri non indigent externa coactione, sed solo consilio: posteriores vero non nisi imperio ac pœnis externis possunt coerceri. Inde colligimus, quod duplex sit norma, nempe Consilium atque Imperium.

*Consilium  
& Imperium  
respiciunt  
futura.*

§. 41. Ante omnia considerandum, in quonam convenient & differant. Conveniunt nimirum, quod consilium pariter ac Imperium respiciat ad futura; propterea enim considerantur ut res, quæ infectæ fieri nequeunt.

*In quonam  
2) conveni-  
ant.*

§. 42. Porro conveniunt in eo, quod utrumque normam præscribat vel singularis, vel cuidam universitati.

*Tertia eo-  
rum conve-  
nientia.*

§. 43. Conveniunt & in hoc, quod utroque excitetur spes atque metus; & spes quidem eum in finem, ut non solum homines faciant, quæ ad propriam uniuscujusque spectant felicitatem utilitatemque, sed & ea peragant, quibus salus ac felicitas aliorum promoveatur. Per metum autem debent supprimi passiones hominum, ut fugiant ea, quæ partim sibi ipsis, partim aliis sunt noxia, turbantque Pacem ac securitatem externam.

*Quarta ip-  
sorum con-  
venientia.*

§. 44. Tandem convenientia consistit in eo, quod tam consiliarius quam impe-  
pe-



perans se debeat accommodare naturæ illius, cui consilium datur, aut imperium applicatur. Uterque ita se gerit, ut passiones supprimat: consiliarius, ut consilium gratum atque acceptum sit voluptuoso, avaro & ambitioso; imperans, ut in imperio suo & poenas ita formet, ut omnibus passionibus metum incutiat, & præmia ita proponat, ut spes erigatur omnesque tres passiones ad bene agendum excitentur.

§. 45. Differunt autem quoque inter se, quod semper & unice debeat consilium intendere utilitatem illius, cui consilium impertimus. Imperium vero in eo multis variat modis e. g. in imperia quidem paterno respicitur utilitas liberorum: sed imperium herile querit solum utilitatem propriam, atque hinc etiam non exigit metum filialem, sed servili est contentus; Imperium civile intendit partim utilitatem propriam, partim subditorum, licet sane maxime horum utilitatem pro scopo habere debeat.

§. 46. Porro differunt, quod consilium semper præsupponat paritatem personarum. Nam consiliario nullum competit imperium, & quamvis sit Princeps, ea ipso tamen, dum consilium suppeditat,

non consideratur ut Princeps, sed ut æqualis. Econtra Imperium sine inæqualitate & superioritate non potest concipi.

*Tertia differ-  
ferentia  
Consilii ac  
Imperii.*

§. 47. Ulterius differunt, quod consilium invito non obrudatur; Imperium vero non exigat alterius voluntatem atque consensum. Hic enim obtinet illud: Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.

*Quarta ipsorum differ-  
ferentia.*

§. 48. Denique & in eo differunt, quod consilium saltem persuadeat rationesque naturaliter connexas ac palpabiles offerat, cur hoc vel illud sit faciendum vel omittendum. Ex adverso imperium non persuadet nec ratiocinatur, sed facienda vel fugienda imponit, nihil sollicitum de naturali eorum connexionem, & num alter intelligat rationem, cur v. g. hæc vel illa poena infligatur; proinde non persuadendi, sed cogendi vim habet; quo sensu Seneca jam dixit: Res stulta, Lex cum prologo.

*Officia ex  
Imperio  
coasilioque  
fluunt.*

§. 49. Quoniam vero utrumque, nempe consilium & Imperium, minimum duas requirit personas, haud incongrue nos facturos arbitror, si tam consilium vel imperium dantis, quam accipientis officia, adhuc accuratius simus perlustraturi.

§. 50.

§. 50. Is, qui ab alio petit consilia, *De officio consilium petentis.* præsertim sibi ipsi conscius & gnarus fieri debet, utrum incedat in via sapientiæ, an vero adhuc calcet viam stultitiæ. Nam petendo consilium sane intendit utilitatem suam, quam vix erit consecuturus, si adhuc in stultitia hæreat; imo incapax est percipiendi prudens consilium, vel nescit eo uti, ut decet, vel abutitur ipso. Quod si autem sapiens ille sit, recte tamen facit alios consulendo. Plus enim vident oculus, quam oculus, & in prius in propriis plerumque sumus minus oculati, quam in alienis. Sagacissimus interdum decipitur & subest sæpius periculum, quod nos latet.

§. 51. Caute tamen & hic procedendum, cum ex petitione consiliorum aut prudentia aut stultitia hominis elucescat. *Petitio consiliorum stulta ac prudens.* Nam stultus vel semper, vel nunquam proficit consilia. Is qui semper ea exigit satis superque manifestat, ne minimos quidem sapientiæ fecisse profectus. qui vero nunquam expedit consilium, laborat vel nimia diffidentia, vel persuasionem, se solum sapere.

§. 52. Stulti, etiamsi semper consulant, *Stulta consiliorum petitionis primus character.* nunquam aut raro consilia data amplectuntur, nec alio fine consulunt, quam suæ prudentiæ ostentandæ causa, aut ut even-

tum rei felicem tibi totus adscribant, infelicem autem aliis imputent, sicque occasionem nanciscantur, de eo conquerendi, exoptulandi &c.

*Secundus  
character.*

§ 53. Stultus quoque inquirit consilia, re vel peracta jam, vel non amplius integra s. immutabili, nec retractanda, hocque modo aliorum amicitia ac auxilio se privat & indignum gerit.

*Tertius  
character.*

§ 54. Stultus efflagitat consilia in his rebus, quæ sibi melius notæ sunt & esse possunt, aut debent, quam ei, qui consilium debet suppeditare. Quid enim stultius, quam petere consilia in rebus, quæ a mero meo arbitrio dependent, implorare auxilium alterius circa ea, quæ neque rationes dubitandi, neque decidendi admittunt, & ubi neque commodum sperandum, neque damnum metuendum, s. rem agamus, s. omittamus.

*Quartus  
character.*

§ 55. Stultus rogat consilia in rebus impossibilibus & plus confidit facultatibus suis, quam par est, nesciens, quid valeant humeri, omnia in sua potestate sita esse arbitratur. Imo consulit alios in rebus, quæ captum suum longe supergrediuntur.

*Quintus  
character.*

§ 56. Stultus occultat circumstantias rei, in qua consilium exigit, & eo ipso frustra expectat consilium prudens, cum minima circumstantia variet rem, ipsaque

que regulas prudentiæ, ac consequenter earum quoque applicationem.

§. 57. Stultus assumit consilium tanquam jussum, quod necessario implere debeat; cum tamen dispiciendum atque dijudicandum sit, an quadret ad suum statum, ane forsitan ex incogitantia, partialitate aut imprudentia dantis profluxerit. *Sextus character.*

§. 58. Quare, qui prudenter in consilio petendo se gerere cupit, non solum respicit, an is, cujus consilium implorat, sit prudens, sed an etiam sit imparcialis, ac negotii peritus. Non enim sufficit, ut alter consilium dare velit, sed requiritur, ut quoque possit, imo non solum ut possit, sed & ut velit. *Requisita Petitionis consilii prudentis.*

§. 59. Eos igitur quod concernit, qui aliis consulunt, præprimis examinare debent, an capaces sint ad consilia aliis impertienda. Nam duo requiruntur in Consiliariis, experientia atque scientia eorum negotiorum, in quibus consuluntur. His destituti abstineant a consilio dando. *Consiliarii requisita primumque officium.*

§. 60. Cavere quoque debent, ne consilia sua aliis obtrudant: non enim prudentis est aliorum se immiscere & ingerere negotiis. Est quidem unusquisque ad officia humanitatis omnibus præstan- *Alterum officium dantis consilium.*

da obligatus, ad quæ omnino pertinet consiliorum datio, sed & hæc officia nemini obtrudi, nec conjuncta esse debent cum damno vel incommodo.

*Tertium  
Consilii  
officium.*

§. 61. In consiliis ipsis circumspicte semper considerare debent naturam illius, cui consilium suggerunt suppeditantque: intendunt enim alteri prodesse. Hujus igitur, nempe consilium petentis, debent scrutari temperamentum, vires capacitatemque, ac omnino evitare id, quod communi praxi observatur, ne vires alterius æstimemus ex nostris, nec dicamus: si res ad me spectaret, ego ita facerem; mihi enim non do consilium, sed alteri.

*Quartum  
officium  
consilii.*

§. 62. Cognito ejus temperamento viribusque perspectis eo allaborandum, ut consilia rogantem ducant & adigant ad agnitionem suæ stultitiæ; alias consilia etiam prudentissima alteri necquicquam profunt.

*Quintum  
consilii  
officium.*

§. 63. Hoc obtento alterum convincere debent, omnes nostras actiones dirigendas esse ad bonum; hoc autem ita comparatum esse debere, ut sit jucundum, honestum, atque utile: jucundum & utile promovere propriam nostram felicitatem, malumque arcere, honestum vero eo tendere, ut salutem quoque aliorum

orum s. communem promoveamus, ac omnia devitemus, quæ illam turbant; nobis enim haud bene esse posse, si non universis bene sit, neque ullam nostrarum actionum ut bonam considerari posse, si lædat alios & communem pacem s. tranquillitatem evertat. Simul vero monstrandum, quod nullum detur verum bonum atque actio nulla vere sit bona, nisi simul sit & honesta, & utilis, & jucunda.

Conf. Ill. Dn. Thomæ in *Der Sittenlehre* P. I. c. 1. n. 91. sqq.

§. 64. Abominentur quoque eorum doctrinam, qui vetant noluntque honestatem, utilitatem ac jucunditatem virtutis prædicari, sed insipientibus solum dolores, miseriam & incommoda hujus vitæ proponunt. Nam ejusmodi consilia non emendant, sed progenerant saltem pharisæos, hypocritas, melancholicos & desperatos. Sane aliter docuit Christus atque Apostoli.

*Sexta cautela consilii*

Conf. Grotius in *Proleg.* §. 16.

§. 65. Et ne infelix consilii eventus imputetur consilium danti, hic prudenter aget, si rationes pro utraque negotii parte proponat, atque electionem relinquat consulenti.

*Septima cautela.*

§. 66. Porro circumspiciat, ne consilia

*Cautela octava.*

lia subministret in rebus, quas ignorat, multo minus in rebus turpibus, injustis & indecoris. In rebus enim ignotis non sine diminutione famæ aliis consulere poterit. Nam maximum est præjudicium, ac si prudens omnia scire deberet; scit potius sapiens, multa, imo infinita esse, quæ nescimus.

*Nota cautela.*

§. 67. In actionibus turpibus consilio succurrere ideo non licet, quia consilium dans hoc ipso de actione participat. Hoc tamen intelligendum saltem est de actionibus futuris, non de præteritis. Nam e. g. turpe est, adulterium committere, non tamen turpe est consulere alteri, quomodo sine pœna possit evadere.

*10) Cautela s. requisitum consilii.*

§. 68. Sinceritas etiam decet consiliarium, nempe ut in consilio, quod aliis largitur, non suam, sed aliorum & se consulentium, intendat utilitatem. Non quidem proprium commodum profus negligat, si quodpiam ad ipsum redundare queat, sed tantum primario omnia dirigat ad consulentis utilitatem. Rite itaque se geret multumque contribuet, ne in altero diffidentiam excitet, si suam utilitatem, quam simul ex consilio capere, ac de ea participare potest, alteri non dissimulet, juxtaque alios forsan magis

im-



imparatiales adhuc in consilium adhibeant.

§. 69. Præprimis maxime cavendum, *Cautela* ne arcana aliorum, præsertim potentiorum, *undecimda* explorare satagat; plus enim damni, quam commodi reportabit. Quodsi vero ratione vel officii, vel aliorum circumstantiarum id ei incumbat multumque intersit illa rescire, ea tamen haud propalabit nullique, nec amico intimo, revelabit. Taciturnitas enim est anima omnium negotiorum. Certe multi revelatione arcanorum, gravissimum sibi damnum attulerunt.

Exemplum cape in Historia Augusti ex Lentulo uxori suæ arcanum revelante:

§. 70. Si alii consilia suppeditata haud *Duodecimda* sequantur, neque id propter iis succenseamus, neque ipsos persequamur, sed *ma cautela* eam cautionem modo adhibeamus, ut talibus impofterum consilia suppeditare recusemus.

§. 71. Et quia consilia formantur non *Ultima* circa præterita, sed futura adeoque non *cautela* omnino certa, non desideret consiliarius *tam consi-* æque atque consulens certitudinem *liarii,* *quam con-* thematicam; nam sicut homines scrupulosi, ad nulla negotia gerenda sunt apti: *fulentis.* ita ad consilia tam publica, quam privata expromenda; sunt ineptissimi.

§. 72.

*De vi cogendi.*

§. 72. Quoniam vero supra monuimus, consilium non involvere vim cogendi, sed saltem imperium; necessarium utique duco, non nihil attingere, quid sub vi cogendi intelligamus.

*Vis cogendi quid sit?*

§. 73. Est igitur vis cogendi nihil aliud, quam facultas alicui competens, vi cuius, alteri, pro arbitrio dolores potest inferre sensibiles.

*An Consilium producat obligationem?*

§. 74. Evidens autem est ex supra dictis, quod consilium & imperium in eo conveniant, ut spem excitare metumque inferre intendant; quod fieri haud posset, nisi vis cogendi alicui competeret. Obstat vero commune istud: Consilium non producere obligationem. Itaque erit e re, perlustrare naturam obligationis.

*Obscura obligationis definitio rejicitur.*

§. 75. Quid sit obligatio & in quo vis ejus consistat, non satis est expeditum. Definitur quidem a Ictis per vinculum juris. Sed hæc definitio æque obscura ac definitum, remque non satis explicat.

*Melior ipsius definitio suppeditata.*

§. 76. Optime nobis videtur posse definiri, quod sit inclinatio nostræ voluntatis per spem & metum injecta ab eo, qui jus ac potestatem habet spem excitandi metumque inferendi.

Dissentit. Excell. Gribnerus in Principiis Juri-  
prud.

prud. natural. p. III. 2. n. 4. putans male ab Ill. Thomasio metum requiri in obligatione: nam metum dari sine obligatione: ac vice versa. Verum concedo, dari metum sine obligatione, nihilominus obligatio sine coactione concipi nequit. Idem sentiendum de metu, in quo autem non solo obligationem consistere asserimus, sed etiam in spe. Nam natura humana probe considerata, impossibile est, sibi concipere quandam actionem, sine spe aut metu. Dissentiendi ergo rationem nullam video.

§. 77. Diximus porro obligationem imponi ab eo, qui habet potestatem. Quam obrem is, qui sine potestate ac jure alteri metum incutit, eum non obligat, sed seducit, vimque ei infert. Differentia igitur utique constituenda inter obligationem, & vim seductionemque.

*Obligatio differt a vi ac seductione.*

§. 78. Metus præsupponit malum ali- quod, spes autem lucrum s. bonum quod-  
 piam. Malum hoc est, duplex, vel inter-  
 num, vel externum. Internum est, quod ex  
 actione commissa naturaliter fluit v. g. ac-  
 celeratio mortis, inquietas animi, dolores,  
 qui vitia sequuntur, & huc spectat illud:  
 quod vitium sibi ipsi sit pœna. Externum  
 est, quod ab arbitrio hominum dependet;  
 quo spectant omnes pœnæ, quæ a Magi-  
 stratu infliguntur.

*De bono maloque interno ac externo.*

§. 79. Ex hoc duplici bono ac malo duplex quoque oritur obligatio, nempe  
 vel interna, vel externa,

*Obligatio est duplex.*

§. 80.

*Quid dicatur obligatio interna?*

§. 80. Internam obligationem appellamus, quando voluntas nostra vel ob spem boni, vel metum mali cujusdam, retrahitur a sua naturali inclinatione, ita, ut bonum & malum illud, naturalem habeat connexionem cum actione ipsa. Ita si vitæ conservandæ, idem inquietis animæ evitandæ causa, propter morbum, contemptum, bona amittenda, aut ut honeste, utiliter atque jucunde vivere possim, abstineo ab eo, ad quod passiones meæ inclinant, vel ad aliquid memet ipsum cogere conor, a quo secundum voluntatis instinctum naturalem abhorreo, quodque fugio; tunc hæcce omnia in me producant obligationem internam. Ubi obiter notandum, quod sub bono & malo non tantum bonum verum, sed etiam apprensus comprehendimus.

*Obligatio externa quid sit?*

§. 81. Externa obligatio dicitur, quando voluntas nostra vel propter spem boni, vel propter metum mali alicujus, quod nullam connexionem naturalem cum actione ipsa habet, retrahitur v. g. si furari, adulterium committere, occidere ideo omitto, ne a Magistratu poena, qua notantur tales delinquentes, mihi infligatur, aut si bonam quandam actionem

exc-

exequi volupe mihi est ob præmium a superiori constitutum.

§. 82. Et in hoc sita est differentia inter consilium atque impetium. Nam illud, producit obligationem saltem internam; hoc vero externam: Exinde fluit, quod certo respectu dici possit; consilium & obligare, & non obligare.

§. 83. Notandum quoque hic est, qualis inter stultum & sapientem ratione obligationis intercedat differentia. Nimirum stultus negligit omnem obligationem internam, imo ne quidem ipsam pro obligatione agnoscit, non ratiocinatur, non sollicitus est de vera animi quiete, sed solam metuit obligationem externam; atque hanc etiam unice urget Magistratus: nam sine hac præstaret pecoribus misceri, quam hominibus.

§. 84. Sapiens econtra tantum obligationem internam considerat hancque omni obligationi externæ præfert. Nam malas actiones haud omittit hunc in finem, ne a Magistratu puniatur, sed quia tam interne, quam externe, feliciter vivere intendit, adeoque odit peccare virtutis amore.

§. 85. Ex aduerso stulti consilio dirigi nequeunt, sed imperio quasi fræno quodam opus habent, ut male agere, alios

H

læ

*Quomodo  
consilium  
Imperium  
que differant?*

*Obligatio  
diversa  
stulti a sapiente.*

*Sapientis  
obligatio  
qualis sit?*

*Stulti Imperio, sapientes consilio reguntur.*

cedere ac tranquillitatem publicam turbare desistant. Ii vero, qui jam sapientiae viam ingressi sunt s. sapere coeperunt, non imperio, sed consilio indigent.

*Praemii & Pœnae divisione.*

§. 86. Hæc ducunt nos ad aliam divisionem, præmiorum scil. & pœnarum. Utrumque est vel internum, vel externum.

*De Pœnis Praemiisque internis.*

§. 87. Pœnæ internæ præmiaque interna sunt, quæ naturalem habent connexionem cum actionibus nostris s. ex illis fluunt per bonam consequentiam. Huc spectat Proverbium: Virtus est sui ipsius præmium, vitium est sui ipsius pœna.

*De Pœnis ac Praemiis externis.*

§. 88. Pœnæ externæ & præmia externa sunt pœnæ proprie sic dictæ ac præmia in sensu communis sumpta, quæ dependent ab arbitrio superioris; quo, uti jam innuimus, referimus omnes pœnas humanas & omnia præmia in hac vel illa republ. statuta.

*Stultus imberet Praemiis Pœnisque externis.*

§. 89. Hic iterum maximum intercedit discrimen inter sapientem atque stultum. Hic enim metuit tantum pœnas humanas & omittit peccare i. e. ductum passionum suarum sequi aliisque nocere, formidine pœnæ ac nihil sperat, quam præmia humana. Internorum vero plane est ignarus neque memor unquam præmiorum ex ipsa virtute fluentium.

§. 90.

§. 90. Sapiens autem præmia arbitra- *Sapiens a-*  
 riâ floccipendit soloque virtutis amore *gnoscit*  
 ad bene faciendum ac salutem tam sin- *tantum*  
 gulorum, quam reipubl. ducitur, non *Præmia*  
 curat poenas externas, nihil sollicitus, u- *penasque*  
 trum hoc vel illud puniatur, qualisve *internas.*  
 poena infligatur, sed solas metuit poenas  
 internas. Licet itaque nullus esset Magi-  
 stratus nullæque poenæ, non tamen pec-  
 caret, neque singulos, neque societatem  
 inquietaret.

Stulti sæpius poenas formidant imaginarias &  
 chimærica sperant præmia: ostendendum igitur,  
 quomodo Magistratus huic stultitiæ se debeat  
 accommodare.

§. 91. Felicitas ipsa, qua destituuntur *Felicitas*  
 stulti & ad quam eos ducere norma i. e. *interna vel*  
 Consilium atque imperium intendit, du- *externa*  
 plex est, vel interna, vel externa. Inter- *quid sit?*  
 na consistit in possessione quietis ani-  
 mæ: externa autem in possessione ac frui-  
 tione eorum, quæ ad bene esse, s. ad con-  
 servationem & sustentationem vitæ re-  
 quiruntur.

§. 92. Hac externa felicitate nemo re- *Felicitas*  
 veragaudet, nisi qui internam possidet, *interna est*  
 atque hinc ipse scopus finisque duplicis *fundamen-*  
 hujus normæ s. Consilii ac Imperii solum *tum exter-*  
 in acquisitione duplicis hujus felicitatis *na.*  
 consistit. Qua de causa insipientibus

monstrandum est, ipsis deesse hanc felicitatem; si igitur ad eam adspirent, necesse esse quoad felicitatem internam, ut affectus suos suppriment, quoad felicitatem vero externam, ut aliis benefaciant ipsorumque jura sibi competentia violare desistant.

*De gradibus stultitiae.*

§. 93. Habet autem & stultitia suos gradus. Nam dantur stulti maximi, medii & infimi.

*Summus stultitiae gradus.*

§. 94. Maximi sunt, qui turbant Pacem externam, alios lædunt, furantur, nulla pacta servant, verbo, jura aliorum violare non erubescunt.

*Medius stultorum gradus.*

§. 95. Medii non quidem turbant Pacem externam, non violant aliorum libertatem, sed nemini tamen quoque benefaciunt, non conantur sibi aliorum conciliare amicitiam & assistentiam, non subveniunt aliorum indigentiae, non renunciant suis juribus, sed vivunt, quasi, sibi essent nati.

*De infimo stultitiae gradu.*

§. 96. Infimi sunt, qui externam Pacem non turbant, sed aliorum benevolentiam ambiunt propriis tamen succumbunt passionibus, agnoscentes quidem interdum suam stultitiam, sed semper in eam relabentes.

*Diversitas Normae pro diversitate stultitiae.*

§. 97. Quamvis autem hi omnes vix aliis mediis quam consilio in ordinem redigi possint, diversimode tamen mediis  
uti



uti debemus. Consilium apud stultos maximi gradus nihil prodest, qui pro ludibrio id habent, sed hic opus est imperio. Mediorum stultorum actionibus dirigendis non opus est imperio, sed consilia adhibenda sunt; quandoque tamen & imperium utiliter adhibetur. Infimi gradus stulti solo consilio possunt dirigi.

§. 98. Ex his jam patet ratio, cur duplicem normam constituerimus: cum enim in omnibus societatibus triplices isti gradus stultitiæ reperiantur, certe consilium & imperium non possunt in vicem separari, sed pro diversitate graduum stultitiæ debent adhiberi. Nam solum imperium gignit statum tyrannicum; Consilium vero sine imperio non sufficit, sed magis ad eversionem, quam conservationem societatum, tendit.

*De causa duplicis Normæ.*

§. 99. Duæ igitur quoque debent esse personæ duplicem hanc normam stultis applicantes, nimirum Doctor & Princeps. Nam hæc duo in una persona haud possunt esse conjuncta, sed confusio horum producit Pharisaismum atque Monachismum. Itaque Ictus serio debet esse sollicitus de finibus Jurisprudentiæ legislatoriæ & famosi illius Juris Episcopalis probe noscendis: utrumque ve-

*Hinc & duæ Personæ Normam applicant.*

ro fieri nequit, nisi & docentis & imperantis munus recte a se invicem separentur.

Confer. libellus Pufendorfi, quem, sub tit. *Habitus Religionis*, publicavit.

*Principis officium circa pœnam disciplinamque*

§. 100. Officium Principis consistit in coactione pœnali, vel disciplinari. Nam disciplina a pœna non aliter differt, quam pœna major a minore; & vocabulum hoc disciplinæ modo hunc in finem a Monachis fuit excogitatum, quo quasvis coactiones in fraudem Jurisdictionis politicæ possent exercere.

*Disciplina quid denotet?*

§. 101. Nam ab omni ævo observatum fuit, quod multæ actiones haud laudabiles dentur, quæ tamen a Magistratu non cœrcerentur & quæ nihilominus majori correctione, quam sola doctrina, opus haberent; ideo medium aliquod inter pœnam & doctrinam excogitarunt, cui nomen disciplinæ dederunt.

*Doctoris officium quoddam?*

§. 102. Officium Doctoris consistit in amore ac mansuetudine; hæc duo vero rursus consistunt in precibus, admonitionibus & bono exemplo. Unicuique autem obvium est, conceptus admonitionum plane diversos esse a conceptu coactionis. Cui accedit, quod Doctor sapientiæ amorem & obsequium cum rationicio, imperans autem timorem & obedi-

obedientiam sine ratiocinio intendat. Recte igitur concludimus, quod nec Doctor simul esse possit Princeps, nec Princeps simul Doctor.

§. 103. Equidem fatendum, Doctoris officium in multis cum Parentis officio convenire. Sed notum tamen est, quod Pater duplici respectu consideretur, vel ratione amoris paterni, vel ratione patriæ potestatis. Jam convenientia duorum officiorum illorum non quæri debet in patria potestate, sed saltem in amore paterno. Imo si accuratius rem perpendamus, facile liquet, quod Doctor melius Matri, quam Patri, æquiparetur; quod etiam nobis satis constat ex S. scriptura. Nam Apostolus in locutionibus allegoricis magis simili desumpto a Matre, quam a Patre, ad inculcandam reverentiam, utitur.

*Consistit id imprimis in amore.*

§. 104. Licet autem in una persona hæc duo officia non debeant esse conjuncta, nec tamen esse debent opposita, sed potius sibi invicem manus porrigere, tanquam unum eundemque scopum præfixum sibi habentia.

*Principis Doctoris-que scopus.*

§. 105. Verum quid si Doctor, vel ipse Princeps recidant in stultitiam? Haud aliud remedium locum invenit, quam ut Doctor Principem solo consilio reduce-

*Ipsorum connexio.*

re annitatur. Princeps vero ratione Doctoris in stultitiam relapsi solo uti debet imperio. Observantia contraria genuit Monachismum & Papocæsariam, Principibus potestatem eripiendo nihilque aliud relinquendo, quam brachium seculare.

*Aptitudinem Principi Doctorique dat Temperamentum. De gradibus actionum malorum.*

§. 106. Pro diversitate tamen temperamentorum unus præ altero tam ad officium Principis, quam Doctoris est aptior.

De quo plura in discursu.

*De gradibus actionum malorum.*

§. 107. Sicut vero tres stultitiæ dantur gradus, quorum unus peior est altero: ita etiam actiones diversam admittunt distinctionem. Dantur actiones extreme malæ, quæ turbant Pacem & quietem externam; dantur mediæ, quæ consistunt in omittendo & saltem non promovent Pacem externam; dantur & in infimo gradu malæ, quæ quidem non nocent aliis, sed quibus homo sibi ipsi nocet, maximumque sibi infert malum.

*De gradibus actionum bonarum.*

§. 108. Extreme s. in summo gradu bonæ sunt, quibus promovemus propriam nostram felicitatem; mediæ, quibus promovere conamur salutem externam aliorum; & in infimo gradu bonæ, quæ saltem non tendunt ad læsionem aliorum.

*Mediarum s. bonarum s. malarum gradus.*

§. 109. Mediæ, & quidem tam bonæ, quam malæ, diversos iterum assumunt gra-

gradus, ita, ut in his locum habeat communis regula: Minus malum induit naturam boni; majus autem naturam mali. Non melius hoc illustrare accipere poterimus, quam simili a circulo sumto; in quo centrum denotat eam felicitatem, ad quam omnibus nostris actionibus tendere debemus. Quo proprius igitur huic centro accedimus, eo melior evadit actio nostra; quo longius vero aberramus atque recedimus, eo peiores nostræ reduntur actiones. Hinc quoque natum est illud: Duo cum faciunt idem, non est idem.

§. 110. In hisce quærendus est fons tri-  
plicis nostri boni, nempe justitiae, decori & honesti. *Bonum tri-plex, sp. justum, decorum, honestum.* Regulae justitiae enim coërcent malum extremum, promoventque bonum infimum; Regulae decori coërcent malum medium, & promovent bonum medium; Regulae honesti coërcent malum infimum ac promovent bonum extremum. Ex quo satis perspicui potest, quod omnes nostræ actiones secundum triplex hoc bonum debeant institui, quodve nemo feliciter vivere queat, quam qui juxta has regulas simul atque conjunctim vitam omnesque actiones suas instituit.

## CAP. V.

De

Jure Naturæ & Gen-  
tium.

§. I.

*Juris vo-  
cabulum  
quid signi-  
ficet?*

**V**Ocabulum Juris diversimode acci-  
pitur. Præcipuus autem significa-  
tus est, quod vel pro Lege, vel pro  
facultate agendi (s. ut Grotius loquitur  
pro attributo personæ) sumatur.

*De aliis  
hujus vocis  
significati-  
bus.*

De aliis hujus vocis significatibus, tanquam otio-  
sis & ad scopum nostrum haud spectantibus,  
non erimus solliciti. Videri tamen potest Grotius  
de J. B. & P. Lib. I. §. 3. sqq. ibique commenta-  
tores.

*Vocabuli  
Legis ho-  
monymia.*

§. 2. Lex est ipsa norma actionum hu-  
manarum; quicquid ergo actionibus no-  
stris præscribit normam, illud est Lex.  
Nam vocabulum Legis in duplici sensu  
sumitur, vel late, vel stricte. Uterque  
tamen significatus in eo convenit, quod  
Lex tam late, quam stricte dicta, nobis re-  
gulas vivendi præscribat circa actiones  
futuras, ita, ut uterque significatus spe-  
ctet ad Prudentiam consultatoriam.

*Definitio  
Legis stri-  
cte dictæ.*

§. 3. Est vero lex stricte dicta regula a-  
ctuum moralium, qua superior inferio-  
res

res sub metu poenæ obligat, ut actiones suas secundum eam in futurum instituant.

Vid. Grot. de J. B. & P. L. 1. C. 1. §. 9. Ill. Thomafias in Jurisprud. div. L. 1. c. 1. §. 28. Huberus de Jur. Civit. L. 1. sect. 1. §. 1, Hobbes de Cive c. 1. §. 7.

§. 4. Sub superiore non intelligimus *Per Superiorem* quemvis innocentem, uti autumat *Grotius* de J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 3. & 9. nec *quid intelligatur?* cum *Hobbesio* c. 1. c. 9. §. 2. eum, qui viri-  
 gus pollet, sed illum, qui imperium legitimum in alios consecutus est. Hinc concludo: quod nulla Lex stricte dicta detur sine superiore.

§. 5. Lex late sumta sub se comprehendit consilia, monita, mandata, præcepta, *Lex late sumta quid denotet?* pacta, dogmata; quæ sunt dominorum, amicorum, Parentum, superiorum, inferiorum, parium.

§. 6. Inter quæ tamen varia intercedit *Differentia* differentia. Consilium datur ab omnibus *Consilii,* nullo respectu habito ad statum ac *Mandati,* dignitatem hominum, Mandatum a superioribus, *Dogmatis* monitum a Parentibus, præceptum a præceptoribus, dominisque, pactum a paribus, dogma ab unoquoque. Verum in eo simul dogma a reliquis abicit, quod solum persuadeat & ita ad intellectum pertineat: reliqui autem significatus

tus ad voluntatem; & licet quoque persuadere intendant, tamen primario obligare solent. Necessse itaque erit inquirere, quid sit persuasio, & quid obligatio.

*Persuasio  
quid sit?*

§. 7. Persuasio est affectio intellectus, qua is eo ducitur, ut non possit non aliquid vel pro vero, vel pro verosimili, habere. De obligatione egimus jam cap. præced.

*Diversa  
obligatio  
Legis.*

§. 8. Omnis igitur Lex obligat, hac tamen cum differentia: Lex stricte dicta producit obligationem externam; late vero sic dicta & internam, & externam obligationem gignit. Ita ex consilio, monito paterno, oritur obligatio interna; ex pacto autem, præcepto, mandatoque externa,

*Definitio  
Consilii  
Monitique  
paterni.*

§. 9. Itaque Consilium, ac monitum paternum, est regula actuum moralium, ab aliis, nostram utilitatem quærentibus proposita, ut intellecta ejus utilitate, obligatione intrinseca cogamur, ad institendum actiones nostras secundum illam regulam.

*Pacti Definitio.*

§. 10. Pactum est regula actionis moralis, qua contrahentes ut pares considerati coguntur obligatione extrinseca ad adimplendum promissa.

*Mandatum quid dicatur?*

§. 11. Mandati definitio coincidit cum ea, quæ Legis vel pacti est; nam ita com-

mu-



munitur sumitur vel pro pacto, vel pro Lege ipsa.

§. 12. Præceptum est regula actuum *Præcepti*  
moralium, quo dominus suo imperio *Definitio.*  
subjectos obligatione externa cogit, ut  
actiones suas ad utilitatem domini in-  
stituant.

§. 13. Metus, ex quo nascitur obliga- *Metus est*  
tio externa, triplex est: vel metus fru- *triplex.*  
straneitatis, quo Magistratus actum con-  
tra Leges susceptum pro nullo atque in-  
valido declarat v. g. Testamentum septem  
signaculis destitutum; vel metus damni  
in re familiari e. g. confiscationis bono-  
rum, multæ pecuniariæ; vel metus pœ-  
næ proprie sic dictæ.

§. 14. Diversi itaque obligationis ex- *Gradus ob-*  
ternæ dantur gradus, omnes tamen pœnæ *ligationis*  
sunt, quamvis unus præ altero gravius *externæ*  
afficiat metumque incutiat majorem. Ita *pœnarum-*  
metus frustraneitatis omnino est pœnæ; *que.*  
homo enim nihil frustra agere vult. Ita  
omnes conservare cupiunt bona acqui-  
sita; amissio igitur eorum est pœna. In  
hoc uno differunt, quod pro diversitate  
temperamentorum una pœna magis me-  
tuatur, quam altera; regulariter autem  
omnes maxime abhorrent a pœnis affli-  
gentibus corpus.

§. 15. Quare Legis in lato significato *Legis vir-*  
*vir-* *tutes que-*  
*nant*

virtutes sunt: hortari, suadere, præcipere, vetare, punire, cogere. Strictè vero sumtæ sunt vel immediatæ, ut præcipere & vetare, vel mediata, s. consequenter punire per Magistratus, annullare actiones contra Legem commissas, atque judicialiter cogere.

Vid. L. 7. ff. de LL.

*Non omnis  
Lex pœnalis  
est.*

§. 16. Non igitur universaliter verum est, quod omnis Lex proprie dicta sit pœnalis. Nam licet lex pœnalis sit eminens Legum species, coactio tamen & annullatio pariter sunt species, etsi inferiores; cum & hæc cum vi quadam sint conjunctæ.

*Non omnis  
Lex est dis-  
junctiva.*

§. 17. Non etiam admitti potest opinio Hobbessii, ac si omnis Lex esset disjunctiva, huncque involveret sensum: aut hoc fac, aut hanc pœnam patere. Haud enim legis intentio est, ut id, quod prohibetur, fiat, sed ut omittatur s. non fiat; id propter crescentibus delictis crescunt pœnæ.

*Leges dis-  
junctivæ an  
sint Pœnæ?*

§. 18. Leges disjunctivæ ergo sunt pœnæ improprie sic dictæ. v. g. Si Princeps prohibeat, ne quis curru vehatur, nisi tot aureis solutis, non intendit, ut id omittatur, sed potius sub expressa a se conditione fiat, quia novit, dari stultos divites, qui tantum pecuniæ parum æstimant. Dicuntur igitur saltem Leges, quoniam  
su-

superior per promulgationem eas proponit.

§. 19. Permissio autem plane non spectat ad virtutes legis, sed recte jam observavit Grotius de J. B. & P. L. I. c. 1. quod permissio non sit legis actio, sed actionis negatio. Nam si Princeps alicui privilegium concedit, permittit ei saltem aliquid, aliis vero civibus simul vetat, ne alterum in jure suo turbent; quod hinc tanquam nova legis actio considerari nequit.

§. 20. Quod permissio vero pro Legis virtute habita fuerit, exinde ortum esse videtur, quod aliqui Jus cum Lege confuderint. Jus enim optime in permissivum, ut sunt patria potestas, dominium &c. vel præceptivum dividi potest.

§. 21. Igitur Jus pro facultate sumtum nullam producit obligationem, sed libertatem agendi mihi concedit. Inde est, quod dicamus: unumquemque juri suo renunciare posse, non autem obligationi.

§. 22. Obligatio itaque fluit ex Lege stricte, s. late sic dicta, tanquam effectus, qui intenditur a superiore, dum Legem præscribit. Jus vero est effectus secundarius, qui saltem per indirectum intendi-

ditur, quatenus scilicet: est correlatum obligationis.

*De Jure  
connato &  
acquisito.*

§. 23. Jus est vel connatum, vel acquisitum. Illud habemus a natura cumque nobis quasi nascitur, puta jus defensionis, libertas &c. Hoc autem acquirimus vel ex pacto cum aliis inito, vel ex lege humana, ut dominium, imperium &c.

*De obliga-  
tione con-  
nata & ac-  
quisita.*

§. 24. Duplici huic juri duplex respondet obligatio, nimirum vel connata, vel acquisita. Illa nobis quoque connascitur & omnes obligat; hæc vel pacto, vel lege humana nobis imponitur v. g. renunciatio suorum jurium, præstatio eorum, quæ saltem ad officia humanitatis spectant.

*Datur obli-  
gatio sine  
Jure.*

§. 25. Quamvis vero omne jus præsupponat obligationem, nullumque jus pro Lege sumtum sine obligatione possit dari; datur tamen & obligatio sine omni jure. Ita obligatio liberorum erga suos Parentes est obligatio connata; jus autem Patri in liberos competens non connascitur illi, sed acquirit id ex consensu matris. Ita obligatio, tam ad officia erga se ipsum, quam illa, quæ humanitatis appellantur, præstanda, connata est.

*De injuria  
Juri obli-  
gationique  
contradi-  
ctoria.*

§. 26. Juri atque obligationi opponitur injuria. Nam qui jure sibi competente utitur, juste agit, & nemini facit inju-

juriam. Quando autem alicui denego sibi competens ius, s. sit connatum, s. acquisitum, ei injuriam infero atque committo actionem injustam.

§. 27. Inde fluit, quod omne jus omnisque obligatio externa præsupponat duos homines; adeoque nemo sibi ipsi potest præscribere legem, nemo jus habet in se ipsum, nemo sibi potest facere injuriam, s. erga se ipsum esse injustus; quia volenti non potest fieri injuria: nemo sibi ipsi obligatur &c.

*In quoniam Jus ac obligatio conveniant.*

§. 28. Fluit quoque ex dictis, quod, licet obligatio sit externa & interna, omne tamen Jus saltem sit externum, nullumque detur internum. Nam obligatio interna haud præsupponit duos homines, sed locum habet, quamvis simus soli atque ab hominum commercio longe remoti. Ita honeste vivere, non exigit alios homines; regulis enim honesti neglectis nemini, nisi mihi ipsi, infero datum. Ethoc respectu dici potest: quod mihi ipsi possim præscribere legem.

*Differentia inter jus ac obligationem.*

§. 29. Porro obligatio & Jus in eo differunt; quod Jus solum nitatur regulis justis, obligatio vero regulis decori atque honesti. Honestum respicit saltem officia, quæ me ipsum concernunt, nullo respectu habito ad alios homines; decorum

*Altera differentia inter Jus obligationemque.*

I

tum

um supponit alios homines & sine his plane non datur. Officia autem ex eo fluentia nemo vi juris a me exigere potest, sed meo unice relinqui debent arbitrio. Quod si igitur aliis officia humanitatis præstem, si juribus mihi competentibus renunciem, respectu ad me habito & promovendæ propriæ meæ felicitatis gratiâ id facio. Sentio enim sine aliorum auxilio me haud feliciter vivere posse; quod itaque ab aliis opto expectoque, id & iis facere debeo.

*Justus & virtuosus quis dicatur?*

§. 30. Hanc quoque ob causam, qui actiones suas secundum regulas justitiae instituit, appellatur justus; honeste vero & decore vivens virtuosus, si ita loqui fuerit, nominatur.

*Hobbesius deducit Jus ex Pacto.*

§. 31. Facile igitur confutari potest doctrina Hobbesii, statuentis: unicuique in statu naturali jus in omnia competere. Summa autem hujus doctrinæ huc redit: Omnium societatum originem proficisci a mutuo metu, orto ex hominum æqualitate atque earundem rerum appetitu; hinc natam esse tam ingeniorum æmulationem, quam mutuum lædendi voluntatem, adeoque in statu naturali bellum omnium contra omnes. Contra hæc se defendendi media necessaria sibi ab unoquoque conquiri. Jam vero per natura

tam

nam neminem alterius judicem esse posse, quemvis habere jus faciendi, quod vult & per vires suas naturales potest, & neminem alteri facere injuriam, quamvis eum ad omne patiendum cogat; omnes enim jus in omnia habere, quod cum omnibus in infinitum competat, non posse non inde oriri statum belli omnium in omnes; recedere autem ab hoc statu jubere sanam rationem, naturamque ipsam dicitare, in jure omnium ad omnia non esse subsistendum: recedi vero haud posse nisi per pacta & quidem ab utraque parte implenda. Ex hoc denique infert: Præcipuam naturæ Legem esse, pacta servanda, horumque violationem esse injuriam; nam ante pacta injuriam non posse committi.

§. 32. Verum hæc omnia corruunt, si *Hobbesiana* saltem consideremus, quod hoc jus, dum *hac sententia refutatur.* omnibus conceditur, careat obligatione tanquam correlato, & per consequens etiam jus esse nequeat. Nam dic mihi, quæso, quomodo id vocari possit jus, cui alii possunt resistere? Datur quidem obligatio sine jure, illa tamen jus ipsum non est. Imo falsum est, quod omne jus ex pacto saltem deduci debeat. Nam datur jus connatum, quod nullum pactum antecedens præsupponit. Neque pactum

ipsum sua natura producit obligationem, sed semper requirit legem antecedentem. v. g. Titius & Cajus pactum inierunt, ubi quaestio oritur: an hoc pactum sit validum? an obliget? Statim hic respici debet: utrum cum Lege vel naturali, vel civili conveniat? an secundum eam sit institutum? Convenientia hac deprehensa dicimus: Pactum obligare, adeoque esse servandum &c.

*Jus imper-  
fectum  
Grotii ex-  
ploditur.*

§. 33. Merito etiam improbatur divisio Grotiana in Jus perfectum, & imperfectum, eique respondentem obligationem. Involvit enim contradictionem jus habere, & eo tamen non posse uti, jus adesse, sed sine obligatione, obligatum esse, & cogi tamen non posse. Quamvis enim dicas e. g. ad eleemosynas aliquem in Conscientia esse obligatum, notum tamen etiam est, quod obligatio in conscientia non sit respectu aliorum, ut scilicet: iis sim obligatus, sed saltem respectu mei ipsius.

*Divisio Ju-  
stitiae Ari-  
stotelica a-  
liaque Gro-  
tiii reproba-  
tur.*

§. 34. Forsan Grotius hanc divisionem invenit ad conciliandam aliam divisionem, quam Aristoteles adhibuit dividendo justitiam in commutativam & distributivam. Haud tamen id necesse habuisset; cum vulgares definitiones divisionesque justitiae neque accuratae sint, ne-  
que



que usum præsent. Tollere quidem illam difficultatem voluit Grotius a) alia divisione in Justitiam explettricem & attributricem; sed neque hæc satisfacit: nam omnia, quæ de proportionibus vulgo traduntur, pertinent ad æqualitatem, in qua tamen Justitiam consistere frustra supponitur.

a) De J. B. & P. L. I. c. 1. Kulpia. Ex. 2. §. 3. ad dist. c. 1. §. 14. Add. Cocceji, Reyheri & Kestneri diss. de Proportionibus & justitia proportionata.

§. 35. Est alia adhuc divisio Juris in utroque significato accepti, in naturale, gentium ac civile. De quibus singulatim dicendum. *Adhuc alia Divisio Juris*

§. 36. Jus, quatenus est Synonymum Legis, est vel naturale, vel positivum: utriusque differentia consistit in principio cognoscendi. Jus Naturæ est, quod per rationem sine revelatione cognoscitur: intelligimus vero per rationem, ratiocinationem animi tranquilli. Jus positivum innotescit per revelationem & publicationem. *De Jure naturali & positivo.*

§. 37. Non immoramur hic eorum distinctioni, qua alii Jus positivum vocant revelatum, alii voluntarium. (a) Jus enim naturæ ipsum promanavit ex voluntate Dei, & quamvis non semper causas Juris positivi nobis sint cognitæ, & hoc tamen æque suas habet causas. b) Neque

*Subdivisio Juris positivi.*

*Jus Naturæ ac naturale non differunt.*

placet distinctio in Jus naturæ & naturale, quam adhibet Dn. Bodinus c) Nam unum idemque significant secundum nostram Philosophiam. d)

a) Vid. Kulpis Ex. l. ad L. I. Grotii c. 1. §. 7. p. m. 16. b) Vid. Dn. Bodini Diff. de obligat. for. Jur. div. c) in diff. de Jure Mundi §. 2. d) Vid. Gvil. Grotii Enchirid. c. 1. §. 5.

*De Jure Naturæ late ac stricte dicto.*

§. 38. Sumimus vero Jus naturæ vel late, prout est complexus omnium præceptorum moralium ex sana ratione profluentium, s. fluant ex regulis justis, s. honestis, s. decori; vel stricte, quatenus solas regulas justis complectitur, sicque ab honesto ac decoro discernitur. Quam distinctionem eo attentius notandam esse censemus, propterea, quod ex ea facile decidi potest controversia de causis belli justificis, de principio primo Juris naturalis, de immutabilitate Juris naturæ &c.

*Eorum differentia.*

§. 39. Præcipue differunt ratione principii cognoscendi, de quo uberius cap. sq.

*Jus positivum quando obliget?*

§. 40. Jus positivum ante revelationem s. publicationem ipsius nullam producit obligationem, sed solum ab eo tempore valet, quo potuit ad notitiam aliorum pervenire.

*Cur Leges divinæ forenses nos non obligent?*

§. 41. Atque ideo Leges divinæ forenses nos haud obstringunt, non, quod sint abro-

abrogatæ, sed quod nobis nunquam fuerint traditæ.

§. 42. Ineptiunt itaque de abrogatione *De earum* illarum Legum solliciti, quippe quæ no- *abrogatio-* bis nunquam fuerunt promulgatæ; si- *ne frustra* mulque facile intelligitur abusus brocar- *quaritur.* dici vulgaris: Quicquid non est abrogatum, stare non prohibetur L. 27. C. de Testam :

§. 43. Fluit ex eo porro, quod omne *Jus Positi-* jus positivum intuitu publicationis sit hu- *vum quate-* manum; & licet objicias Leges divinas *nus sit hu-* a Mose publicatas; facile tamen depre- *manum.* hendes, has Leges non immediate a Deo nobis esse promulgatas, sed mediantibus hominibus.

§. 44. Dicitur autem Jus naturæ divi- *Jus Nat.* num, non quasi Deus hoc nobis promul- *quonam* gasset & revelasset, (nam ex ratiocinatio- *sensu dica-* ne animi tranquilli nobis innotescit.) sed *tur divi-* quod a Deo, velut autore totius naturæ *num ?* humanæ, proficiscatur.

§. 45. Leges divinas in genere quod *Legum di-* attinet, earum naturam consideraturus *viuarum* inprimis præsupponere debet: Deum es- *valor ac ne-* se humani generis Legislatorem, atque *cessitas.* eo ipso, quod superior est, vel potius supremus omnesque mortales ejus imperio subjecti sunt, nobis Leges posse præscribere; quin imo secundum naturam hu-

manam vivere nos non posse sine Legibus.

Haud sumus solliciti, an imperium divinum ejusque ortus deduci debeat ex sola Dei potentia, uti putat Alberti in Compend. Jur. nat. &c. & Hobbes de cive c. 15. §. 5. aut ex Sapientia, aut ex eminentia divina. Rectius mea sententia id derivatur ex creationis & conservationis beneficio, quo consideramus Deum tanquam fontem omnis boni, qui nobis benefacere & velit, & possit. Conf. Budd. philos. pract. P. 2. c. 5. §. 3. Huber. P. 2. Digress. L. 1. c. 6. in fin.

*Dei voluntas est Jus ac Norma hominum.*

§. 46. Quod voluntas Dei Jus hominum sit, s. norma actionum humanarum omnes atque singulos obligans, extra dubium positum est; nec minus negari haud potest: Divinam hanc voluntatem vel rationi hominum esse inscriptam, vel per Scripturam mortalibus a Deo publicatam.

*Lex naturalis in specie quid sit?*

§. 47. Sed quæritur jam: An Lex naturalis in specie sic dicta sit vel consilium, vel pactum, vel monitum, vel dogma morale, vel Lex Dominica stricte sic dicta? Communem si sequamur opinionem Scholæ, hæc hæctenus docuit: Leges divinas & humanas esse species univocas i. e. unius ejusdemque naturæ, ita, ut definitio legis humanæ æque possit aptari Legi divinæ. Rem itaque propius consideremus.

§. 48.

§. 48. Deus proprie loquendo neque *Deus in SS.*  
 Consiliarius, neque Parens, neque Do- *se accom-*  
 minus, neque paciscens, neque rex est: *modavit*  
 prædicantur vero hæc omnia de Deo non *nostra ca-*  
 nisi per similitudinem, ac Deus, ut ho- *ptui.*  
 mines voluntatem suam comprehendere  
 queant, conceptibus hominum se in S.  
 Scriptura accommodavit hocque modo  
 se eis manifestavit, ut intellectus huma-  
 nus de Deo atque ipsius actionibus ide-  
 am aliquo modo sibi formare possit.

§. 49. Haud igitur aliter intellectus *Intellectus*  
 humanus de Deo ratiocinari potest, *Deo se de-*  
 quam prout Deus, partim in Legibus *claranti*  
 naturalibus cordibus hominum inscri- *subjicien-*  
 ptis, partim in S. Scriptura, se decla- *das.*  
 ravit.

§. 50. S. Scripturam quod concernit, *Quomodo*  
 Deus in ea se manifestavit, ut Doctor, *Deus in SS.*  
 consiliarius & Parens. Nam revelavit *se manife-*  
 præcepta moralia, suppeditavit consilia, *staverit?*  
 quibus malo evadere bonumque ac o-  
 mne id, quod vere homines reddit fe-  
 lices, consequi possumus: ut Patrem se  
 gessit, quatenus nobis revelavit & ad o-  
 culum quasi demonstravit, se esse fon-  
 tem atque auctorem omnis boni, se esse  
 omnium Creaturarum conservatorem, ni-  
 hilque aliud intendere, quam nostram  
 felicitatem.

¶

§. 51.

*De Fœderibus  
divinis  
quid senti-  
endum?*

§. 51. Equidem non diffitemur, Deum quoque ut pacifcentem se nobis ostendisse: nam S. Scriptura mentionem injicit fœderis cum Noacho, Abrahamo & cum Populo Israëlitico sanciti, si tamen verum fateri debemus, hæc omnia magis naturam consilii & moniti, quam fœderis, involvunt. Nam omne fœdus supponit paritatem personarum, quæ inter Deum ac homines ne fingi quidem potest congrue. Si accuratius inspiciamus fœdera illa divina, revera nil aliud sunt quam monita paterna cum promissionibus Gratiæ conjuncta. Imo si fœdera ea vera fuisse concedamus, non tamen inde sequitur, ac si Deus cum toto humano genere tale fœdus iniisset; multo minus, quod divina oeconomia ex natura pactorum possit illustrari.

Conf. Pufendorffii opus posthum.: & Huberi Diss. peculiare de fœderibus & Testamentis.

*Quis de  
Deo Legi-  
busque di-  
vinis con-  
ceptus for-  
mandus?*

§. 52. Quod si comparationem instituamus Dei cum Domino atque Rege, in aprico est, Deum esse omnium Creaturarum Dominum, esse Regem regum; de eo vero disceptari adhuc potest: utrum genus humanum magis Deum ut Regem i. Dominum, quam ut Parentem concipere, Legesque divinas magis ut Leges

Do.

Dominicas ac regias, quam ut monita paterna, concipere debeat.

§. 53. Nam in confesso est, unicuique Parenti competere non solum patriam potestatem, vi cujus non aliter, quam ut dominus & Rex totius familiæ, respici debeat, sed & illum ideo amorem paternum erga liberos haud deponere, imo nihil magis in votis habere, quam ut tanquam Pater & Doctor benevolus consideretur, atque amore potius filiali & fiduciali a liberis colatur, quam metu servili timeatur, ita, ut liberi monitis paternis obsequantur non ex motu plagarum, sed tanquam præceptis ex amore Patris profluentibus, & unice utilitatem liberorum intendentibus.

*Conceptus  
Patris  
quid invol-  
vat?*

§. 54. Est enim imperium duplex, vel paternum, vel dominicum. Illud intendit felicitatem atque utilitatem subiectorum; hoc vero propriam domini utilitatem. Quod & hoc imperium interdum plus participet de paterno, quam stricte dicto imperio, provenit ex diversa rerump. forma.

*De Imperio  
Domini  
nico ac pa-  
terno.*

Vid. III. I homasii diss. de hominibus propriis, & altera de Consuetudine & observantia.

§. 55. Rationem sibi relictam si intueatur, ignorat illa conceptum Dei, tanquam regis ac Domini. Nam dum con-

*Conceptus  
Patris in  
Deum qua-  
drat.*

templatur modum, quo Deus erga homines se gerit, si ponderat præcepta, quæ ipsa humana natura nobis suppeditat, si perpendit, quam paterne, quam benevole nostras dirigat actiones, non potest Deum aliter, quam ut Patrem, & omnia præcepta moralia, ut monita paterne internam obligationem producentia, venerari.

*De instinctu naturali.*

§. 56. Nam si abs te quæro: cur edas, bibas, quietem quæras, interdum calorem, alio tempore frigus optes, haud aliud tibi respondere licebit, quam naturam ipsam & instinctum naturalem te ad ea impellere. Sentis conatum stomachi, si cibo ac potu indiget, hinc edis & bibis; corpore debilitato quietem quæris, ne corpus destruat.

*Cur hunc instinctum homines sequantur?*

§. 57. Non igitur expectas jussa domini, non sollicitus es de lege aliqua præcipiente, non quæris aliorum consilia, an edere vel bibere tibi liceat, sed ipsum sequeris naturæ instinctum, qui te docet, omnia hæc ad tui conservationem conducere ac pertinere.

*Par ratio legum naturalium instinctusque naturalis.*

§. 58. Jam considera, quæso, omnes leges naturales, & facile deprehendes, te sine illis neque vitam conservare, neque feliciter vitam transigere posse. Exami-

na



na te, cur neminem lædere debeas? & *In specis i)*  
 statim in te ipso hanc responſionem in- *quod regna-*  
 venies: ne alii me rurfus lædant atque *las juſti.*  
 par pari referant. Porro perpende, quid  
 cogites, quidve intendas, ſi alii te læſe-  
 rint, aut lædere velint, non dicis: al-  
 terum eſſe injuſtum, eſſe peſſimum ho-  
 minem? nonne omnem navas operam,  
 ut prævenias atque eo redigas eum, ne  
 tibi amplius nocere poſſit? nonne quo-  
 que putas, alios paria tecum cogitare ac  
 intendere, parique modo tibi inſidias  
 ſtruere?

§. 59. Regulæ honeſti tibi præcipiunt, *2) quoad*  
 ut modereris & ſupprimas tuos affectus. *regulas bo-*  
 Jam iterum examina cauſam, cur hoc *neſti.*  
 tibi ſit faciendum? ſtatim natura ipſa ti-  
 bi acclamabit: diu vivere cupio, felici-  
 ter vitam tranſigere deſidero. Percepta  
 hac acclamatione ac reſponſione porro  
 ita colliges: ergo fugienda mihi eſt vita  
 voluptuoſa, quia morbos parit; vitanda  
 mihi eſt ambitio, quoniam mortem ac-  
 celerat; deteſtanda mihi eſt avaritia, vi-  
 deo enim neminem pauperiorem eſſe a-  
 varo, neminemque pluribus indigere;  
 quam qui omnia cupit. Unde vides ne-  
 que longam, neque felicem inveniri vi-  
 tam niſi apud eum, qui honeſte vivit.

§. 60.

3) *quod re-  
gulas deco-  
ri.*

§. 60. Regulas decori si consideres, et dicitant, nobis incumbere, ut aliis beneficiamus, juribus nostris in favorem aliorum renunciemus. Causam si scrutaris, temet ipsum modo intuere. Nonne gratum & acceptum tibi est, si alii tibi beneficiant, si id tibi indulgeant concedantque, quod de jure ab eis exigere haud potes? nonne laudas eos? nonne gratum te iis fore profiteris? nonne occasionem captas, iis vicissim inserviendi? Si injuriam fecisti aliis, nonne fateris alteri competere jus sumendi vindictam, Quod si vero hoc facere intermittat, nonne hilaris es animi, nonne grato id acceptas animo? nonne generosum ejus pectus prædicas? Cogita itaque non aliter alios erga te futuros.

*Inde colligitur affectus Dei paternus.*

§. 61. Hæc igitur si nobiscum rite perpendamus, nos satis superque convincunt, Deum non ut Dominum, sed ut Patrem, se erga nos gerere.

*Patris affectus in liberos depingitur.*

62. Ita enim se gerit Pater erga suos liberos, ut palpabili modo comprehendant, salutem ipsorum ab illius dependere monitis ac præceptis, Patrem nullum inde sentire commodum, parum ejus interesse, utrum feliciter, an vero misere vivant. Contristatur quidem, si videat & experiatur miseriam propriorum

rum suorum viscerum, dolet eorum vices, optat, ut tandem aliquando ad meliorem sortem statumque perveniant: interim si omnia sua monita frustra adhibita videt, si nullum amplius remedium superesse deprehendit, relinquit eos suo fato, optime sciens, se nimis tarde sensuros esse, quam male sibi consulerint, quam stulte rejecerint amorem paternum & monita salutaria.

§. 63. In his omnibus Deus amorem imitatur quoque vere paternum. *Comparatio Dei cum Patre.* Nam omnibus suis monitis, præceptis ac Legibus non aliam, quam nostram intendit utilitatem. Si vero nihilominus perseveramus in errore atque furore miseram degere vitam, si monita hæc aspernamur divina, dum nullum ad eum inde redundat commodum aut incommodum, cor quidem ejus paternum tangitur commiseratione, sed relinquit nos nostræ stultitiæ, optime gnarus, nos, nimis tamen sero, agnituros esse, quam stolide egerimus.

§. 64. Imperans dat leges publicatque eas suis subditis, haud suppeditans rationem & causam legum, sufficiens esse ratio, quod sic velit, sic jubeat. *Legum divinarum humana-rumque divinitas.* Verum in divinis Legibus rem aliter esse comparatam, hætenus dicta evincunt.

§. 65.

*Distinctio  
inter pœnas  
humanas  
arbitrarias  
ac natura-  
les.*

§. 65. Poenæ, quæ subsequuntur leges humanas, sunt omnes arbitrariæ. Quis enim diceret, naturale quid esse, quod fur laqueo, adulter autem gladio, debeat puniri? Poenæ vero naturales proveniunt ex ipsa actione commissa.

*Pœnas hu-  
manas Jus  
N. ignorat,  
non vetat.*

§. 66. Cui accedit, quod ratione poenarum humanarum res ita se habeat; ut illæ in jure naturæ ipso non sint fundatæ, non quidem, ut contra jus naturæ sint; s. ei adversentur, sed Jus naturæ illas saltem ignorat, hoc unice præcipiens, delinquentes esse puniendos a Magistratu. Itaque determinatio poenarum relicta est arbitrio Principis, ita, ut explosa hodie sit Grotii sententia de bello punitivo.

*Cur Deus  
ut Doctor  
Paterque  
concupien-  
dus.  
Differen-  
tia Juris  
N. a Legi-  
bus aliis.*

§. 67. Porro multo excellentius multoque convenientius est sapienti, Deum sibi concipere ut Doctorem ac Parentem, quam ut Legislatorem. Nam Jus Naturæ est dictamen rationis tranquillæ; Legibus autem propriè dictis non tranquilla redditur mens hominis, sed eo saltem homines adducuntur, ut cautius agere ac vivere discant, aut externis suis actionibus rem publ. turbare desinant. Facile vero quisque pervidet, maximam esse differentiam, & aliud, externis suis actionibus conformem se sistere legibus; aliud secundum virtutem s. honeste vivere i. e. gaudere animo tranquillo:

§. 68.

§. 68. Omnes Leges proprie tales opus *Alia disse-*  
 habent publicatione; sed publicationem *rentia.*  
 Juris naturæ ignoramus.

§. 69. Conceptus Dei, tanquam Legis- *Alterâ*  
 latoris & Regis, in me solum producit *causa De-*  
 metum pure servilem; cum econtra con- *um concipiendi*  
 ceptus Patris & Doctoris metum invol- *ut Pa-*  
 vat filialem. Humanus autem est, ob- *trēm Do-*  
 sequi Præceptis divinis ex amore filiali, *ctoremque.*  
 quam Deum metuere propter poenas.

§. 70. Ex hoc igitur concludo: Deus *Hinc disse-*  
 respectu omnium hominum est Pater, est *rum leges*  
 Doctor: jam vero neque Pater, neque *naturales a*  
 Doctor dat Leges proprie dictas; præce- *proprie di-*  
 pta ergo moralia s. Leges naturales non *ctis.*  
 sunt Leges proprie dictæ, non ejusdem  
 cum legibus humanis naturæ, non exter-  
 nam, sed internam obligationem produ-  
 centes.

§. 71. Dicis: hanc doctrinam, esse pe- *Objectione.*  
 riculosam, gignere libertatem effrænam,  
 magisque homines atheos, dissolutos at-  
 que contemptores divinx voluntatis effi-  
 cere, quam ut eos emendet, & ad veram  
 ducat felicitatem.

72. Verum, quæso, quibus hominibus *Responsio*  
 datum est Jus naturæ? omnibus quidem, *ad obi.*  
 quod haud negamus, sed qui ita debent  
 esse comparati, ut incipiant sana uti ra-  
 tione. Qui enim brutorum instar vi-  
 vunt.

K

vunt .

vunt, non desinunt desipere, si ipsis proponas, Jus naturæ producere obligationem internam, imo si maxime exclames: Leges divinas esse Leges proprie dictas, & producere obligationem quoque externam.

*Alia Objectiones.*

§. 73. Maximum dubium formare solentex Lege Protoplastis data de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, nec non illis ex Legibus, quas Grotius Jus voluntarium universale, alii Jus naturæ secundarium, alii Jus morale positivum, alii Jus divinum positivum universale vocant; quod ultimum etiam placuit Ill. Thomasio.

Vid. Grotius de J. B. & P. L. l. c. t. §. 15. sqq. Præter Scherzerum quoque & Zieglerum Kulpifius Ex. 4. th. 6. ad Grot. L. 2. c. 5. Ill. Thomasius in Diff. de crim. bigam. & in Institut. Jurisprud. div. Lib. 1. c. 21.

*Responsioi) quoad statum Protoplastorum.*

§. 74. Verum Legem Protoplastis datam quod attinet, plane huc non spectat, partim quod status Protoplastorum natura nobis sit incognitus, partim quod de hoc statu parum nobis in S. Scriptura sit revelatum, sitque hæc Lex naturæ consiliis ac monitis simillima, quod & ipse Ill. Dn. Thomasius ostendit in obs. Hall. Tom. VI. Obs. 27.

De variis hujus Legis interpretationibus vid. Bayle in Dictionnaire histor. & critique sub voce *Adam.*

§. 75.

§. 75. Quod Leges universales attinet, duplicem ob causam juri naturali eas ad jungendas esse, nonnulli censent: nempe 1) quod Levit. cap. 18. omnibus hominibus datæ sint. 2) quod prohibitionis ibidem nullæ adsint rationes naturales.

*Respons. 2)*  
*concernens*  
*Leges uni-*  
*versales*  
*div.*

§. 76. Referunt autem tria capita ad has Leges universales: 1) Præcepta de Sacrificiis & cultura Sabbati 2) de pœnis capitalibus homicidii, adulterii, incestus &c. & 3) de legibus matrimonialibus.

*Capita ha-*  
*rum legum*  
*universali-*  
*um que-*  
*nani?*

§. 77. Verum præcepta de sacrificiis sabbathique culturâ particularia esse atque solum ad rempubl. Israëliticam spectantia, satis ostendit Spencerus in Tract. de LL. Hebræorum ritualibus.

1) *De Præ-*  
*ceptis sa-*  
*crificii ac*  
*Sabbathi.*

§. 78. Pœnas capitales quod attinet, putant, competere quidem Magistratui in omnibus delictis jus aggratiandi; in delictis vero recensitis citra peccati labem hoc jus Magistratum sibi arrogare haud posse, nisi sine certissimo reipubl. periculo pœnam Jure divino dictatam exequi non valeat.

2) *Caput*  
*de Pœnis*  
*capitalibus*

§. 79. Sed præsupponimus, quod Scripturâ nunquam rationi sibi relicta contradicat, & quod adeo omnis contradictio, quæ subesse aliis videtur, sit saltem apparens. His positis clarè patet, quod illa interpretatio, quæ cum prin-

*Quenam*  
*Scriptura*  
*interpre-*  
*tatio sit*  
*preferen-*  
*da?*

cipiis rationalibus Juris naturæ convenit, sit præferenda, altera vero tanquam falsa rejicienda.

*Rationis  
enim reve-  
latione con-  
sensus.*

§. 80. Ratione textuum, quos profe-  
runt ex S. Scriptura, non nobis, sed illis  
ipsis probatio incumbit. Sufficit enim  
nobis, ostendisse interpretationem no-  
stram neque sanæ rationi, neque revelati-  
oni verboque divino esse contrariam.

*Diversitas  
Justitiæ  
divinæ ac  
humane.*

§. 81. Etenim non immiscenda sunt ar-  
gumenta theologica. Nam cuique li-  
quido constat, aliam esse rationem Justi-  
tiæ divinæ, aliam justitiæ humanæ, cir-  
ca quæstiones quoque naturales. Ita do-  
cet Ecclesia nostra contra Socinianos,  
Deum salvis Justitiæ regulis, Christo pec-  
cata humana, & Meritum Christi pecca-  
toribus fide id arripientibus imputare po-  
tuisse; Magistratus autem similia inten-  
dens omnino violaret regulas justitiæ  
humanæ.

*Jus aggra-  
tandi de-  
fenditur.*

§. 82. Concludimus porro ex præsup-  
positis; Jus aggratiandi esse speciem di-  
spensationis, adeoque quicumque legem  
fert, circa eam etiam posse dispensare.  
Habet quidem hæc regula limitationem  
suam in Legibus naturalibus stricte tali-  
bus; sufficit tamen, universalem eam ef-  
se in Legibus positivis. Omnes vero  
pœnæ



pœnæ proveniunt ex Jure positivo, cui Princeps non est obstrictus.

§. 83. Dicitur quidem Jus naturæ: puniendos esse delinquentes, modum tamen pœnæ in nullo delicto determinat, sed determinationem ejus potius Principis arbitrio relinquit. *Jus N. pœnas non determinat.*

§. 84. Quomodo Jus naturæ posset determinare pœnas, cum delicta infinites varient, ac proinde pœnæ legibus universalibus includi nequeant? Pariter determinat Jus naturæ, res justo pretio esse vendendas, haud vero statuit pretium ipsum, sed hujus determinationem relinquit prudentiæ œconomicæ. *Cur ea non determinentur?*

§. 85. Imo & hoc inferimus: quod Princeps delictum homicidii, furti &c. capitali pœna possit punire; negamus autem, quod semper id facere teneatur. Licet objiciatur: Pœnas ex jure talionis desumendas esse; falsum tamen & hoc esse, facile omnibus patebit. Nam alia est quæstio: An, qui paria patitur, justam habeat causam conquerendi, sibi fieri injuriam? quod recte negatur; uti & altera quæstio: An modo tantum damni alteri possit inferri, quantum aliquis intulit? Qui enim jus habet coërcendi, aut tantum, aut majus quoque damnum potest imponere lædenti. *Pœnas Princeps quandoque recte tollit mitigatque*

Vid. Pufend. J. N. L. 8. c. 3. §. 27.

K 3

§. 86.

*Uterior  
Defensio  
Juris ag-  
gratiandi.*

§. 86. Ast ponamus, Jus naturæ deter-  
minare poenam homicidii, incestus simi-  
liumque criminum; unusquisque tamen  
concedere debet, quod sit saltem præce-  
ptum generale de puniendo homicidio  
&c. quod jus aggratiandi in specie non  
tollit. Et quamvis objicias: Principem  
non posse dispensare circa Leges naturæ;  
notum tamen est, maximam subesse dif-  
ferentiam inter præcepta Juris naturæ  
late & stricte sic dicti, s. inter regulas ju-  
sti, & inter regulas decori atque hone-  
sti, aut ut alii loqui amant, inter præce-  
pta juris naturæ affirmativa & negativa:  
hæc nunquam variant; illa vero ex mul-  
tis circumstantiis varias admittunt limi-  
tationes.

*Pœna ho-  
mucidii non  
est necessa-  
rio capita-  
lis.*

§. 87. In specie præceptum ipsum de  
homicidio non est tale, vi cujus Magi-  
stratui necessario homicidium capitaliter  
est puniendum. Quis enim Cainum fra-  
trucidam poena capitali plectere potuif-  
set, cum eo tempore neque Magistratus,  
neque jus gladii fuerit?

*Resp. ad  
Object. ex  
Gen. 9. v. 6.*

§. 88. Opponunt quidam dictum Gen.  
9. v. 6. *quicumque hominis sanguinem fun-  
dit, ipsius etiam sanguis fundetur per homi-  
nem; nam Deus condidit hominem ad ima-  
ginem suam.* Sed cui ignotum est in tex-  
tu Hebraico extare futurum, non impe-  
ra-

rativum, adeoque innui eo occultum Dei Judicium, scil. quod, ctfi homicida effugiat poenas humanas, Deus tamen eum modo aliquo extraordinario punire velit? hanc interpretationem approbat experientia quotidiana. Rarissime enim evenit, ut homicida etiam dolofus modo ordinario moriatur, & licet quandoque contrarium accidat, ita tamen occulta Dei subsunt Judicia, ut præftet cum reverentia tacere, quam ineptum proferre judicium.

§. 89. Et quamvis regerant: futurum *Ad Excep-  
tionum*  
in Hebraicis idem significare ac imperati-  
vum; sufficit tamen, quod nostra inter-  
pretatio conveniat cum sana ratione at-  
que divina Oeconomia. *resp.*

§. 90. De Legibus matrimonialibus tenendum, quod neque Adamo, neque Noacho unquam sint publicatæ; unus quisque tamen cognoscit, quod melius sit, secundum illas regulas vivere. *Caput 3. le-  
gum uni-  
versal. de  
Matrimo-  
nio.*

§. 91. Nam licet quidem vaga libido haud pugnet cum regulis justi i. e. neque remp. neque singulos lædat, aliis tamen scandalum præbet, æstumque libidinis magis fuscitat, quam supprimit. Ita crimina Sodomitica indicia sunt hominis magis quam bestialis. Polygamia non quidem contrariatur Juri naturæ; nemo

*De vaga li-  
bidine, So-  
domia, Po-  
lygamia,  
incestu &c.*

tamen sanæ mentis inficias ibit, illa longe præstare monogamiam. Incestus non repugnat quidem Juri naturali stricte dicto; sed rectius ab eo abstinetur, ac sane Magistratus peccaret, si eum promiscue in republ. permetteret. Concubitum cum fæmina menstruata adversari certe regulis honesti, omnibus liquet; nocet enim non solum sanitati magnumque libidinis extremæ prodit indicium, sed & liberos tali ex concubitu genitos morbis aliisque incommodis obnoxios reddit: quare cum ipsa quoque S. Scriptura serio prohibuit.

*De Mariti  
Imperio in  
Uxorem.*

§. 92. Imperium mariti in Uxorem prorsus ad Leges universales referri nequit; cum Deus saltem ostendere voluerit, multum facere ad conservationem atque utilitatem familiarum, ut propter imbecilitatem sexus fæminini marito imperium aliquod in Uxorem tribuatur, non quidem ut graviter imperet Uxori, sed ut saltem voluntas Uxoris dependeat a mariti voluntate & cum hac concordet. Ex quo simul sequitur: quod licet maritus nihil committat adversus Jus naturæ stricte sic dictum, renunciando huic imperio; magis tamen oeconomix familiarumque conservationi inserviat, maritum hoc imperio pollere & quidem, quod  
jam

jam dixi, ob infirmitatem sexus fœmini-  
nini.

§. 93. Legem Noachicam de non co- *Lex de non*  
medendo sanguine quod concernit, ea *comedendo*  
ab aliis ad Leges universales plane non re- *Sanguine.*  
fertur. Quicquid vero sit, sufficit tamen,  
quod & hujus ratio naturalis haud lon-  
ge sit petenda, imo suppeditat eam ipsa  
S. Scriptura Genes. IX. quæ simul perspi-  
cue docet, monitum ibi saltem dari, non  
autem legem poenalem.

§. 94. Neque obstat textus Levit. *Resp. ad*  
XIII. ubi Deus minatur, quia gentes in *Obj. c. Le-*  
omnibus illis ibidem vetitis abominatio- *vit. 18. v.*  
nibus ambulaverint iisque se contamina- *24. sqq.*  
verint, quod illas ea propter velit ejice-  
re; item, quod omnis anima, tales abomi-  
nationes perpetrans, debeat a populo suo  
extirpari. Non enim loquitur de omni-  
bus delictis, sed de illis saltem, quæ c. l.  
recensentur. Accedit, quod phrasîs ex-  
tirpare de populo suo aliud plane quid  
denotet, quam vulgo existimatur.

Vid. Seldenus de Jur. N. & G. lib. 7. c. 9. Have-  
mann in Gamolog. p. 257. sqq. Tenzelii Menses  
Germ. de An. 1690. mens. Xbr. p. 1085. Dassov.  
in Colleg. MSt. ad Levit. c. 20. sect. 2. Conf. quo-  
que Genes. XVII. v. 14. Lev. XX. v. 20. sq. observ.  
Hall. Tom. VI. obs. 27. §. 52. sq.

§. 95. Lex igitur Naturæ sumitur vel *Legis Na-*  
generaliter, & comprehendit omnes re- *tur, & Ho-*  
gu- *monymia-*

K 5.

gulas actionum moralium ex dictamine sanæ rationis proficiscentium, s. omnia præcepta moralia, quæ tam ad felicitatem externam, quam internam, i. e. ad regulas justî, decori ac honesti spectant, s. concernant officia erga se ipsum, s. erga alios, & hoc in sensu est complexus Ethices, Politices & Juris naturalis proprie talis; vel specialiter, quatenus illa saltem præcepta moralia complectitur, quæ fluunt ex regulis justî; s. officia erga alios respiciunt, ne turbemus societatem & salutem externam: atque hoc in sensu Jus naturæ dignoscitur ab Ethica & Politica.

*Definitio  
Principiorum honesti.*

§ 96. Principia honesti sunt regulæ actionum moralium, quatenus respiciunt officia hominis erga se ipsum.

*Definitio  
Principiorum decori.*

§ 97. Principia decori sunt regulæ actionum moralium, quæ inculcant officia hominum erga alios, quatenus sub capite officiorum humanitatis comprehenduntur.

*Ratio diversitatis legum naturalium: ac positiv. universal.*

§ 98. Ex his præmissis eo melius jam perspicitur differentia inter Legem naturalem & illas Leges positivas universales. Nam Lex naturæ stricte sic dicta est illa lex, quæ continet regulas justî. Leges vero illæ universales minime sunt leges positivæ, sed tantummodo conclusio.

siones, ex regulis honesti atque decori fluentes. Non enim sufficit juste vivere i. e. non lædere societatem, sed debemus etiam ei inservire ipsiusque salutem promovere; quod fit decore ac honeste vivendo. Nam quid juvat, externa frui felicitate, si quiete animi simus privati?

§. 99. Jam quoque facile decidemus *Differentia* controversiam: in quonam consistat dif- *Justitiæ &* ferentia inter crimina & vitia, inter vir- *criminis,* tutes atque Justitiam. Nam crimina, *Virtutum* quæ justam causam belli s. vindictæ præ- *vitiorum-* bent, nituntur regulis justæ; Virtutes ve- *que.* ro ac vitia oriuntur ex regulis decori atque honesti.

§. 100. Jam quoque facile erit intellectu *De Præ-* dictum Scholasticorum alias valde obscu- *ptis J. N.* rum: quod Præcepta Juris naturalis ne- *affirm. &* gativa obligent semper & ad semper; af- *negativis.* firmativa vero semper, sed non ad semper. Nam præcepta negativa nil aliud sunt, quam ea, quæ ex regulis justæ fluent; affirmativa, quæ ex regulis decori honestique manant.

§. 101. Et quia in Jure naturali ac posi- *Scholasti-* tivo de moralitate actuum humanorum *corum opi-* disponitur, valde dissentiunt aliqui, rem- *niode acti-* que obscuram ac intricatam reddunt, dis- *bis Juris* quirentes: in quonam consistat differen- *N. & posi-* tia Juris naturalis & positivi ratione ho- *tivi.* rum

rum actuum? Communiter enim defenditur a Scholasticis; quod actus per se ac sua natura, & antecedenter ad divinam voluntatem honesti atque turpes pertinent ad Jus Naturæ; actiones autem indifferentes ad Jus positivum.

Vid. Osiander in Typo Legis naturæ, Zentgraf de origine Juris naturæ & Ill. Thomasius in Jurisprud. div. L. I. c. 2. §. 74.

*Hujus sententia Refutatio.*

§. 102. Sed doctrina hæc Scholasticorum omni caret connexionem. Nam si concipimus Deum (uti faciunt illi) tanquam Principem despoticum, & Leges naturales ut stricte sic dictas obligationemque externam saltem parientes, imo quoque turpitudinem ac honestatem pro synonymo justii & injusti, contradictorium est dicere, quod dentur actus sua natura ac antecedenter ad voluntatem divinam honesti vel turpes. Nam sine lege non potest concipi justum vel injustum: antequam igitur Deus velut Legis lator legem naturalem dedit, non potuit concipi, neque ut honestum neque ut turpe, neque ut justum, neque ut injustum aliquid.

*Regule morales omnes obligant.*

§. 103. Cum autem juxta superius dicta Deum haud debeamus concipere ut Dominum & Legis latorem, sed ut Patrem atque Doctorem, qui non dedit Leges



ges proprie sic dictas, sed consilia ac monita paterna; honestas & turpitude denotat Virtutem vitiumque in genere, ita, ut sine scandalo asserere queamus: hæc omnia non esse indifferentia, sed hominem secundum has regulas morales vivere debere, quamvis statuamus; Deum non dari. existere; quod iterum Grotius secundum philosophiam suam sine contradictione fingere haud potuit, uti jam recte annotarunt ipsius Commentatores.

§. 104. Fluit ex hætenus dictis adhuc alia differentia legum divinarum & humanarum: quod scil. leges humanæ possint mutari; divinæ vero sint immutabiles: non, quod Potentia Dei sit restricta certisque limitibus inclusa, sed quod facere nolit contradictoria. Posita itaque natura humana, uti ea revera est comparata, lex naturæ est immutabilis.

*Sole Leges natr. ac divinae sunt immutabiles.*

Vid. Grotius de I. B. & P. L. I. c. 1. §. 10. & 15.  
Kulpis in Colleg. Grotian. p. 16. th. 7. lit. X. Y.  
Bayer in posit. Jur. nat. c. 9. §. 34. sqq.

§. 105. Qui mutationem Legum divinarum statuunt, eam haud ex rationibus naturalibus, sed ex S. Scripturæ locis probare conantur v. g. ex parricidio Abrahamo a Deo jussio Genes. XXII. 2. ex furto Israelitarum Exod. XI. 12. ex falsiloquio obstetricum, ex occisione infantum

*Object. interpretæ ex SS.*

in-

in bellis Judaicis &c. Sed omnia hæc fluunt ex inepta S. Scripturæ interpretatione ac ignorantia principiorum moralium. a) Alii hic iudicium suspendunt. b)

a) Vid. Dn. Bodini disp. de Jure Mundi §. 2. & de Reservat. div. Majest. §. 3.

b) Vid. Huber. in Digress. P. 2 L. 1. c. 7. n. 6. Becmann. in Parallel. polit. c. 2. §. 10. Add. Pufend. in I. N. & G. L. 2. c. 3. §. 4. & Vitriarius in Jnstit. iur. nat. & Gent. L. 1. c. 1. §. 18.

*Lex N. quæ  
tenus sit  
immutabi-  
lis.*

§. 106. Optime ex hac controversia nos expediemus, si discernamus Jus naturæ strictè tale, a Jure naturæ in sensu lato. Quamvis enim Jus naturæ tam late, quam strictè sumtum sit immutabile; magis tamen perpetuæ atque universales sunt regulæ justi, quam regulæ honesti & decori.

Kulpis hinc existimat Jus naturæ non versari circa res maximam partem perpetuas, sed circa omnino perpetuas. Vid. ejus Colleg. Grotian. Ex. I. th. I.

*Probat.  
quod regu-  
le decori  
honestique  
variant.*

§. 107. Modus enim perveniendi ad regulas honesti variat; aliter voluptuosi; aliter avari & aliter ambitiosi ad viam Sapientiæ perducuntur: regulæ decori etiam habent gradus diversos ac infinitos bonitatis & malitiæ intermediæ.

*Cur Lex  
naturæ: ab-  
rogari ac  
dispensari  
nequeat?*

§. 108. Positis his sequitur: quod Leges naturales multo minus abrogari possint ab humano Legislatore; & quod neque derogationi neque dispensationi

cir-

circa eas locus concedi queat. Cavetamen, confundas ea, quæ sunt contra, & quæ præter jus naturæ. Nam omnis lex, juri naturali repugnans, est injusta, nullamque producit obligationem v. g. furta, rapinæ, occisio hominum innocentium &c. Quod autem tales leges dentur, perperam negatur ab Hobbesio in tr. de Cive c. 6. §. 9. sq. De quo infra pluribus.

§. 109. Multa vero Jus naturæ indecisa relinquit v. g. de Testamentis, de successione, dominio, servitute, quæ arbitrio Magistratus sunt relicta, ita, ut de iis possit disponere secundum utilitatem reipubl. Ita & Magistratus potest determinare naturam pactorum, impedire effectum fidei datæ.

*Jus N. multa non determinat.*

§. 110. Jus naturæ late sic dictum versatur circa bona & mala media, quæ pro diversitate circumstantiarum modo boni, modo mali naturam induunt. Varians autem hæc moralitas facile ex variante hominum natura potest cognosci; hinc etiam dicimus: non omnia omnibus esse honesta & turpia.

*Quonam ratione regulæ honesti variant?*

§. III. Eodem modo se res habet cum regulis decori, quæ ob variantes circumstantias inter gentes variant, ita, ut, quod uni genti decorum est; apud alteram pro indecoro, aut pro non decoro habeatur.

*Quomodo regulæ decori variant?*

Vid. Præfat. Cornelii Nepotis.

§. 112.

*Necessitas  
Legum po-  
sitiv. huma-  
narum.*

§. 112. Exinde videmus, quod omnino valde indigeamus Jure positivo. Nam maxima pars hominum ita stultitiæ est dedita, ut omni interna obligatione posthabita, parum curet veram boni jucunditatem, damnumque ac tædium veri mali; imo etsi multi illa percipiant, sibi tamen blandiuntur persuasi, se omnibus ex his malis per astutiam suam facili negotio posse eluctari.

*Pœnarum  
Necessitas.*

§. 113. Quam ob causam necesse est, ut Princeps multa determinet, quæ Jus naturæ indeterminata reliquit. Pœnæ enim externæ eo ipso, quod magis sunt palpabiles, majorem etiam metum iucutiunt stultis, multoque facilius efficiunt, ut definiant committere ea, quibus resp. inquietatur.

*De Lege  
div. moral.  
ceremon.  
ac forensi.*

§. 114. Vulgo quoque lex divina dividitur in moralem, ceremoniam ac forensi. Quæ distinctio tolerari potest, modo recte explicetur. Sed communiter multa referuntur ad leges morales, quæ saltem sunt leges particulares populo Israelitico latæ: quamvis concedendum sit, & inter has nonnullas esse, quæ alias quoque gentes ex regulis decori & honesti obligent.

Vid. III. Thomasi disp. de crimine bigam. §. 8. & 20.

§, 116.

§. 115. Alii dividunt Jus divinum in *Alia Divi-*  
 Mosaicum & Christianum, & illud in ce- *fo leg. di-*  
 remoniale & morale. Morale subdivi- *vin. reje-*  
 dunt in Ethicum & Politicum, a) Sed *ta.*  
 nec hæc divisio est adæquata.

a) Vid. Huber de jure Civit. L. I. sect. 1. cap. 6.

§. 116. Alii dividunt Leges divinas in *Variæ alio-*  
 antediluvianas, post diluvianas & in Leges *rum Divis-*  
 N. T. a) A quibusdam Leges hæc N. T. *ionis.*

plane rejiciuntur, ab aliis admittuntur,  
 ac dividuntur in perpetuas atque tempo-  
 raneas. b) Imo novissime quoque We-  
 berus c) defendit: Christum omnino  
 Legislatorem dici posse; quam ob cau-  
 sam his ei ab aliis est mota. Sed si ve-  
 rum liceat fateri, ad *λογομαχίαν* lis omnis  
 redit; cum alio in sensu verbum Legis-  
 latoris sumat, quam adversarii ipsius.

a) Grotius de J. B. & P. L. I. c. 1. §. 6. & L. 2. c. 1.

§. 13.

b) Grotius c. 1. L. I. c. 1. §. 17. Huber. L. I. de  
 jure Civit. sect. 1. c. 6. Schilter. in Instit. Jur. Can.  
 L. I. tit. 2. & in Philos. moral. c. 9. §. 25. Bodinus  
 de obligat. for. Jur. div. th. 13. aliique.

c) In Specim. annotat. ad Pufend. Probem. §. 4.  
 & in declaratione ulterior. de Christo, novo  
 Legislatore.

§. 117. Nec insitimus quæstioni: An *Bruta non*  
 jus naturæ cadat in bruta? quam affirmat. *sunt Juris*  
 DN. Bodinus de jure Mundi §. 3. ac alii, *N. capacita-*

quos citat Kulpis Ex. I. Colleg. Grot. L.  
 I. c. 1. §. 8. lit. Z. Huber. in Digress. P. 1. L.

L

L. G.

I. C. II. Communiter autem negatur. Nec immoramur distinctioni Juris Naturæ in primævum & secundarium rem magis obscuram reddenti, quam explicanti.

*De Lege  
scripta &  
non scri-  
pta.*

§. 118. Diximus: quod Jus positivum indigeat publicatione. Hæc verò duplici fit modo, vel viva voce, vel per scripturam. Unde & Lex in scriptam, vel non scriptam dispescitur. Communiter quidem ad essentiam legis scriptæ non requiritur scriptura, puta ea de causa, quia lex non scripta pro synonymo consuetudinis habetur; quod tamen est falsum.

*Consuetudo  
quid sit?*

§. 119. Est autem consuetudo nihil aliud, quam id, quod jus efficaciam & impunitatis producit, non tamen jus obligationis, ita, ut hanc ob causam non ut species legis proprie sic dictæ considerari queat; quamvis lex non scripta per consuetudinem possit probari.

Vid. III. Thomasi disp. de Jure consuetudinis & observantia, Dn. Gribneri disp. de observant. Colleg. Jurid. & de præjudicio Principum ex a-busu Juris Justin. c. 3. §. 2.

*Quæstiones  
circa Jus  
Gentium.*

§ 120. Nunc adhuc restat Jus Gentium, circa quod duæ præcipue ventilantur quæstiones: 1) An sit species Juris divini & naturalis; an vero positivi & humani? 2) An sit mutabile, vel immutabi-

bile? Quas facile decidere poterimus subla-  
ta saltem homonymia Juris Gentium.

§. 121. Interdum accipitur apud aucto- *Juris Gent.*  
res pro Synonymo Juris naturalis, hoc- *homony-*  
que in sensu est immutabile. *mia, & qui-*

§. 122. Interdum sumitur pro eo Jure, *dem 1) si-*  
quo actiones gentium inter gentes diri- *gnificatus.*  
guntur; quo referunt inviolabilitatem le- *Ejus alter-*  
gatorum, transitum militum per territo- *Significa-*  
rium alterius, præscriptionem &c. In *tus.*

hoc sensu nihil aliud est, quam jus natu-  
ræ ex regulis decori fluens, & secundum  
supra allata certo respectu est immuta-  
bile.

§. 123. Interdum pro lege positiva mul- *Tertius*  
tis gentibus communi; quo referunt jus *Significa-*  
Roman, leges Wyszlicenses, feuda &c. *tus.*

Sed hæc jura apud omnes gentes nun-  
quam fuerunt recepta; hinc, si excipias  
id, quod in legibus positivis est juris natu-  
ralis, neque immutabilitatem invol-  
vunt.

§. 124. Interdum pro facultate agendi *Quartus si-*  
s. pro attributo personæ v. g. huc spe- *gnificatus.*

ctant: jura commerciorum, bellum, fer-  
vitudes &c. & tunc est quidem species  
juris naturalis, sed eodem modo mutabi-  
le, uti jus naturæ ipsum in hoc signifi-  
catu.

§. 125. Interdum pro moribus plurium *Quintus si-*  
*L 2* *gen-* *gnificatus.*

gentium. Sed intuitu morum rectius decorum vocatur, & plane abusive sumitur pro jure. Fundamento quoque omni genuino caret; cum hoc innitatur distinctioni inter gentes moratas & barbaras. Verum quis determinabit, quæ gentes sint barbaræ, quæ moratæ? Nam omnes inter se sunt æquales, hæcque æqualitas per ritus ac ceremonias, quibus una gens ab altera se distinguit, nequit tolli atque mutari.

*De æqualitate Gentium.*

*Dissentientes refutantur.*

§. 126. Accedit, quod hæc distinctio originem suam debeat fastui Græcorum, Romanorum, aliorumque illos imitantium. Historiarum quoque monumenta satis nos edocent, gentes barbaras multo prudentiores minusque vitiosas fuisse, quam gentes sic dictas moratas.

Vid. Zieroldi diss. de præstantia gentium barbararum præ moratis, III. I homasii diss. de hominibus propriis § 39. & cautel. circa præcognita Jurisprud. c. 15. §. 29. Tacitus de morib. German. Dissentit Heumann: Part. 2. A& Philof. c. 2. §. 20.

*Sextus Significatus Juris Gentium.*

§. 127. Alii Jus Gentium constituunt tanquam speciem juris humani. a) Summa eo reedit: Gentes inter se nullum agnoscunt superiorem, sed pares sunt; & lege aliqua humana nequeunt obligari.

a) Vid. præter Grotium Rachelius in diss. de jure Gent.

§. 128.



§. 128. Excipiunt: Gentes pacto posse obligari. Verum cum de ejusmodi pacto apud omnes Historicos altum sit silentium, vix potest fingi ac multo minus aliis imponi, ut credant.

*Gentes Pacto non obligantur.*

§. 129. Si dixeris: Pactum adesse tacitum, hoc pariter probari nequit. Nam imitatio nullum jus nullamque obligationem potest producere. Si fingas cum aliis consuetudinem, obstat, s. sumamus eam pro lege non scripta, s. pro jure impunitatis atque efficaciz, quod priori casu supponat superiorem tacito consensu illam confirmantem, qui inter gentes non datur; posteriori vero casu non obliget i. e. non faciat legem.

*Ad Exceptio nem respondetur.*

§. 130. Alii a) Jus naturæ contra distinguunt Juri alicui universali, quod definiunt: Esse justi atque injusti scientiam circa statum ac conceptum Civitatis, præsertim circa summum in Civitate imperium; quod admitti quidem potest, sed hac ratione citra necessitatem multiplicamus disciplinas.

*Jus universale quid dicatur?*

a) Vid. Huber de jure Civitat. Hertius in diff. de Jurisprud. universali & DN. Böhmert in Introd. in Jus public. universale.

## CAP. VI.

De

## Principio Juris Naturæ.

§. 1.

*Neglectus  
Principii  
Juris Na-  
turæ.*

**A**Nte tempora Grotii nemo fere sollicitus erat de genuino quodam Juris Naturæ fundamento, imo si qui Jus naturæ data etiam opera excoluerunt, naturalibus tamen aliena prorsus principia immiscuerunt.

*Ejusdem  
indagatio  
sedula.*

§. 2. Cum vero jus naturæ per Grotium quasi reviviscere novamque faciem induere cœpit; certatim Viri celeberrimi omnes ingenii nervos eo intenderunt, ut principium aliquod certum hujus disciplinæ constituerent, ex quo sine multo labore & difficultate omnes questiones juris naturalis decidi ac cognosci possent.

*De scopo  
indaganti-  
um.*

§. 3. Verum utrum omnes finem, quem intenderunt, obtinuerint, merito dubitamus, multosque oleum ac operam perdidisse credimus. Quin etiam persuasi sumus, plures ne quidem habuisse intentionem proponendi ejusmodi principium universale, sed potius contradi- cendi, aut ostentandi eruditionem,

§. 4.

§. 4. Intelligimus vero per principium Juris naturalis non illud, quod a Metaphysicis principium essendi s. fiendi nominatur, & hoc extra omne dubium in voluntate Dei est quærendum; sed principium cognoscendi, s. propositionem primam & generalissimam Juris naturæ, quæ omnes propositiones legum naturalium, quotquot dari possunt, comprehendit.

*Quid per Principium J. N. intelligatur?*

§. 5. Quorsum ex omnium confessione requiritur, ut sit 1) verum hoc principium i. e. ut ei insit connexio subjecti cum prædicato; quomodo enim alias aliæ inde veritates possent deduci? 2) universale, s. quod omnes quæstiones & partes juris naturæ complectitur. 3) Perspicuum i. e. ad captum omnium hominum, s. sapientum s. stultorum; secus haud possent convinci, quod ductum Juris naturæ sequi actionesque suas secundum illud instituire teneantur. 4) Adæquatum, ut scil. non solum omnia, sed & sola Juris naturæ præcepta comprehendat, i. e. ut neque in excessu neque in defectu fines s. limites aliarum disciplinarum ingrediatur, & ut adeo neque pauciores, quam ad Jus naturæ pertinent, neque plures exinde sequantur conclusiones.

*Requisita Principii Juris Naturæ:*

L 4

§. 6.

*Principia  
falsa sunt*

1) *Consensus  
Gentium*

um.

§. 6. Non igitur pro genuino juris naturæ fundamento agnoscere possumus 1) Consensum omnium gentium, quem Cicero legem naturæ indigitavit. Deficit enim requisitum unum scilicet veritatis, quia hic consensus aut plane non adest, aut comprehenditur etiam in actionibus, injustis, inhonestis ac indecoris.

Plura de consensu Gent. vid. in Baylii Tr. Gall. quem inscripsit: Pensees diverses sur la Comete.

2) *instinctus  
naturæ*

§. 7. Neque adeo 2) instinctum naturalem, quem idem Cicero plurimique Scholasticorum commendant.

3) *Sanctitas  
& Justitia  
Dei.*

§. 8. Neque 3) Sanctitatem & Justitiam divinam, quam Röhrensee de Fundament. J. N. §. 7. cum Scholasticorum cohorte defendit hanc formans propositionem: Quicquid convenit cum sanctitate divina, id Jure naturali est præceptum.

*Probatio  
hujus  
Sententia.*

§. 9. Hoc ita demonstrare contendit: nimirum hominem fuisse conditum ad imaginem Dei, necesse igitur esse, ut & post lapsum radii divinæ Sanctitatis Justitiæque, tanquam imaginis divinæ reliquæ, in homine resplendescant: cum itaque Deus sibi ipsi Legem æternam statuerit, quæ nihil aliud esset, quam ejus Sanctitas, Justitia, Sapientia atque Bonitas,

tas, huic omnino Legem naturalem superstruendam & ita argumentandum esse: Quicquid sit rectæ rationi conveniens, id quoque conveniens esse Sanctitati Justitiæque divinæ.

Vid. Osiander in typo legis naturæ, & Zentgrau de Origin. Jur. nat. art. 4. §. 2.

*Ad eam Re-*

§. 10. Sed hæc Propositio neque est vera & potius figmentum Scholasticorum: quis enim Deum legi subicere vellet, quæ nil nisi imperfectionem involvit? neque adæquata: cum etiam Leges divinæ particulares necessario fluere debeant ex sanctitate divina; neque perspicua, quia ratio sibi relicta ignorat, quid sit divina Sanctitas, Justitia &c.

*Non sicut*

Vid. Ill. Thomasius in Jurispr. div. L. I. c. 4. §. 20. sqq.

4) *Status integritatis.*

§. 11. Neque 4) Statum Integritatis, sicut sentit. Valentin. Alberti. in Compend. J. N; apertum enim est, quod perinde atque præcedens de Dei sanctitate, Justitia, imagine &c: neque perspicuum, neque adæquatum sit hoc principium.

Vid. Ill. Thomasius in Jurisprud. div. L. I. c. 3. §. 10-62. Ryffel in Principiis Juris nat. §. 11. aliique. Referenda hæc est quoque controversia inter Muelenium & Musæum de Jure naturæ Paradisiaco. Vid. interim Ill. Thomasius c. L. p. 70. & Beyerus in Specim. I. Notit. auctor. Jurid. p. 23.

5) *utilitas singulorum privata.*

§. 12. Neque 5) utilitatem singulorum privatam, quam vulgo moti auctoritate

La 5

Ci-

Ciceronis L. 3. de Offic. Lactantii aliorumque Epicuro, Carneadi & Cynicis attribuerent solent. Nam licet vera hæc sit propositio: nihil honestum esse, quod non sit utile, non tamen est adæquata adeoque Principium cognoscendi Juris naturalis nequit constitui.

*De 6) & 7)* §. 13. Neque 6) actus, quos natura omnino animalia docuit, a) neque 7) tria Præcepta, quæ ab Imperatore Justiniano §. 3. Instit. de Justit. & Jur. commemorantur. Nam principium Juris naturalis debet esse unum atque evidens; tria vero hæc præcepta obscura sunt & unum sub se comprehendit alterum. b)

a) Vid. Noodt ad D. tit. de Just. & Jur.

b) Vid. Itamen Gvil. Grotius in Enchirid. c. 9. §. 1. Add. Strimeffii Praxiol. apodict. c. I. §. 8. Cumberland de Legibus nat. in Prol. §. 16. Joh. Sarr. Stryk in Not. ad §. 3. Instit. de Justit. & Jur.

*8) de Decalogo.*

§. 14. Neque 8) Decalogum, quem Melanchthon in Philos. moral. p. 125. & Hemmingius in Typo Juris naturæ attendi debere defendunt, quam sententiam etiam Philoni, Calixto & Boeclero tribuit Kulpis in Colleg. Grot. p. 10. lit. r. Sed hoc Principium non est adæquatum; cum singula Decalogi præcepta ad Jus naturæ referri nequeant.

*9) De Lege & Evangelio.*

§. 15. Neque 9) Legem & Evangelium, qui-

quibus Jus naturæ comprehensum esse defendit Gratianus, quem secutus fuisse in eo videtur Jo. Ludovic. Praschius putans, ex Scriptura S. Jus naturæ esse desumendum; quod aperte est falsum.

§. 16. Neque 10) Providentiam divi-<sup>10) de Pro-</sup>nam, ad quam provocat Rachelius de Jur<sup>videntia</sup> nat. th. 30.<sup>Dei</sup>

§. 17. Neque 11) Cultum divinum, in<sup>11) de cul-</sup>quo principium Juris natur. quæsi-<sup>tu Dei.</sup>visse Nitzschram tradit Kulpis c. 1. Ex. 1. th. 6. qui elementa Jurisprudentiæ ejus universalis MSta allegat eandemque sententiam Zentgravio tribuit: quod tamen neque evidens est, neque adæquatum.

§. 18. Neque 12) Amorem Dei ac ho-<sup>12) De A-</sup>minum, quam sententiam propugnat He-<sup>mores Dei</sup>dingerus in consp. Jur. nat. qv. 2. §. 13.<sup>hominum-</sup>Weisius, Hopperus, Strimelius, Janus in<sup>que.</sup> diss. de Princip. Jur. nat. aliique a) Hæc enim sententia disciplinas naturales atque supernaturales, imo principium essendi ac cognoscendi confundit.

a) Vid. Kulpis c. 1. lit. p. & Bæcker ad Grot. p. 8.

§. 19. Neque 13) finem Mundi. quæ est<sup>13) de fine</sup> opinio Velthuysii, quem refellit Pufen-<sup>Mundi s.</sup>dorf. in I. N. & G. L. 2. c. 3. §. 12. sqq. <sup>Natura.</sup>Hanc vero opinionem revocavit Jo. Ge. Pritius de princip. iur. nat. qui finem naturæ humanæ substituit.

14) *de fine creati hominis.* §. 20. Neque 14) finem hominis conditi, quem pro principio venditat Müldnerus in disp. de princip. Jur. nat. & Titius in Obs. ad Pufend. de offic. Hom. & Civ. cap. III.

15) *de conformatione cum Deo.* §. 21. Neque 15) conformationem hominis cum Deo Creatore, sicut sentit Zentgravius de Origina. Jur. nat. art. 9.

16) *de consensu Gent.* §. 22. Neque 16) consensum gentium moratorum, quod principium nonnulli Aristoteli adscribunt. Sed haud adæquatum esse, per se patet, unde id refutavit jam Hobbes de Cive c. 2. §. 1. Pufend. in I. N. & G. L. 2. c. 3. §. 7. Vid. quoque Seldenus de I. N. sec. discipl. Ebraeor. L. I, c. 6. Bœcler. ad Grot. p. 101. Zentgrav. p. 200. in orig. Jur. nat.

17) *de ordine Mundi.* §. 23. Neque 17) ordinem Mundi, quam opinionem fovit B. Henr. Bodinus in diss. de iure mundi, sed, præter alia ab Ill. Thomasio, a) observata, summa laborat obscuritate.

a) in Diss. de fundament. in caus. matrimon. §. 24. Neque 18) Jo. Joachim. Zentgravi assimilationem Dei.

19) *de benevolentia.* §. 25. Neque 19) Richard. Cumberlandi de LL. nat. benevolentiam.

20) *de amore sincere.* §. 26. Neque 20) Bened. Winckleri in princip. iur. piium & sincerum amorem in Deum & homines.

§. 27.



§. 27. Neque 21) D. Jo. Franc. Buddei <sup>21) de</sup> tria principia. cole Deum, temperanter <sup>Principio</sup> vive, socialiter vive. <sup>D. Buddei</sup>

§. 28. Neque 22) Seldeni principium, <sup>22) de Sel-</sup> qui Jus Nat. & gent. juxta disciplinam <sup>deni Prin-</sup> Hebræorum tradere, & ad VII. illa præce- <sup>cipio.</sup> pta Noachidarum revocare voluit. Agit autem in his 1) de cultu externo 2) de maledictione nominis divini 3) de homicidio 4) de turpitudine ex concubitu 5) de furtis & rapinis 6) de judicio 7) de animalis viventis membro non comedendo. Quibus alii 8) addunt de Sabbatho 9) de Parentibus colendis. a) Verum hoc neque verum, neque perspicuum, neque æquatum, neque unum ac universale est.

a) Vid. Gvil. Grotius in Enchirid. iur. c. 5. § 16. Add. Hugo Grgtius de J. B. & P. L. 2 c. 5. §. 13.

§. 29. Quod 23) Hobbesii principium <sup>23) de Hob-</sup> concernit, a plerisque quidem refutatur, <sup>bessii Prin-</sup> sed non uno modo ejus proponunt sen- <sup>cipio.</sup> tentiam. Nam alii putant ejus principium esse potentiam, a) alii conservacionem sui ipsius, b) alii bellum omnium adversus omnes, alii pacta esse servanda, alii æqualitatem statumque naturalem, c) alii consilium Servatoris: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. d) Enimvero sen-

sentio cum iis, qui putant, Hobbesium de principio aliquo Juris naturalis haud fuisse sollicitum, sed tantummodo originem Societatis & Civitatis inquirere voluisse.

a) Vid. c. 1. & 9. de Cive.

b) Vid. Kulpis Ex. I. th. 5. lit. m. Add. Hobbes de Civ. c. I. §. 7. & in Leviath. c. 14. sq.

c) Vid. Jani diss. de princip. Jur. nat. §. 18.

d) Vid. Pasch. in Nov. Antiq. c. 4. §. 8. sqq. Proclei diss. de Orig. Princip. Jur. nat. sect. I. §. 17. De defensoribus Philosophiæ Hobbesianæ, Scargilio, Velthuyfio, KelWigio, Bccmanno, Pufendorfio, & adversariorum, quos nactus est, multitudine agitur in Historia Juris nat. & vita Hobbesii.

24) de Cocceji Principio.

§. 30. Neque voluntatem Dei, quæ sententia est. Cocceji in disp. de princip. Jur. nat. quem sequuntur filius Sam. Coccejus in tract. de Princip. Jur. nat. & Kestner in Jurisprud. natur. c. I. th. 8.

Cur hoc pro falso habeatur?

§. 31. Si de principio essendi essemus solliciti, facile quisque concederet, allatum a B. viro principium recte se habere: sed cum de principio cognoscendi loquamur, per quod voluntas Dei debeat innotescere hominibus, in ejus castra transire haud possumus.

1) id non est verum.

§. 32. Nam multi dubitant de hujus principii veritate, asserentes: Jus naturæ obligare homines, licet statuamus, Deum

non

non esse, aut ab eo non dirigi negotia humana.

Vid. Grotius in Prolegom. de J. B. & P.

§. 33. Neque adæquatum est, cum com-<sup>2) non ada-</sup>prehendat quoque Leges divinas positi-<sup>quatum.</sup>vas.

§. 34. Tandem quod principium foci-<sup>Socialitatis</sup>alitatis attinet, multi hæctenus ejus reper-<sup>defensores</sup>ti sunt defensores, licet fatendum etiam <sup>quinam?</sup>fit nonnullis, falso id adscribi. Ita Kulpis c. l. §. 7. lit. u. arbitratur, Aristotelem & Ciceronem eandem fovisse opinionem, quod mihi haud persuadebit, multoque minus hoc, ac si Ambrosius atque Augustinus idem senserint.

§. 35. Stoicos ejusdem jam fuisse opi-<sup>De ea Stoi-</sup>nionis probatum dare nititur Kuhnius in <sup>corum sen-</sup>pecul. Diss. Argentor. 1730. An. habita. <sup>tentia.</sup>Sed licet Stoici Socialitatem valde commendaverint, pro unico tamen principio illam habuisse haud videntur.

Vid. Ambros. de Offic. L. I. c. 8.

§. 36. Grotius itaque primus certe est <sup>De Grotio</sup>ac Pufendor-<sup>ac Pufendor-</sup>defensus, qui hoc principium in ordi-<sup>dorf. Socia-</sup>dem redegit, & quem omnes Socialitatis <sup>litatis de-</sup>defensores hæctenus sunt secuti. <sup>fensoribus.</sup>Accuratori vero ordine melioribusque rationibus postea hoc adstruere conatus est Pufendorf. multosque nactus est sectato-  
res

res, quos omnes commemorare nihil at-  
tinet.

*De Sociali-  
tatis impu-  
gnatoribus.*

§. 37. Alii hanc hypothesin multis dif-  
ficultatibus scaterere summo studio osten-  
dere laborarunt, inter quos præter reli-  
quos Pufendorffii advertarios est Strime-  
sius, Zieglerus, Osiander, Scharrockius,  
Pritius, Titius & Coccejus.

*De ea qua-  
nam sit sen-  
tentia Ill.  
Thomafii?*

§. 38. Quamvis etiam Ill. Thomafius  
in Jurisprud. div. sententiam de Sociali-  
tate contra omnes dissentientium obje-  
ctiones strenue tueretur, ipse tamen eam  
postea reliquit, postquam satis perspexit,  
multis ipsam expositam esse difficultati-  
bus.

Vid. Ejus fundament. Jur. nat. & Gent. L. I.  
c. 6. §. 19. sqq.

*Cur Socia-  
litas non sit  
Principi-  
um. F. N?*

§. 39. Enimvero non est adæquatum  
hoc principium, quoniam officia erga  
Deum atque erga se ipsum non sine am-  
bagibus inde possunt deduci: imo & ob-  
scurum est; cum haud ex eo demonstra-  
ri possit, quid Socialitati conveniat &  
disconveniat s. repugnet.

*Sir brandi  
sententia.*

§. 40. Apodicticam quidem huic prin-  
cipio inesse demonstrationem summo  
conatu evincere annisus est Sirbrandus in  
diff. de princip. Jur. nat. atque ad 4. re-  
gulas illud revocavit. *Prima est: Quic-  
quid ita est comparatum, ut, si ab omni-  
bus*

bus omitteretur, universo generi humano pereundum foret, id Jure naturæ omnibus ac singulis præceptum censeretur debet. *Alteræ*: Quicquid ita comparatum non est, illud ne a singulis quidem, ut fiat, necesse est, nec Jure præceptum haberi potest, sed licitum & indifferens. *Tertiæ*: Quicquid ita comparatum est, ut, si ab omnibus fieret, generi humano pereundum esset, illud ne a singulis quidem fieri debet, sed Jure naturæ est prohibitum. *Quartæ*: Quicquid ita se non habet, illud nec prohibitum Jure naturæ est censendum.

Vid. Wernher in Elem. c. 5. §. 7.

§. 41. Verum & hæ regulæ multis obnoxia sunt difficultatibus. Nam sequeretur inde, quod omnes operam dare debeant agriculturæ, quod Cœlibatus sit contra Jus naturæ &c. *Ejus refutatio.*

§. 42. Agite igitur videamus, an aliquid aliud supersit, in quo requisita illa inveniuntur. Sequar autem vestigia Ill. Thomasi, qui hanc Propositionem ex simplicibus rationibus formavit. *De genuino J. N. Principio.*

§. 43. Nimirum *facienda esse, quæ hominum vitam reddunt & maxime diuturnam & felicissimam; e contra evitanda, quæ vitam hominum infelicem reddunt, mortemque accelerant.* *Hoc inquam confirmat*

M

§. 44

*Ejus veritas & universalitas prob. 1)* §. 44. Hæc propositio est vera & universalis. Nam 1) ad captum est omnium hominum, cum omnes, s. sint sapientes s. non, nihil magis in ore votisque habeant, quam vitam felicem ac diuturnam.

*Altera Demonstratio.* §. 45. 2) Fluit ex natura ipsius boni. Nam omnes sectamur bonum & tota Philosophia moralis eo tendit unice, ut homines ad bonum verum perducatur. Quid vero aliud pro bono erit habendum, quam id, quod vitam hominis conservat nosque tranquillos reddit, ac ex adverso id declinat, quod miseròs nos efficit, inquietosque, ac vitam nostram hinc destruit. Nam sicut dantur gradus tam boni, quam mali: ita id pro maximo habetur bono, quo hominis felicitas maxime promovetur.

*Tertia Demonstratio.* §. 46. Imo 3) ipsa quoque S. Scriptura nobis adstipulatur. Nam ita in ea inter maxima Dei beneficia vita refertur diuturna, & Deus ita se hominibus accommodavit, ut inter præmia ac pœnas, quibus diriguntur hominum actiones, vitam diuturnam s. æternam atque tam præmia æterna, quam pœnas æternas, retulerit.

*Idem Principium cur sit adequatum?* §. 47. Adequatum etiam est hoc Principium. Complectitur enim omnia ac  
sola

sola præcepta moralia, ex regulis justitiae, honesti & decori fluentia.

§. 48. Perspicuitatem ex eo cognoscimus, quod omnes homines statim non solum id intelligant, sed & eidem assentiantur nihil magis optantes, quam ut & diuissime & felicissime vivant. *Ipsius Perspicuitas probatur.*

§. 49. In eo forsan alicujus obscuritatis accusari posset hæc Propositio, quod homines diversos & prorsus erroneos foveant conceptus de felicitate, atque quod insuper hæud adsit S. Scripturæ consensus. Christum enim non loqui de felicitate, tamquam medio in viam quasi reducendi homines ex miseria; sed de cruce, persecutionibus &c: *Exceptio.*

§. 50. Ut dubium hoc removeamus; cum primis inquirendum est, quid sit vita felicissima. Consistit vero vita, de qua nobis hic sermo est, felicissima in eo, ut sit maxima cum laude, suavitate omniumque rerum sufficientia conjuncta ac referta. Hanc exoptant ambitiosi, voluptuosi atque avari; & nemo inficias ire poterit, vitam hominum sapientum esse laudabilem, suavem ac sibi sufficientem: *Ad illam Responsio.*

§. 51. Homines enim considerari debent, uti sunt, non ut esse debent. Sicut itaque Medicus se applicat ad palatum ægroti contentus, si possit suum obtinere *Uterior hujus Resp deductio.*

scopum, nempe restituendi ægroto pristinam sanitatem: ita sapiens se accommodat naturæ hominum, huc suppeditans media, quæ placent stultis, maxime contentus, si ad cognitionem stultitiæ propriæ eos perducatur.

Differi hac occasione posset de bivio Herculis, de regulis Monachismi &c.

*Resp. ad a-  
liud Dubi-  
um.*

§. 52. Maximum, quod suboritur, est dubium: An convenient hæc cum doctrina S. Scripturæ? Certe si interpretatio S. literarum instituenda esset ex opinione nonnullorum hominum, utique aliter formanda esset doctrina hæctenus proposita. Hi enim nihil aliud urgent, quam mortificationem veteris Adami, pœnitentiam, renunciationem ac resignationem sui ipsius rerumque omnium, contemptum mundi & separationem ab eo. Verum hi sibi fingunt non hominem, non Christianum, sed Christianum Platonicum atque sapientem Stoicum, hacque doctrina sua magis nocent Evangelio, quam ut homines assuefaciant esse peragere, quæ ipsis expediant ad æternam salutem; imo eo perducunt alios, ut sibi persuadeant, Evangelium Christi non conveniens esse omnibus, sed paucis saltem sapientibus melancholicis.

Con-



Confer. Baylii Tract. Gall. sub. tit. Continua-  
tion des Penſees diverſes.

§. 53. Omnia Chriſti Præcepta nihil aliud præcipiunt, [paucis exceptis ad ſu-  
pernaturalia referendis] quam id, quod *Rationis*  
ipſa dictitat ratio. Confirmatur hoc Rom. *Revelatio-*  
2. v. 15. Matth. 5. v. 17. Rom. 1. v. 32 *nisque com-*  
Rom. 12. v. 1. ſq. Nam revelatio acceſſit *formis ac.*  
contigitque hominibus ratione ſana præ-  
ditis tanquam norma, qua Deus ſupple-  
vit id, quod ad vitam æternam adipiſ-  
cendam eſt neceſſarium, ratio autem ſibi  
relicta ignorat. Hinc contradicſtio eſſet,  
ſi revelatio præcepta rationi humanæ  
contraria proponeret.

o) Vid. Clericus ad hunc locum, Grotius in Pre-  
legom. de J. B. & P. §. 40. Clerici Bibliothecæ  
univerſ. Tomo X. p. 188. ſq. Ejusdem Ara critica  
Tom. I. p. 335 ſq. Lock. in Tr. Gall. Que  
la Religion Chretienne & tres-raiſonnable Tom.  
I. p. m. 305. ſq.

§. 54. Adhuc luculentius id patet *ex Prob. ex*  
Epiſt. ad Titum 2. cap. v. 12. ſq. ubi tem- *Tit. 2. 12. ſq.*  
perantia nihil aliud denotat, quam id, *ac Promiſ-*  
quod regulæ honeſti nobis inculcant; *ſionibus*  
ſcil. quod noſtri affectus debeant ſuppre- *Dei.*  
mi, non vero extirpari: quod per na-  
turam fieri nequit. Imo Mraëlitis ipſis  
Deus promiſit, & maxime quidem fideli-  
bus inter eos, felicitatem temporalem ac  
poſſeſſionem Palæſtinæ. Hæc ergo tan-

tum est intentio Dei, ut Regnum cœleste rebus caducis præferamus. Vid. Matth. 6. v. 33. cap. 10. v. 37. 1. Cor. c. 7. v. 31.

*De Scopo*

*Dist. 1. Job.*

*2. 16. Phil.*

*4. 8. Jbo.*

*12. 43*

*An laudes*

*honoresque*

*sectandi?*

§. 55. Docet nos verbum Dei, omnes homines tribus gaudere passionibus 1. Jo. 2. v. 16. nulla vera adest prohibitio de negligendis honoribus, opibus &c. Sed potius jubemur honores v. g. laudesque sectari vetito saltem excessu ac abusu Phil. 4. v. 8. Joh. 12. v. 43. Omne igitur quod revelatio hic inculcat, eo redit, ut omnes alios tanquam æquales consideremus, neminemque contempnamus.

Vid. Eook de Intell. hum. L. 2. c. 28. §. 11.

*De Divitiis*

*quid senti-*

*endum?*

§. 56. Idem monemur circa divitias acquirendas. Quamvis enim Christus iusserit juvenem quendam vendere omnia sua eaque pauperibus distribuere, est tamen exemplum particulare, ex quo argumentum univertiale strui nequit. a) Reliqua quoque dicta omnia abusum saltem & excessum interdunt Hebr. 13. v. 5. Matth. 5. v. 24. Eph. 5. v. 5. 1 Tim. 6. v. 9. sq. & licet juxta effatum Christi non sine summa difficultate divites perveniant ad regnum cœleste, non tamen ipse pronunciat, quod hoc prorsus sit impossibile 1. Tim. 6. v. 17. 19 Jac. 1. v. 10. 1 Joh. 3. v. 17. Jac. 2. v. 15. sq. Hebr. 10. v. 34. Phil. 4. v.

11.

ii. sq. Matth. 6. v. 25. sqq. i Tim. 6. v. 8.  
Hebr. 13. v. 5.

a) Vid. Luc. 12. v. 33. & in h. l. Clericus. Conf.  
Jac. 4. v. 13. sq. Act. 16. v. 14.

§. 57. Neque jubet Christus nos sine o-<sup>Voluptas</sup>  
mni jucunditate vitam transigere, sed <sup>jucunditas</sup>  
rursus saltem vetat excessum, sicut clare <sup>que omnis</sup>  
patet ex i Tim. 6. v. 17. Rom. 1. v. 26. sq. <sup>an vitia</sup>  
& cap. 13. 13. Eph. 5. v. 3-5. i Petr. 4. v. 3.  
Matth. 5. v. 28. Phil. 4. v. 19. 2 Tim. 3. v. 4.  
Rom. 12. v. 15. i Cor. 5. v. 10. Matth. XI.  
19. Luc. 14. v. 7. sqq.

§. 58. Objicis: Christum tamen impo-<sup>Ad Object.</sup>  
nere Christianis suis onus crucis, præ-<sup>Respons.</sup>  
nunciare persecutionem, miseriam &c.  
Verum semper attendendum est, ad quem  
Christus ista loquatur. Sane incipienti-  
bus nunquam hæc proposuit, sed potius  
doctrinam de jugo levi atque svavi. Matth.  
XI. 28 30. Proficientibus autem & Apo-  
stolis calamitates ac persecutiones præ-  
dixit v. g. Matth. 10. v. 38. & cap. 16. v.  
24. & hoc illi non solum facile poterant  
percipere, sed & sibi mente concipere,  
i. conjicere ac quasi præfagire, non aliter  
evenire tandem posse. Non enim sine  
doloribus maximaque difficultate possu-  
mus deponere stultitiam fierique sapien-  
tes; & cum plurimi sint stulti, pauci au-  
tem sapientes, & hi moribus ab aliorum se

distinguant stultitia, non potest aliter evenire, quam ut sapientes a stultis ut plurimum potentioribus varias sustineant & perpetuantur persecutiones.

*Instans.*

§. 59. Nam finge, te juvenem nullis laboribus assuetum reducere velle ad vitam laboriosam & ei nihil aliud proponere, quam quod dies noctesque laborare, ac omni jucunditati renunciare debeat, & quod tamen denique nihil aliud præmii loco sit accepturus, quam vitam dolorificam, omni contemptu plenam, summa atque perpetua cum paupertate conjunctam; dic mihi, quæso: an possibile sit his mediis assuefacere aliquem ad vitam laboriosam?

*Instans applicatio.*

§. 60. Econtra propone ipsi, se non opus habere, ut semper ad nauseam usque laboret, sed gaudia interdum miscere posse, & quod ita peractis rite laboribus suis suaviter magnaque cum laude vivere queat; tunc persentisces, eum facile hac ratione in viam posse reduci.

*Sapiens fortis felix est.*

§. 61. Hic vero non subsistit sapiens, sed pergit ostendere, quod nemo vel cum suavitate, vel cum laude & insufficientia vitam peragere queat, nisi is, qui pervenit ad vitam tranquillam, & quod stulti loco totius hujus felicitatis, semper contemptu, paupertate ac vita miserrima premantur.

§. 62.

§. 62. Si quæras: quam via pervenire nobis liceat ad istam felicitatem? *De modis ad felicitatem.* facilis erit responsio: nullam aliam viam patere, quam per regulas justitiae, decori & honesti. Regulæ enim honesti gignunt vitam frivolem, regulæ decori vitam cum laude conjunctam, ac regulæ justitiae parant rerum sufficientiam.

§. 63. Verum dicis: omnis tamen inquietudo animi omnisque miseria, quam patiuntur homines, oritur ex nostris affectibus s. passionibus; quomodo ergo res inchoanda, ut has passiones emendemus? Iterum ad harum suppressionem & emendationem non alia ratione pervenire potes, quam si secundum regulas recensitas vitam tuam instituas. Nam regulæ honesti oppugnant voluptatem ejusque gaudia injucunda; regulæ decori supprimunt effrænem ac illaudabilem ambitionem; & regulæ justitiae coercent insatiabilem habendi s. avaritiæ cupiditatem.

§. 64. Quia autem juxta hæc dicta felicitas nostra est vel externa, vel interna; hæc, cum in sola animi quiete consistat, ita est comparata, ut sine ipsa neque externa felicitate frui queamus, sed hinc in omnibus societatibus, conjugali, Parentum & liberorum, domesti-

ca atque civili non nisi infeliciter vivamus.

*De via ad felicitatem inter nam exter nam que.* §. 65. Non aliud medium duplicem hanc adipiscendi felicitatem superest, quam tres illæ regulæ. Regulæ enim honesti producunt felicitatem internam i. e. animi quietem; regulæ vero decori justique felicitatem externam.

*Regula justii, decori honestique conjungenda.* §. 66. Et hæc omnia quidem facillima sunt, si recte applicentur; difficillima vero & inutilia, si non eo, quo debemus, ordine procedamus. Haud igitur hæc tria sunt separanda: uno enim neglecto frustra expectamus finem, quem intendimus.

*Earum inter se conexio probatur.* §. 67. Quid enim prodesset vita justa, in qua quidem nulla læsio nostrorum jurium metuenda, si neglectis regulis decori, nemo inveniatur commodum nostrum promoturus? & quid prodesset externe felici vita frui, si interne nostris passionibus cruciemur?

*Ipsarum distinctio.* §. 68. Ne igitur hæc tria confundamus, distincte procedendum, & quidem.

*Quodnam sit Principium honesti?* §. 69. Principium honesti est: Quod vis, ut alii sibi faciant, tu tibi facies.

*2) Decorii?* §. 70. Decorii: Quod vis, ut alii tibi faciant, tu ipsis facies; &

§. 71.

§. 71. *Justi; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* *3) Justit*

§. 72. *Intelligimus autem sub regulis honesti illa præcepta moralia, quæ do- centur in Ethica i. e. ea, quæ nihil aliud intendunt, quam felicitatem hominis internam, s. uno verbo, officia erga se ipsum, nullo respectu habito ad alios homines.* *Definitio regg. bonc. si.*

§. 73. *Decorum nihil aliud comprehendit, quam qualitatem moralem actionum humanarum, qua homo intendit amicos sibi parare.* *Decorum definitio.*

§. 74. *Justum involvit illa officia, quibus homo intendit, sibi non facere inimicos.* *Justum quid sit & dicatur?*

§. 75. *Parantur autem amici duplici modo: vel communibus officiis humanitatis, unde oritur decorum naturale; vel actionibus in hac aut illa republ. usitatis, huic etiam aut illi statui, puta militum, Clericorum &c. convenientibus, unde decorum politicum.* *De modo parandi amicos.*

§. 76. *Hæc duo non tantum his signis secernuntur, sed causis quoque efficientibus. Nam naturale se fundat in communi hominum indigentia; politicum vero in decoro Societatis humanæ.* *De decoro naturali & politico.*

§. 77. *Naturale binis saltem nititur regulis, nempe: Dona alteri res gratas, exhibe* *Utriusque hujus decori regule.*

hibe ipsi facta grata; & quidem utrumque hilari iuratoque animo. Regula decori politici continetur in ipsius definitione: quod scilicet rationalis sit imitatio orta ex virtute complacentiæ, hominum nostri status, qui in actionibus, regulis universalibus honesti, decori & iusti non repugnantibus, pro præcipuis aut præstantissimis haberi solent.

*Decorum naturale pertinet ad J. N.*

§. 78. Illud vero, quod naturale vocamus, spectat saltem ad nostrum scopum. Nam signa illa communia quodammodo naturalia sunt ac ex natura amoris atque dictamine rationis rectæ profluentia ita, ut, quamvis non sint iusta, valde tamen propinqua sint iusto stricte sic dicto.

*Cur decorum Politicum ad J. N. spectet?*

§. 79. Signa illa particularia, quibus nititur decorum politicum, dependent saltem ab arbitrio ac moribus hominum, & hinc sunt infinities variantia adeoque ad doctrinam Juris Naturæ haud spectantia.

*Politica ac Prudentia quid & quotuplex?*

§. 80. Differt tamen ab utili s. Prudentia politica. Vocabulum Politicæ olim accipiebatur pro Scientia dimetiendi res publ. secundum triplicem earum formam. a) Rectius sumitur pro synonymo Prudentiæ. Prudentia respicit vel nos, & quidem triplici modo, docendo nimirum, aut quomodo conservanda sit

vale-



valetudo, tanquam fundamentum indolentiae, aut quomodo acquirenda sit res familiaris tanquam fundamentum sufficientiae, aut quibusnam remediis fama tuenda sit adversus injurias ac damna inimicorum, tanquam fundamentum existimationis: hic itaque habes Politicam, oeconomiam & medicinam sui ipsius; vel respicit (Prudentia) rempubl. quae est vel legislatoria, vel judicialis, vel consultatoria: atque in tot species etiam dispesci potest Politjca.

§. 81. Si autem vitam secundum has *De regg.* regulas instituere volumus, quoad regu- *bonesti in* las honesti hæc via ineunda est. *Specie. Ubi*

§. 82, Incipiendum scilicet est a seria Pœ- *1) agitur* nitentia, & quidem ita: *de Poeni-*

§. 83. Intendimus omnes consecutio- *tentia.* nem boni, ad quod sine ejus cognitione *Abanc re-* pervenire haud possumus. Cognitione *quiritur* est *a) viva co-* duplex, vel viva vel mortua. Hæc stul- *gnitio boni.* titiam adauget; proinde opus est viva cognitione.

§. 84. Hæc non potest esse sine deside- *b) desiderium boni co-* rio boni, quod tamen haud obtingit, ni- *gnitio qua* si cognita miseria generis humani. Hæc *miseria no-* miseria suos habet gradus, quos omnes *stra.* debemus cognoscere, si pertingere velimus ad Sapientiam.

§. 85.

e) cognitio  
propria  
stultitia.

§. 85. Non vero sufficit cognovisse miseriam aliorum, (hæc enim cognitio quoque cadit in stultos) sed propriam nostram debemus cognoscere stultitiam; ubinam lateat, quibusque viribus polleat.

d) nausea  
hujus stultitia.

§. 86. Neque illa cognitio absolvitur sola miseriam nostram agnitione: dum quotidiana testatur experientia, dari homines, propriam quidem agnoscetes miseriam, qui tamen hæud desinunt esse stulti; ac vel nulla, vel inepta saltem media deponendi hanc stultitiam conquirunt. Requiritur igitur simul nausea hujus miseriam. stultitiæ & pœnitentia.

Pœnitentia  
definitio.

§. 87. Pœnitentia est seria agnitio propriæ suæ, stultitiæ; quæ sine pudore facti esse nequit. Qui enim facta præterita non detestatur, facile incidit in opinionem de fatalitate, ita, ut existimet, se aliter facere hæud potuisse, a causa prima se ad hoc vel illud fuisse determinatum.

Vid. de la Mothe le Vayer. Statuendum simul, quod doctrina de Pœnitentia omnino spectet ad Ictos: agit enim Ictus in materia venditionis boni Reulauß. In materia criminum Pœnitentia refertur inter causas mitigandi pœnam; ne itaque Ictus ineptè mitiget, discernere debet veram a falsa pœnitentia. Cùm autem hæc res hætenus tam perverse & negligenter fuerit pertractata, ex eo factum arbitror, quod haberetur  
1) pro re spirituali 2) pro re mystica: Accessit  
3) igno:

3) ignorantia naturæ humanæ, qua credebatur, homines certis a Clero inventis præscriptisque regulis in univèrsum posse emendari. Vid. Ill. Thomafius ad Lancell. Infit. Jur. Can, lib. 2. tit. 5. not. 117. & 121.

§. 88. Datur autem & rationalis & ir- *De Pudore*  
 rationalis pudor; facile vero liquet, quod *rationali*  
 requiramus rationalem, qui conjunctus *ac irratio-*  
 est cum serio proposito omittendi im- *nalit.*  
 posterum stultas illas actiones, quibus  
 hætenus fuimus delectati, quamvis et-  
 iam nullæ metuendæ sint pœnæ ex-  
 ternæ.

§. 89. Haud vero putes, quod ad seri- *De requisi-*  
 am pœnitentiam semper requiratur fle- *tis Pœni-*  
 tus dolorque sensibilis; sed quod etiam *tentia.*  
 in indignatione atque irrisione consiste-  
 re possit. Datur enim sæpe fletus ac e-  
 julatio sine serio proposito. Accedit,  
 quod pro diversitate temperamentorum  
 multi reperiantur, qui flent & plorant,  
 si serio eos pudeat actionum commissa-  
 rum; alii tacentes serio meditantur, alii  
 cum indignatione irrident suam stulti-  
 tiam ac satis superque eo declarant, se  
 Teriam actionum commissarum agere  
 pœnitentiam.

Contrarium sentientes præscribere volunt le-  
 ges universales, quæ tamen nihil aliud sunt,  
 quam gesetliche Wege, quas Theologi ipsi ex-  
 erantur, & Evangelium, veram doctrinam, quæ  
 ho-

hominem ab homine fecernere, naturalia naturæ relinquere jubet commendant.

*De risu,  
gaudio, tristitiaque.*

§. 90. Cavendum ab eorum doctrina, qui omnem risum damnant. Nam sapiens separat risum a cachinno, quo etiam collimant dicta Eccles. 7. v. 3. 4. 5. 7. & Syrac. 21. v. 19. Nam ibi non traduntur regulæ universales, sed tantummodo observationes pro hominibus natura sua ad tripudia & gaudia nimia proclivibus & in excessu exultantibus, ita, ut ex hilaritate s. delectatione, quæ instar condimenti esse deberet, sibi cibum quasi ordinarium conficiant, quod vocabulo *Saus* indicatur; hoc enim notat mansuonem perpetuam. Huic igitur hominum generi Salomo inculcat, quod comparisonem gaudii & tristitiæ instituire debeat: tunc enim sibi evidens fore, tristitiæ non semper mali quid inesse, sed sæpius eam emendare bonamque esse; cum e contrario gaudium sæpius sit res vel inanis & peccaminosa, vel ad summum indifferens. Quid quod homines aliis condolentes plures inveniant Patronos, quam qui de aliorum stulticia aut infortunio rident?

*Fundamentum  
dissentientium  
quodnam?*

§. 91. Ratio Philosophiæ contrariæ partim historica est, (monachatum enim sine dubio cholericum-melancholicum s. homi-

mi-

mines natura ferii introduxerunt) partim politica. Nam homines ferii majorem sibi conciliant venerationem, quam ad risum proni. Accedit, quod homines regulariter plus rideant in juventute; hinc monachi, ut viri ferii, risum ad vitia ac crepundia infantia retulerunt.

Vid Ill, Thomasia cautelæ circa Præcog. Jurisprud. c. 1.

§. 92. Non serio autem disputatur, quando incipiendum, quo ordine & a qua passione? an vitium sit in amore proprio, an vero in amore aliorum? quotnam sint methodi, quotnam regulæ? Quibus omnibus se implicant destituti vero desiderio. Hoc enim sine mora statim incipit a primo malo occurrente.

*Pariter-  
ria quando  
& quomo-  
do incipi-  
enda?*

§. 93. Falso quoque putamus, stultitiam radicari in intellectu & solum querenda esse media, emendandi intellectum, sed ejici debent ante omnia cum stultitia simul stultæ illæ cogitationes, quæ autem eradicari nequeunt, quamdiu voluntas nondum est emendata. Unicum ergo remedium perveniendi ad Sapientiam atque secundum regulas honesti vivendi consistit in purgatione cordis; quam hoc modo instituire possumus.

*De Purga-  
tione Cor-  
dis, & qui-  
dem.*

§. 94. Si voluptuosus es & delectaris cibo potuque ac re venera, cogitea, quod

*ratione  
voluptuosus.*

Nemo

nemo vera fruatur jucunditate nisi virtuti temperantiæ deditus, simulque in animum revoca dolores, incommoda & morbos, qui comitantur ac sequuntur voluptatem.

2) *ratione  
ambitiosi.*

§. 95. Si es ambitiosus atque nihil magis, quam gloriam & nominis immortalitatem sectaris, perpende tecum, quod nulla gloria major sit, quam se ipsum vincere posse locoque vindictæ hostibus suis benefacere, quodque is solum nominis adeptus sit immortalitatem, qui secundum virtutes vixit; simul cogita, quam periculi plena sit vita ambitiosorum, quam facile etiam citra suam culpam gratia Principis privati, in squalore carceris omni ignominia repleti & ab omnibus relictis vitam finire cogantur: imo quod nemo in duriori vivat servitute, quam ambitiosus, eo ipso, dum maximum in alios captat affectatque imperium.

3) *ratione  
avari.*

§. 96. Si avarus es, recordare, quod nemo majores acquirat divitias, quam qui aliis benefacit; quod nemo pauperior sit avaro. Si ita procedis, & spem excitas & metum.

*De solitudine  
&  
conservatione.*

§. 97. Porro fuge solitudinem, tanquam remedium ineptum, quod suppeditat Theologia mystica; ex adverso po-

potius quære conservationem. Et quidem si voluptuosus es, utere conversatione eorum, qui magis ad ambitionem inclinant; si ambitiosus es, proficua tibi erit conversatio voluptuosorum; si es avarus, proderit tibi conversatio & voluptuosorum & ambitiosorum. Sic si es ignavus, conversare cum hominibus laboriosis &c.

§. 98. Sapiens non quidem delectatur aliorum stultitia, conscius tamen est, se vivere in mundo, & dum considerat naturam humanam, facile agnoscit, fugam societatis magis nocere, quam prodesse.

*Fuga Societatis inutilis.*

§. 99. Scit quidem exemplis aliorum irritari passiones, simul tamen non ignorat, quod mali radix haud fundetur in aliis hominibus, sed in se ipso, si nempe in solitudine radicem mali secum ferat.

*Cur ea sit inutilis?*

§. 100. Etenim si quis est voluptuosus, per solitudinem sibi eripit optimam medicinam, scil. ordinarium ac utilem laborem, atque magis irritat voluptatem ad actiones nefandas. Si ambitiosus est, majora assumit ambitio incrementa: inspirat enim solitudo homini fastuosam sanctitatis opinionem aliorumque contemptum. a) Si avarus es, per solitudi-

*De Solitudinis damnis.*

nem profus incurabilem te reddis: nam maximum vitium, quod inhæret avaro, est, quod careat amore erga omnes homines, eorum conversationem aversetur & bruta animalia plus amet, quam se ipsum.

a) Spectant & huc, quæ refert Moliere dans l'ecole des femmes & des maris.

*De necessitate Societatis & conversationis.*

§. 101. Et quia adspiranti ad viam Sapientiae nil magis est necessarium, quam consilium & auxilium sapientum; eo ipso, dum fugere cupis stultitiam, hæc te utique sequitur, & dum fugis sapientes, nunquam desinis esse stultus.

*Altera bonæ regulæ.*

§. 102. Porro notandum, fugere nos debere omnem occasionem, qua nostri irritantur affectus.

*De occasione suppressendi stultitiam.*

§. 103. Si credis te occasionem haud fugere posse, te nondum pervenisse ad eum sapientiae gradum, quo discernere scias, quid fugiendum & quid amplectendum sit; fuge saltem id itaque, quod tibi gratum est, id vero, a quo abhorres, s. quod pro minus grato habes, arripe eoque utere, tanquam occasione suppressendi tuam stultitiam.

Ita evitare possumus difficultates, quas sibi movit Ill. Thomasius in Prax. Ethic. cap. 15 §. 9. sqq.

*De desperatione ac securitate vitanda.*

§. 104. Annitere omnibus viribus, ut declines & desperationem & securitatem,



tē, tanquam maximum impedimentum perveniendi ad veram felicitatem. Quamvis enim interdum resistere poteris passioni dominanti, cogitandum tamen est, quod alia occasione iterum succumbere possis; si vero succubueris, rursus cogita, factum infectum fieri haud posse, simulque disce, quam caute agere debeas cum tuis passionibus.

§. 105. Neque putandum est, ac si certo temporis spatio ad summum perfectionis ascendere possimus gradum, sed potius existimemus, nos nunquam omnem deponere stultitiam & quamdiu spiramus, pugnandum esse cum nostris passionibus.

*De nostra imperfectione affectuumque pugna.*

§. 106. Ratione regularum decori præsta omnibus indigentibus humanitatis officia, merentibus autem beneficia; & quidem utrumque læto sinceroque animo. Merentibus da cito; nam ita bis dabis: aliis vero, de quibus causam habes dubitandi, an merantur, tardius dabis. Multi enim magis æstimant id, quod diu desiderarunt, ac maxima cum anxietate quæsierunt, quam quod statim fuerunt consecuti.

*Regg. Decorum 1) Præceptum.*

Ita conciliari possunt axiomata politica Gratiani Ax. 132. & 236.

§. 107. Si alii te læserint, ita, ut vin-

*Alterum Præceptum.*

dictam de iis sumere possis, renuncia interdum jurituo & in tantum ab omni vindicta abstine, quatenus ratio admittit.

Vid. Ill. Dn. Thomasi Sitten, Lehr c. 5. n. 59. sqq.

*Tertium  
Præceptum.*

§. 108. Quæ grata sunt aliis, quantum in te est, illis præsta, & quæ ingrata sunt aliis, licet omni jure ea facere possis, tamen facere interdum omitte. Nam si ita te geris, nemini scandalum præbebis.

Agendum pluribus in discursu de scandalo dato & accepto.

*Præcepta  
Regg. Justi.*

§. 109. Quoad regulas justitiam tenendum, quod neminem debeas lædere. Hinc abstinendum ab omni occisione, a furto, injuriis, ab omni damni illatione, a violatione fidei alteri per pactum traditæ. Cavendum, ne aliquem turbes in juriis sibi competentibus, sed ut statim ea omnia præstes, quæ alii de jure abs te exigere possunt; & ubi alicui damnum dederis, operam da, ut illud statim reparcias, imo & interdum plus præsta, quam alteri debes.

*Prudentia  
quomodo  
acquiratur.*

§. 110. Hic est complexus omnium præceptorum moralium totius Juris naturalis: applicatio ad factum dependet a Prudentia, quam non nisi actionibus bonis acquirere potes.

Vid.

Vid. III. Thomasi fundam. Jur. nat. & Gent. c. 6. §. 64. sqq.

§. 111. Non tamen hæc tria præcepta invicem sunt confundenda; sed sicut dantur boni & mali: gradus ita regulæ justæ coërcent malum maximum, & quod ex illis ab altero petere possum, mihi justam præbet causam belli, ac in statu civili jus actionem contra alterum instituendi.

*Circa malum quomodo versentur* 1) *Regg. Justi.*

§. 112. Regulæ decori coërcent malum medium, ita, ut earum neglectus efficiat, ut omnibus careamus amicis. Hinc si alicui denego officium humanitatis, ei non præbeo justam belli causam, neque ut officium Judicis adversus me implorare possit: mihi igitur saltem noceo, dum nullos mihi paro amicos, qui in casu necessitatis mihi succurrant & assistant.

2) *Regulæ Decoris.*

§. 113. Regulæ honesti coërcent malum infimum: nam agunt modo de officiis erga se ipsum, quibus neglectis nemini damnum infero, nullius jus lædo, nulli causam præbeo belli, sed damnum, quod inde fluit, in me ipsum redundat; privatam enim me videre cogor quiete interna.

3) *Honesti Regulæ.*

§. 114. Ratione boni res aliter se habet. Regulæ enim honesti respiciunt

*Bonum ut Objectum* 1) *Reg. Honesti.*

unt bonum maximum, ac qui secundum eas vivere cœpit, nomen meretur sapientis.

2) *Regularum decori.*

§. 115. Regulæ decori promovent bonum medium: nam his acquirimus amicos, qui nostram promovent utilitatem atque ea omnia, sine quibus externa felicitate frui haud licet.

3) *Regg. Iusti.*

§. 116. Regulæ vero iusti pariunt bonum infimum: nam efficiunt saltem, ne habeamus inimicos.

§. 117. Quia autem a facilioribus semper fieri debet initium, ideo & in moralibus, si pervenire volumus ad veram felicitatem, inchoandum est a regulis iusti: nam secundum has vivere facillimum est; cum saltem consistentin omitendo. Tunc pergendum ad regulas decori, hocque gradu Sapientiæ adepto tandem tendendum ad gradum supremum i. e. opera danda, ut etiam, quantum possumus, juxta regulas honesti nostras instituiamus actiones.

*Confectori-  
um.*

§. 118. Fluit exinde, quod secundum regulas iusti vivens inter sapientes infimum mereatur gradum, decorus medium, honestus autem jam summum teneat sapientiæ gradum; hoc enim adepto simul iuste, decore honesteque vivimus  
ac

ac perfecta, quatenus in hoc mundo licet, fruimur felicitate.

119. Et quamquam pauci in hoc gradu dentur sapientes & quotidiana testentur experientia, quod ille jam pro sapiente habeatur, qui neminem lædit atque fidem datam servat, & quod is, qui aliis benefacit ac quodammodo in favorem aliorum juribus suis renunciat, prodigii instar habeatur; tamen semper eo allaborandum est, ut quoque ad supremum enitatur gradum, & licet homo summe perfectus non detur, sufficit tamen conari omnemque impendere operam debitam juxta illud: Plus ultra.

## CAP. VII.

De

# Normæ Applicatione.

§. I.

JAM progrediendum ad applicationem: frustra enim sunt præcepta, nisi applicentur. Verum in applicatione multæ se offerunt difficultates, præcipue cum multi reperiantur, qui eam plane habent pro impossibili persuasi, hominem viribus naturalibus nullo modo

*An Evidentia naturaliter sit possibilis?*

N 5

se

se emendare posse lumenque naturale insufficientem esse, omnemque adeo emendationem a divina Potentia esse expectandam.

*Est difficilis ac ingrata, sed utilis.*

§. 2. Non negandum, media pervenienti ad emendationem passionibus nostris parum esse grata, imo difficillima; non tamen sunt prorsus impossibilia. Quomodo enim grata esse possent? cum sciamus nullis aliis mediis perveniri posse ad emendationem, nisi 1) cognita miseria sui aliorumque hominum 2) Pœnitentia prævia 3) occasione mali evitata 4) quæsitâ occasione boni 5) persistendo in proposito 6) subsecuto aliquali tædio 7) omittendo nimiam circa inquisitionem passionis dominantis ac diei, quo ei resistendum, scrupulositatem. Hæc tamen omnia ita sunt comparata, ut semel exercita atque applicata infinito præmio vitam hominis compensent.

*De Affectuum defectu & excessu.*

§. 3. Res vero, ut mihi videtur, ita debet institui. Ostendimus hætenus, quod omnes homines laborent tribus passionibus vitiosis, voluptatis, ambitionis ac avaritiæ; quæ quidem sua natura vitiosæ non sunt, sed earum mixtura in unoquoque hominum diversa efficit, ut passiones vel in excessum, vel in defectum nos abripiant atque deducant. Quod eo  
ma.

magis notandum, quoniam hucusque in omnibus omnino Ethicis fuit traditum, vitium affectuum hæere saltem in excessu passionum; a) cum tamen eadem ratione peccemus per affectuum defectum. Nam e. g. extincta jucunditate oritur vitium insensibilitatis; ex fuga omnis honoris gignitur impudentia, & neglectus omnis proprietatis, nil nisi mendicitatem producit.

a) Vid. Praxis Ethicæ III. Thomasi c. 12.

§. 4. His rite cognitis nobis haud persuadeamus, ac si remedium se emendandi in eo consistat, ut passiones deprimamus amoremque rationalem, tanquam quartum ac infimum affectum, elevemus. Nam sanitas mentis similis est sanitati corporis. Sicut igitur sublato malo s. morbo statim recuperatur sanitas citra novæ qualitatis additionem: ita quoque sedato inordinato passionum motu mox incipit magis quieta virtutis operatio. Anima enim abstrahendo a falsa doctrina mystica semper est activa: requiritur itaque tantum, ut a malo retineatur, & tunc sua sponte operatur bonum. Contraria doctrina, quasi separatus spiritus bonus homini inesset, ad insanum hunc spiritum consulendum, ad somnia Quakeristica & statum periculosissimum pertinet.

*Malum o-  
mittendo  
sponte ope-  
ramur bo-  
num.*

§. 5.

*De Amore  
rationali  
& tran-  
quillitate.*

§. 5. Potius id agendum, ut præparetur medicina supprimendi excessum, & extollendi defectum passionum. Hoc enim facto tres nostræ passionēs rediguntur ad æquilibrium, in quo ipso amor rationalis consistit; & hoc facile quisque capit: sola enim in omnibus nostris affectibus deficit nobis tranquillitas, qua potimur, redactis ita ad æquilibrium passionibus.

*An Passio  
infima sit  
supprimenda.*

§. 6. Similiter devitare debemus alterum errorem, ac si infima passio sola sit supprimenda. Nam in hunc delapsus impossibilem facit omnem emendationem suam. In quantum enim hanc supprimimus, in tantum vires crescunt passionis dominantis.

*Consequen-  
tiam.*

§. 7. Ita facile quoque declinabimus difficultates, quas sibi ipsi, alias struxit Ill. Thomasius.

Vid. Ejus Ethica P. 2. c. 15.

*Hypothesis  
rationis tri-  
um Volun-  
tatum.*

§. 8. Nam demonstravimus supra: in unoquoque homine deprehendi tres voluntates diversas, quæ ita sunt comparatæ, ut altera alteram adjuvare aut destruere possit.

*Probatio,  
quod possi-  
bilis sit e-  
mendatio.*

§. 9. Omnia igitur dubia, quæ ratione modi perveniendi ad emendationem moventur, inde fluunt, quod necessitas absoluta cum necessitate ex hypothesi con-  
fun-



fundatur. Verum est, quod posita absoluta necessitate homo emendari nequeat. Dum vero saltem homini denegamus libertatem internam, simulque pro fundamento tres denominatas passiones ponimus, necessario sequitur, quod sine illa omnino homo ad sui emendationem possit perducī.

§. 10. Urgent quidam: vires naturales nil aliud esse, quam ipsas vires voluntatis, contra naturam autem esse, ut aliquid sibi ipsi sit contrarium; necessarium hinc esse, ut homo emendationem petat a Potentia divina: imo desiderium ipsum, quod unusquisque in se sentit, esse aliquid supernaturale. Verum etsi hæc omnia concederemus, quotidie tamen in mundo observare licet, quodlibet exaltari, flecti, detorqueri, immutari ab extra. Sic aqua opera humana in alium alveum potest derivari. Itaque voluntates vitiosæ se quidem ipsæ emendare nequeunt; consilio tamen & imperio sapientis & reprimi possunt excedentes, & augeri deficientes.

*Quo modo  
Emendatio  
fit possibili-*

Vid. III. Thomasi Grundlehre P. I. c. 2. n. 9-15.  
Prax. Ethic. cap. ult. & in append.

§. 11. Imo licet humana natura inclinet ad stultitiam, non tamen sibi ipsi repugnat; nam dantur quoque virtutes natura-

*De Mediis  
Emendati-  
onis natu-  
ralibus.*

turales, quæ mediantibus mediis viribus qua naturalibus possunt acquiri & applicari ad hujus vitæ felicitatem.

*De impedi-  
mentis E-  
mendatio-  
nis remo-  
vendis.*

§. 12. Accedit quod, licet homo maximam vitæ partem agat in passionum perpetua quasi lucta vitæque inquiete, sentiat tamen interdum quietem: quando nimirum non tantum comprehendit suam stultitiam, anxius est de suo statu optans simul media evadendi, sed & inquit medicamenta recte applicanda.

*Quis Nor-  
mam debe-  
at applica-  
re?*

§. 13. Concludimus itaque normam homini inutilem esse sine applicatione. Maxima vero jam oritur difficultas: quis hanc normam debeat applicare? Aegrotus sanitatis curam & rationem habens applicat quidem sibi ipsi medicamenta, sequitur normam a Medico præscriptam; Sed propter enormem hominum stultitiam in moralibus hoc sperandum non est. Nam amant stultitiam suam atque in ea summum bonum summamque jucunditatem se invenisse gloriantur, ita, ut naturaliter impossibile sit, normæ applicationem ab ipsis expectare. Quare sine Sapiente omnis norma est frustranea.

*Sapientes  
dantur.*

§. 14. Ubi autem sunt Sapientes? quisque enim sibi persuadet, se sapere. Verum jam supra hanc difficultatem removimus suppeditantes criteria veros a falsis

§§

lis sapientibus discernendi. Quod vero tales dentur & dati semper sint, attestatur Historia tam Sacra quam profana; & nullus dubito tales adhuc nostris hisce temporibus inveniri.

§. 15. Sicut vero Medicus etiam famigeratissimus nihil proficere potest, nisi & ipse ægrotus manus adhibeat: itaque Sapiens nihil aut parum proficiet, sine opera stultorum. *De opera stultorum in applicanda Norma.*

§. 16. Quæritur igitur: in quonam consistat hæc opera stultorum? In eo, ut obsequium præstet; quod nihil aliud involvit, quam fiduciam erga Sapientem, vi cuius illi obtemperant ac sponte in ejus voluntate acquiescunt. *Consistit illa in obsequio.*

§. 17. Operam itaque dabit Sapiens, ut hanc sibi conciliet fiduciam, quam vero haud facile obtinebit, nisi auctoritate sit munitus. Obsequio igitur in stulto debet ratione Sapientis respondere auctoritas. *De sapientis auctoritate.*

§. 18. Auctoritas hæc consistit in opinione, quam stulti de Sapiente conceperunt, quod illis & benefacere, & nocere queat; accedente tamen fiducia, quod magis ad benefaciendum, quam ad nocendum inclinet. Sane quotidiana loquitur experientia, hanc opinionem omnia efficere posse in stultis. *In quonam hæc auctoritas consistat?*

§. 19.

*Quid per  
hanc aucto-  
ritatem in-  
telligatur?*

§. 19. Non enim intelligimus quam-  
cunque auctoritatem, etiam cum injusti-  
tia conjunctam, sed quæ virtute prædita  
est. Nam potentia sine virtute nihil ali-  
ud est, quam vis & radix omnis mali, in-  
teritus rerump. atque pestis humani ge-  
neris. Virtus vero sine potentia suffici-  
ens quidem est ad propriam tranquillita-  
tem animi, sed ad alios emendandos ne-  
que apta, neque sufficiens est. Simile ca-  
pe a vi & jure. Vis enim jure destituta de-  
generat in tyrannidem; Jus autem sine  
potentia alios cogendi inane est atque in-  
sipidum.

*De Poten-  
tia sapien-  
tis.*

§. 20. Noli tamen credere, potentiam  
hic requiri externam augendi aliorum di-  
vitiarum; hoc enim supposito vix invenires  
Sapientes: sed maxime consistit in dam-  
no & lucro, quod tam metuendum, quam  
sperandum est stultis, si Sapiens eis assistat,  
vel non assistat consilio, atque ex deviis il-  
los in viam reducat. Cape exemplum a  
Socrate, Epicteto aliisque.

*De Exem-  
plis, Præ-  
miis ac pœ-  
nis.*

§. 21. Cum vero potissimum tres stul-  
titiæ reperiantur gradus, scil. stulti maxi-  
mi, medii ac infimi; hinc tria quoque re-  
quiruntur media triplicique subsidio iis  
succurrendum est, quod natura hominum  
probe considerata consistit in exemplis,  
præmiis ac pœnis.

§. 22,

§. 22. Nam stulti in maximo gradu respiciunt exempla, floccipendunt præmia; hinc pœnis debent coerceri, his cogi, ut desipere desinant & turbare tranquillitatem publicam desistant.

*Stulti in summo gradu pœnis coercendi.*

§. 23. In medio gradu positi pœnis non adduci possunt ad Sapienciam, sed iis potius deterrerentur ac ad desperationem adigerentur: præmiis itaque opus est, ut excitentur ad faciendâ ea, quæ sibi, quæ aliis, imo quæ reipubl. ipsi sint utilia.

*Stulti mediis gradibus expectant Præmia.*

§. 24. Exemplis denique emendantur stulti infimi gradus: hisce pœneundum & quasi in via ad Sapienciam prælucendum, ut tandem propriam suam stultitiam agnoscere discant propriæque felicitati operam navare incipiant.

*Stulti gradus infimi requirunt Exempla.*

§. 25. Et quia utique hi gradus stultitiæ deprehenduntur; ideo quoque hæc tria media nunquam sunt separanda: unico enim deficiente & reliqua haud magnos producent effectus. Quare non longe quærenda est causa, cur plurimis in rebuspubl. frustra expectetur hominum emendatio, cum tamen nullibi inveniatur pœnarum defectus: sed, uti jam diximus, solæ pœnæ non sunt sufficientes. Imò quid prodesse possent; quandoquidem ubique coniunguntur querelæ, quod debito modo haud

*Car pœne Præmia & exempla conjungenda?*

haud applicentur? Neque hujus causa longe est petenda.

*Sapientum  
Raritas.*

§. 26. Nam in genere pauci dantur sapientes, imo paucissimi: quid igitur mirandum, quod omni tempore querelæ sint auditæ, raro imperare, raro consilia dare sapientes?

*Quisnam  
media flul-  
tis appli-  
cet?*

§. 27. Exempla sunt & doctoris & Principis: præmia vero atque pœnæ ad solum Principem spectant.

*Exemplo-  
rum vis.*

§. 28. Exempla utramque faciunt paginam: sine his inefficaces sunt pœnæ & languescunt præmia.

*Exemplis  
Princeps  
præeat.*

§. 29. Imo si dicendum, quod res est, plures dantur actiones, quæ non legibus, sed tantum exemplis debent tolli. Nisi enim Princeps exemplo suo præeat, metuendum est, ut præmia etiam merentibus distribuantur & ut ratione pœnarum obtineat commune illud: dat veniam corvis, vexat censura columbas.

*Eorum Ap-  
plicatio ne-  
cessario.*

§. 30. Plus vero nocent præmia & pœnæ, si minus recte nec debito tempore applicentur, quam ut profint.

*Meriti De-  
finitio.*

§. 31. Est autem Meritum nihil aliud, quam ratio actionum humanarum ad præmium & pœnas. Nam nemo meretur præmium, quam qui vivit secundum Leges: nemo meretur pœna quam qui vivit contra Leges.

§. 31.

§. 32. Ei enim, qui instituit actiones *De impu-*  
 suas secundum Leges eaque facit, quæ *tatione in*  
 jussu Principis facere debet, imo & inter- *Præmium*  
 dum plus facit, imputatur ejusmodi actio *pœnamve.*  
 in præmium. Qui vero aspernatur jussa  
 Principis, violat Leges, turbat Societatem,  
 ei imputantur hæ actiones in pœnam.

§. 33. Imputatio est nihil aliud, quam *Imputatio*  
 id, quo aliquem declaramus pro auctore *quid sit?*  
 alicujus actionis. An autem aliquis au-  
 ctor actionis cujusdam sit vel non sit, id  
 dependet ab ipsius voluntate. Id propter  
 præsertim accuratori oculo debent in-  
 spici hominum actiones.

§. 34. Sunt itaque actiones vel volun- *De actioni-*  
 tariae s. spontaneæ, vel involuntariae s. in *bus sponta-*  
 vitæ. Vocamus actiones voluntarias, *neis & in-*  
 quæ a voluntate proveniunt, nullo respe- *vitis.*  
 ctu habito ad libertatem aliquam intrin-  
 secam; involuntarias, quæ citra nostram  
 voluntatem peraguntur.

§. 35. Et sicut plane non respicimus ad *De igno-*  
 intellectum, uti mox capite I. uberius est *rantia &*  
 dictum: ita non sumus solliciti, an actio- *errore.*  
 nes nostræ cum ignorantia, vel errore  
 conjunctæ sint, nec ne.

§. 36. Parum igitur quoque curamus, *Ignorantiæ*  
 an actio cum ignorantia vel vincibili vel *Divisiones*  
 invincibili vel efficaci, vel concomitante, *inutiles.*  
 vel voluntaria; vel involuntaria sit con-  
 jun-

juneta: hæc enim omnia, tanquam inepta ac inutilia, rejicimus.

Pluribus de his vid. Buddeus in Philos. Pract. P. 2. c. 2. §. 21.

*Actio spontanea ac voluntaria sunt idem.*

§. 37. Secundum nostram Philosophiam spontanea & voluntaria actio nihil differunt; cum hæc distinctio enata sit ex falso hoc supposito, quod voluntas gaudeat libertate intrinseca.

*Actiones quædam sunt coactæ?*

§. 38. Ita quoque haud opus habemus inquirere, ad quod genus actionis sint referendæ actiones coactæ. Nam omnes actiones, etiam voluntariæ, sunt coactæ; quia nulla datur actio sine spe aut metu. Non igitur opus est coactione corporali; sufficit, quod interne destituamur libertate, s. quod nullam habeamus libertatem intrinsecam.

*Spontanei Subdivisio.*

§. 39. Spontaneum subdividimus in extrinsece liberum & coactum. Illud est, quando nulla extrinseca excitatio adest, sed voluntas ipsa nostram locomotivam impellit, wenn der Mensch etwas aus bloßen Muthwillen thut; Hoc vero est, quando impulsio aliqua externa adest, wenn einer verführet, oder gezwungen wird.

*Invitum quid dicatur?*

§. 40. Invitum saltem unicum est, quod fit coactione aliqua extrinseca visibili v. g. si damnum casu datur,

§. 41.



§. 41. His positis accuratius confide- *Imputatio*  
 randum, quid sit imputatio, & quæ res *ubinam ha-*  
 alicui imputari possint, vel non. Non *beat locum:*  
 enim solum locum habet imputatio in  
 præmiis ac pœnis, sed & in beneficiis,  
 promissis, damni dati restitutione.

§. 42. Est autem imputatio terminus *Imputatio-*  
 arithmeticus, nil aliud significans, quam *nis Esymo-*  
 aliquid in rationes referre, auf *Rechnung*  
 schreiben; qui postea quoque in morali- *logia.*  
 bus fuit adhibitus.

§. 43. Quia jam omnis imputatio re- *Ejus requi-*  
 quirit, ut aliquis sit auctor cujusdam a- *sita.*  
 ctionis, sequitur, quod regulariter nullæ  
 actiones alicui possint imputari, quam  
 voluntariæ.

§. 44. Omnes vero actiones hominum *Actiones*  
 vel corpus, vel mentem concernunt. Il- *Corporis*  
 læ nobis, quatenus voluntati non sunt *quatenus*  
 subjectæ, haud imputantur e. g. primi *non impu-*  
 motus, deformitas &c: *sentur?*

§. 45. Neque imputantur omnia illa, *Actiones*  
 quæ a solo intellectu dependent. Nam *intellectus*  
 intellectui non possunt præscribi leges; *ipsæ non*  
 adeoque ei neque ignorantia neque er- *imputan-*  
 ror, quia non semper a nobis dependent, *tur.*  
 simpliciter imputari possunt.

Confer. liber Gall. auctoris anonymi sub tit:  
 Discours sur la liberte de penser, & Tract. An-  
 glic. The innocence of error. Vid. Journal li-  
 teraire Tom. IIX. P. I. p. 41.

*Premia  
pœnaque  
quibusnam  
imputen-  
tur?*

§. 46. Præmia ac pœnas quod attinet, imputantur iis, qui vel immediate sunt auctores actionis alicujus voluntariæ, vel qui ad eam alios instigarunt &c.

*Quomodo  
P.inceps in  
pœnis præ-  
miisque  
peccet.*

§ 47. Peccaret Princeps contra regulas justæ, si pœnam imputare vellet ei, qui nihil contra leges perpetravit; contra leges decori vero, si vel nihil merenti præmium dare, vel merenti illud denegare vellet.

*Quomodo  
in specie  
circa præ-  
mia peccet.*

§. 48. Nec minus in regulas justæ impingeret, si pœnam ab innocente perpeffam in præmium imputare vellet nocenti.

*2.) quomo-  
do peccet  
in pœnis.*

§. 49. Pariter Leges justæ violaret, si infontem pro fonte punire vellet, quamvis ille ad pœnam in se suscipiendam sese offerret. Equidem ei ipsi haud faceret injuriam, cum volenti nulla injuria fieri possit: injuriosus tamen esset in rempubl. quæ illum saltem pœna plectendum esse jubet, qui deliquit.

*Promissæ  
imputatio  
ac requisita.*

§. 50. Promissæ quod concernit, ea nobis imputantur ad eorum servationem. Quoniam vero in omnibus promissis non sola sufficit promissio, sed alterius requiritur acceptatio, inde consequitur: quod ad obligationem promissionis non modo requiratur, ut alter voluntarie pro-

promiserit, sed & jus acceptandi apud alterum debet adesse.

§. 51. Exinde quoque decidere possumus quæstionem: an promissa vi aut metu extorsa sint servanda? de qua multa hucusque fuere disputata & plura nos quoque infra in Cap. de Pactis profereamus in medium. Brevibus ita dicendum:

§. 52. Aut is, qui ad promissionem faciendam me cogit, jus habet cogendi metumque inferendi, aut omni jure est destitutus. Priori casu omnino ad inita pacta servanda sum obligatus, ac nulla exceptio metus potest opponi. Nam ubi alicui jus competit, ibi etiam in altero obligatio debet adesse. Posteriori autem casu promissio est ipso jure nulla. Eodem nititur fundamento, quod ibi nulla possit oriri obligatio, ubi alteri nullum jus competit. Sic promissiones victori factæ obligant: sic urphædam præstitam implere teneor; non vero obligatus sum ad promissa latroni facta servanda.

§. 53. Promissi adimpletio mihi imputatur in liberationem. Neque hic necesse est, ut solutio voluntarie facta fuerit; sed quamvis alius quis invito prohibenteque debitore solverit, liberatus

*Consecrarium.*

*Ob vim metumque Promissa quousque obligent?*

*Adimpletio Promissio si quomodo imputetur?*

tamen est debitor, neque bis ab eo peti potest solutio.

*Imputatio-  
nis Pro-  
missi pœ-  
naque  
convenien-  
tia ac dis-  
convenien-  
tia.*

§. 54. In hoc ergo differt imputatio promissionum ab imputatione pœnarum; licet enim innocens, uti diximus, pœna jam esset affectus, nocens tamen inde non liberatur. In eo tamen conveniunt, quod promissum remitti possit a promittente salvis regulis justi atque decori: quia unusquisque juri suo renunciare potest. Similiter & pœnam remittere potest Princeps salvis regulis justi; atque hinc fluit, quod jus aggratiandi omni jure Principi competat.

*Premii de-  
negatio in-  
deqora.*

§. 55. In Præmiis autem rursus res aliter se habet. Nam si invito merenti denegaretur præmium, peccaretur non quidem contra leges justi, contra tamen regulas decori.

*De Benefi-  
ciis, Bene-  
facture,  
Beneficia-  
riis.*

§. 56. Quoad imputationem beneficiorum notandum: ea sua natura esse gratuita statimque desinere esse beneficis, quamprimum benefactor aliquid de jure a beneficiario exigere vellet. Hic tamen nihilominus est obligatus gratum se præbere, hocque omisso peccat contra regulas decori.

*An da-  
mnum casu  
datum re-  
stituen-  
dum?*

§. 57. Quamvis igitur regulariter ad imputationem requiratur, ut actio sit voluntaria; aliter tamen pronuncian-  
dum

dum esse videtur in damni dati restitutione. Hic enim haud necesse est, ut voluntarie damnum ab altero illatum fuerit, sed interdum sufficiens esse videtur, si casu saltem alter damnum dederit.

§. 58. Nam semper respiciendum, quis *Damnum* nam plus ad damnum casu datum con- *quando do-* tribuerit. Si enim domini rei nihil pla- *minus rei* ne imputari potest, nulla etiam ratione *pate non* ad damnum patiendum obligatur. *debeat?*

§. 59. His simplicibus fundamentis po- *Naga Scho-* sitis, facile carere possumus subtilitati- *lasticorum* bus, quibus scatent scripta Scholastico- *de Imputa-* rum, & quæ adhuc a nonnullis recenti- *tione.* oribus Philosophorum retinentur, puta de imputatione ex Lege & ex arbitrio, ex gratia & debito &c. Reliqua ad uberio- rem declarationem imputationis spe- ctantia reservabimus suis locis, ubi de singulis materiis tractandi sese offeret occasio.

Vid. Buddeus in Philos. Pract. P. 2. c. 2. §. 15. 17. p. 232. sqq. Conf. Ill. Thomasius in Fundam. Jur. nat. & Gent. c. 7. §. 49. & in nota sub- juncta.

O 5

LIB.

## LIB. II.

## CAP. I.

## Officiis hominum erga Deum.

## §. I.

*Capita Officiorum erga Deum quotnam?*

**I**Nter Officia, quæ unicuique hominum, in quocunque etiam vivat statu, incumbunt, merito primum sibi vindicant locum Officia erga Deum. Quid itaque ratio sibi relicta de iis comprehendere queat, hoc loco nobis erit investigandum. Ad tria vero reduci possunt capita 1. An Deus existat? 2. In quo ejus consistat essentia? 3. Quomodo, abstrahendo ab omni revelatione, secundum sanam rationem debeat coli?

*Dissensus aliorum.*

§. 2. Putant quidem alii, ultimo loco de his agendum esse Officiis; quia res sit cognitu difficillima & magnum gradum sapientiæ præsupponat. a) Alii religionem naturalem ad Jurisprudentiam naturalem pertinere plane negant, sed multo magis Jurisprudentiam hanc Theologiæ naturali opponendam esse credunt.

a) Vid. Ill. Thomasi Fund, J. N. & G. L. 2°

c. I. §. I.

§. 3.

§. 3. Et verum est omnes Socialitatem *Causa hujus* pro fundamento Juris naturalis agnos- *dissensus.* centes vix ex hoc principio Theologiam naturalem s. cultum divinum deducere posse; ita, ut ob hanc causam etiam Puffendorfius in Opere suo majori materiae hujus tractationem plane omiserit.

§. 4. Sed melius est, ut unicuique su- *Officia in* am relinquamus methodum, & satius om- *Deum reli-* nino esse puto, principia religionis natu- *quis præ-* ralis atque officia, quæ Deo omnipoten- *mittenda.* ti debemus, omnibus aliis Juris naturalis principiis hic præmittere.

§. 5. Intelligimus autem sub voce Dei *Descriptio* Ens illud, quod omnibus rebus dedit exi- *Dei.* stentiam, suam ipsam vero a nulla re ac- cepit.

§. 6. Existentiam Dei quod concernit, *Dei Exi-* facillimam atque omnium optimam de- *stentiam* monstrationem esse, quam a Crea- *probat 1)* tione sumere solent, extra dubium posi- *Creatio.* tum esse videtur. Nihil enim potest esse a se ipso: ergo aliquid esse debet, a quo omnia sunt.

§. 7. Quodcunque enim non potest se *2) Conserv-* conservare, illud etiam a se non potest *vatio.* existere. Cumque autem omnes res sui conservationem intendant & tamen destruantur, impossibile est, ut sibi principium dederint.

§. 8.

*Uberior  
Deductio  
hujus Pro-  
bationis.*

§. 8. Scimus a Parentibus nos esse, fed & hos non causam efficientem, fed saltem sine qua non, esse. Si enim essent causa efficiens i. e. per se existentiam dare possent liberis suis, non solum sibi, fed & liberis suis dare possent conservationem. Cum vero & hujus contrarium videamus, omnino necesse esse concludimus, aliquid longe nobilius adesse debere, a quo nos & omnes alie creaturæ suum sumferunt ortum.

Conf. Lockius de Intell. hum. & Celeberr. Jo. Clericus in Pnevmatol. sect. 3. c. 1. Idem dicendum de progressu in infinitum Mathematicorum imaginario; cum somniare saltem soleant,

*3) Probatio  
a sapientia  
Dei.*

§. 9. Hinc non incongrue adjici potest altera probatio ab infinita Sapientia sumta, qua utitur Leibnizius, cui non parum roboris ipse adscribit Petrus Bælius & Jaquelotius.

Conf. Jaquelotii Tr. Gall. de l'existence de Dieu.

*Inepta  
Probatio-  
nes 1) a  
Consensu  
gentium.*

§. 10. Abstinemus itaque merito ab omnium aliorum argumentis, quæ saltem vulgaria & imbecilliora sunt. Ad quæ omnia refero illud a communi consensu gentium deductum. Magis enim conducit ad Polytheismum demonstrandum, quam ad existentiam veri Dei.

Validissimis rationibus hoc argumentum destrucere allaboravit Petrus Bælius in Tr. Gall. de pensees diverses sur la Comete, sineque fundamentis dissentit Jac. Bernhardus. §. 12.



§. 11. Huc etiam spectat illud Cartesia-<sup>2) ab idea Dei.</sup> num, quod sumitur ab idea Dei: alterum a priori, alterum a posteriori. Illud a priori: Deus existit necessario, quia existentia necessaria continetur in ipsa idea Dei. Alterum a posteriori huc redit: Mentem ideam Dei non habere a se ipsa, sed a causa, quæ formaliter omnes perfectiones possideat, quas idea objective contineat i. e. quæ revera talia habeat, qualia idea tantum repræsentat.

Vid. Sam. Werenfelsii Dissertationum varii argumenti Part. alteram Amstelod. 1716. edit. & quidem Dissert. 3. p. m. 28. sq. cujus objectionibus contra Cartesii demonstrationem productis respondere annisus est Jaquelotus in Basnagii historia doctorum literaria Ann: MCC. mense Majo p. m. 199. Conf. etiam Ephemerides Paris, Ann. 1701. p. 25. sq. & memoriæ Scientiarum Trevultianæ ejusdem. ann. p. m. 104.

§. 12. Nullius porro roboris est argumentum a via eminentiæ & negationis sumtum, quo utuntur Scholastici. Si enim aliquid valeret, magis ad definienda Dei attributa, quam existentiam Dei probandam, pertineret.<sup>3) a via eminentiæ & negationis.</sup>

Vid. Wernher in Element. c. 8. §. 4. sqq.

§. 13. Neque magnis difficultatibus de-<sup>4) a Maudè</sup> stituta est Erhardi Weigeli demon-<sup>novatione.</sup> stratio, qui pro fundamento ponit, quod omni momento totus mundus novetur; exinde concludit, hoc a nulla re in toto hoc

hoc mundo fieri posse: Ergo necessario extra mundum omnium rerum conditorem esse debere.

Vid. ejus Philosophia Mathematica p. 33. fqq.

§) & §) a  
Natura ac  
Atomis.

§. 14. His positis haud opus est, ut valde firmus solliciti de atheorum deliriis, præcipue Spinozæ, qui mundum dixit naturam s. Deum, eumque fato inevitabili subjicere non dubitavit. Parum etiam curamus fortuitos atomorum concursus Epicuri, quam opinionem jam satis solide destruxit doctissimus Anglus Kingius in libro de origine mali.

Dicendum de hoc libro in discursu. Vid, Petr. Bœlius in Tr. Gall. quem appellat *Response aux questions d' un Provincial.*

De Dei Es-  
sentia  
quantum  
sciamus.

§. 15. Essentiam Dei quod concernit, parum de ea nobis constat. Hoc scire possumus, quod sit ens benignissimum, perfectissimum, justissimum atque omnipotens.

Vid. Grotius de Veritate Religionis Christianæ c. 4.

Deus ne-  
quit de fi-  
niri.

§. 16. Verum dicis: quæro definitionem Dei, scire cupio, quid sit Deus? Sed quæris, quod invenire nequis. Omnes enim in eo consentiunt, quod numen divinum sit Ens infinitum. Infinitum non potest comprehendi ab intellectu finito.

An infiniti  
detur idea  
perspicua?

§. 17. Considerata enim *l'infiniti* idea, non negandum est, eam interdum esse per-

perspicuam, ut in quantitibus, spatio, duratione, numero; In aliis autem v. g. in albedine, dulcedine infinitum non observamus. Ratio differentiæ est, quod in quantitate, si quis e. c. cogitet bis, & deinde iterum bis, si mente addat, fit inde major ipsa idea, nempe quatuor. Enimvero si v. g. albedinem cretæ concipias & deinde albedinem nivis, & inter se addas; potes quidem numerare duas albedines, sed albedo ipsa non fit major, sicuti numerus major fiebat. Causa vero est, quod quantitas habeat partes, albedo autem nullas agnoscat partes.

§. 18. Est tamen inter infinitatem numeri, & infinitatem Spatii durationisque ipsam maxima differentia. *De diversitate infinitatis.* Ist hæc enim initium habet, & fit tantummodo a parte veluti una infinitum; duratio autem & spatium sunt infinita ex omni parte. Hoc exinde facile probatur. Conceptus infinitatis numeri in nobis generatur, dum incipimus a 1. pergimus ad 2. & ita in infinitum, adeoque ponimus initium 1. Secus est in infinitate spatii; hic enim excurrere possumus in omnem partem. Nam si Mævium concipio in medio hypocaufti, possum concipere lineam a Mævio versus orientem in infinitum, initium tamen a Mævio non concipio, cum eadem  
li.

linea ab altera parte Mævii etiam concipi possit versus Occidentem rursus in infinitum.

*Infiniti  
Conceptus  
unde inci-  
piat.*

§. 19. Interim videmus, quod omnis conceptus infinitatis in nobis incipiat a finito : ita in spatio incipimus v. g. a pede, ulna; in duratione ab hora, die &c. in numero ab unitate. Hic porro quilibet comprehendet, progrediendo se tandem subsistere oportere v. g. in loco ultra corpora cœlestia, in numero 100000. in anno Platonico. Colligimus exinde, intellectum lassari addendo; Sed idem tamen intellectus simul deprehendit, quod possibilitas additionis nunquam finiatur.

*De infiniti  
duplici  
conceptu.*

§. 20. Duplicem itaque in hoc processu nobis acquirimus conceptum, unum positivum, scil. ratione eorum, quæ addidit v. g. 100000. & negativum intuitu reliquorum, quæ adhuc supra istum numerum addi poterant.

*De ejus  
conceptu  
negativo.*

§. 21. Conceptus negativus autem non ostendit, quid res sit, sed quid res non sit; puta, si scio, Mævium habere 1000. & ultra, nescio quidnam revera Mævius habeat: si in aquam plumbum e funiculo suspensum dimitto, scio quidem distantiam usque ad plumbum, non vero concipio distincte reliquam  
pro

profunditatem ultra plumbum, supposito, quod plumbum fundamentum non tangat.

§. 22. Adeoque post diuturnum laborem possumus quidem cognoscere, quod detur æternitas, immensitas, innumerabilitas; quia in omnium trium, numeri, durationis & mensuræ decursu mens non potuit venire ad finem propter infinitam additionem: Enimvero non concipimus distincte, quid & quantum sit illud infinitum.

§. 23. Nunc applicentur hæc omnia ad Deum. Sed quomodo? Resp. In quantum conspicitur in quantitate; in Deo autem videmus summam Sapientiam, Amorem, Potentiam &c. Hæc videntur se habere, uti albedo, dulcedo &c. referuntur tamen ratione durationis, ad omne ævum, ratione spatii ad universum & ultra mundi machinam.

Vid. omnino Lock de Intell. ham. L. 2. c. 17.

§. 24. Ut autem ad scopum nostrum redeamus, ipsa S. Scriptura testatur, frustra homines de Dei definitione esse sollicitos. Nam illa ipsa nullum alium nobis de Numine divino reliquit conceptum, quam quod sit omnium rerum causa efficiens ac conservans, a se ipso essentiam atque existentiam suam habens,

bens, & adeo essentialiter ab omnibus aliis rebus distincta.

*De Viis causalitatis, negationisque.*

§. 25. Optime itaque fecissent Scholastici, si substitissent in via causalitatis, haudque viam perfectionis ac eminentiæ immiscuissent. Has vero vias nominabant negativas, quibus scilicet omnes imperfectiones a Deo removeere volebant. Sed talis locutio spectat saltem ad inanes locutiones vanorum Oratorum; viaque eminentiæ, qua omnes perfectiones Deo tribuunt in eminentiori gradu, similis est Poëtarum ineptiis, qui in describendis virginibus nullum florem vel gemmam omiserunt. Sed allegorica propositio nunquam positive in fruit.

Vid. Sorell dans le Berger extravagant.

*Ad Objectionem respondetur.*

§. 26. Et quamvis dicere velis: nos etiam scire debere, quid sit Deus, abstrahendo ab omni Creatione; nullam tamen aliam mereris responsionem, quam stultum esse, quærere id, ad cujus cognitionem non potest perveniri.

*De Dei Omnipotentia ac Voluntate.*

§. 27. Melius igitur est dicere: Nos scire Potentias Dei & ratione ejus Omnipotentia nullam aliam definitionem excogitare nos posse, quam quod Deus omnia facere possit, quæ velit. Magis itaque conducit inquirere, quid Deus

VO-

voluerit, quam quid potuerit. Voluntate enim Dei intellecta possumus & Deo placere, & aliorum promovere salutem. Speculationes autem de Deo ejusque Potentia ac omnes disputationes tantum sacrilegæ sunt.

§. 28. Hæc consideratio eo nos deducit, ut comprehendamus, Deum non posse facere contradictoria. Nec enim vult: alias simul vellet & non vellet. Et sana ratio utique satis declarat, contradictoria ita esse comparata, ut neque esse possint, neque vera sint. Haud tamen veritatem hanc ultra Creaturas extendere debemus. Nam certo quidem scimus, Deum non velle contradictoria; haud vero possumus dicere, quod homo non perpetret contradictoria apparentia in sermone de Deo. Adeo Deus a contradictionibus liber est, non vero homo.

§. 29. De unitate Dei omnino etiam possumus esse persuasi. Eo enim ipso, quod dicimus Deum esse infinitum, hic conceptus & unitatem involvere simul videtur, ita, ut stultitia idololatriæ ex lumine naturæ ipso aliquo modo fluat. Multi itaque sunt, qui sibi persuadent, unitatem Dei tam facile ac perspicue unumquemque cognoscere posse, quam

ejus existentiam, a) quamvis in alienam plane Grotius b) abeat sententiam.

a) Vid. Textor in Synops. jur Gent. c. 6. n. 15 Buddeus de Piet. philosoph. § 19. Guil. Grotius c. 5. §. 3. ibique Müller p. 77. Beyer in Posit. Jur. natur. c. 11. §. 15.

b) de Jur. B. & P. lib. 2. c. 20. §. 47.

*De Trinitate.*

§. 30. Imo dantur, qui & Trinitatis Mysterium ex sana ratione deducere satagunt. a) Sed melius esse videtur, totam hanc controversiam revelationi relinquere, atque ut articulum fidei conservare.

a) Vid. Poiret. Cogit. de Deo, homin. & malo L. 3. c. 8. Budd. de Pietate Philos. §. 20. & Mornæus de veritate Religionis Christianæ c. 5.

*De Principio mali sententia Manichæorum.*

§. 31. Ita & multo minus nos tangit doctrina, duo Principia, unum boni, alterum mali statuentium; quod defendebant Persarum Philosophi, illud Oromazem, hoc Arimanem vocantes: & hoc amplexi fuerunt Manichæi. Ad quod probandum hoc utebantur argumento: vitam nostram bonis & malis mixtam esse; quæ cum unico principio attribui haud possint, contradictorium enim esse, unicam naturam simul maleficam & beneficam esse, necessario esse debere duo principia.

Vid. Stanlejus in histor. Phil. Orient. L. 2. c. 6. & Clericus in Pneumatol. sect. 3. c. 10. p. m. 153.

§. 32.



§. 32. Quamvis non possit negari, esse bona malis mixta in vita nostra; in omni tamen malo respiciendum est ad finem ita, ut hoc inspecto multa mala non aliter, quam ut bona debeant considerari. Omnia igitur illa, quæ nobis mala videntur, revera nobis sunt bona; cum non ex pernicioso proficiantur affectu, sed omnia boni nostri promovendi causa fiant. Nam videmus quotidie, homines, nisi malis coërcerentur, in omnia extrema se dare præcipites.

*Responsio ad Object. Manichæorum.*

§. 33. Ii quoque vapulare videntur, qui Deum pro auctore omnis mali habent; cum sana ratio unumquemque satis superque convincat, neminem quam hominem ipsum omnis mali, quod nos tangit, esse causam, Deum autem fontem omnis boni. Non igitur nisi absurde ac plane inconcinne divino Numini adscribi potest productio peccati; ad quas ineptias inclinare videtur Petrus Baylius in variis scriptis sub persona Manichæi.

*Deus non est causa peccati.*

§. 34. Videtur tam Baylium, quam alios supponere, quasi eadem obligatio esset inter Deum & hominem, quæ tamen non nisi ab infano defendi potest. Non melius autem vanitatem hujus doctrinæ demonstrare possumus, quam ex definitione boni ipsius,

*Baylii aliorumque falsa hypothesis.*

§. 35.

*Boni Definitio*

§. 35. Bonus vero is est, qui in alterius adjutorium aliquid facit, ad quod regulæ justi illum plane non obligant, sed qui saltem adjuvat ex regulis humanitatis. Nam boni prædicatum non potest tribui juste agenti, quia talis ad talia facienda cogi potest.

*De Gradibus Bonitatis.*

§. 36. Quo magis itaque regulæ ad aliquam coactionem accedunt, eo minor est bonitas ipsa; quo magis vero recedunt, eo major est bonitas. Ita in minori gradu bonus est, qui adjuvat potentio rem, patrem, amicum, quam qui hostem, persecutorem, pauperem, mendicum &c. Ita minor est bonitas, si in angustiis constitutus alterum adjuvat, quam is, qui omnium rerum affluentiam habet; quia in illo major cogitatio est, se aliis indigere, quam in hoc esse potest. Porro, si Princeps aliquem adjuvat, qui hac in terra superiorem non habet, major bonitas est, quam si subditus hoc faciat. Is enim nullum habet superiorem, cui parere debeat & qui eum cogere possit; hic vero omnino habet.

*Summus Bonitatis gradus quisnam?*

§. 37. Exinde concludo: ubi vel plane nulla est cogitatio atque spes compensationis vel metus, quod miser aliquis evadere possit, vel quod debeat placere super-

**OFFICIIS HOMINUM ERGA DEUM. 231**

periori, ibi, si benefaciat, esse bonitatem in gradu supremo.

§. 38. Hoc jam applico ad Deum. Hic *Deus cur summe bonus* enim hominem creavit cum facultate malum omittendi, illum conservat, quotidie ei benefacit; cum tamen neque sperare, neq; metuere aliquid ab homine possit.

§. 39. Sed regeris cum Bælio: bonum *Exceptio Bælii aliorumque.* non esse metiendum ex obligatione, ex qua quis aliquid facit. aut omittit, sed ex quantitate: Nam majus esse bonum, si aliquis vitam meam conservat, quam bona mea. Majus igitur bonum fuisse pergis, si Deus hominem impeccabilem creasset, quam ut peccabilem eum produxerit.

§. 40. Facilis est responsio: Concedo, *Ad eam Responsio.* qui majus bonum facit, etiam in eminentiori gradu obligationi suæ satisfacere, quam is, qui minus bonum facit; sed nego, Deum majus bonum fecisse, hominem impeccabilem creando. Voluit enim Deus producere creaturas, quæ reliquis esse possent admirationi, & quæ per suas actiones a reliquis etiam possent laudari. Nemo vero tam laudis quam vituperii capax est, quam qui ita, & etiam aliter agere potest.

§. 41. Porro urges: Qui prævidet malum illudque prohibere potest, & tamen *Ad aliam Obj. resp. per instantiam.* hoc facere negligit, non potest dici bonus

nus in eminentiori gradu. Inepta Philosophia. Finge: Sempronius emit pallium a Pamphilo, novit ingenium Pamphili ad omnem dolum ac versutiam capax, sed tamen cum eo contrahit statimque pretium in parata pecunia solvit. Pamphilus pretio accepto aufugit cum pallio, etiam multa queritur de Sempronio, quod non sit eminenter bonus; cur enim me non coniecit in vincula? cur pallium non vi a me extorsit? cur cum tali deceptore contraxit? Certo, si aliter egisset, contractus fuisset servatus.

*Applicatio  
instantia.*

§. 42. Dic mihi jam, quomodo ratiocinium Pamphili tibi placeat; cum tamen Sempronius non plane sit exlex, cum quoque Pamphilo ex regulis humanitatis sit obligatus. Qualem vero obligationem qualemque legem tibi formare potes in Deo?

Vid. Leibnizii Tr. Gall. Essais de Dieu, la liberte de l'homme & l'origine du mal, Kingii Tr. de origine peccati, Cleric. sub persona Originis in Parrhasianis Tom. I. p. m. 303. sqq. & variis ejusdem Scriptis, Petr. Bælii, Bernardi, Placetti aliorumque in hac materia libellos.

*Divina  
Providentia  
certitudo.*

§. 43. De Providentia divina ne opus quidem est aliquid admonere; cum non nisi ratione destitutus de ea dubitare queat. Dei enim Sapientia, Omnipræsentia, conservatio totius mundi, nostraque im-

be-

becillitas ac parva hominum sapientia ejus quotidie nos convincit.

[Investigandum: utrum Epicurus de ea dubitaverit.]

§. 44. Existentia Dei atque conceptus, quem de eo nobis formare necesse est, necessario exigit, ut eum colere debeamus: Colere nihil aliud denotat, quam aliquem magni facere, seque ei devinctum atque obligatum profiteri. Et ita facile responderi potest quæstioni a Bælio mortæ: utrum is, qui Deum existere persuasus & convictus, a cultu aliquo ejus plane possit abstinere? Exigit vero gravitas ac necessitas materiæ, ut accuratiori adhuc oculo eam inspiciamus. Non felicius autem procedi posse videtur, quam si communem distinctionem inter cultum internum & externum nostram faciamus.

*De Cultu  
divino.*

§. 45. Est vero cultus internus nihil aliud, quam adimpletio voluntatis divinæ sanctissimæ. Non potest vero adimpleri hæc voluntas, nisi corde hominis purgato. Concludimus itaque: Cultum internum consistere in purgatione cordis. Et quamvis sciamus, scientiam antecedere debere, cavendum tamen est, ne cultum hunc quæramus in subtilibus de Deo speculationibus, [his enim etiam pessimus operam dare potest] sed, observemus regulas justitiae, honesti & decori. Ipse

*Cultus internus in quo consistat?*

se hoc confirmat Christus asserendo: Qui non amat fratrem suum, non potest amare Deum.

*Confessoria.*

§. 46. Hæc innumeras alias producunt conclusiones; quod nimirum Deum debeamus amare tanquam fontem omnis boni ac Patrem, qui nil quam nostram intendit utilitatem, in eo acquiescere, quia scimus, & solum nobis benefacere posse, & semper ac perpetuo velle, nihilque facere quam id, quod nobis revera est bonum, nihilque avertere, quod intendimus, quam quod nobis revera nocet.

*De eadem materia.*

§. 47. Quod in eum debeamus sperare, omnemque fiduciam in eo ponere *a*); imo eum metuere, non metu servili tanquam despotam ac tyrannum, sed ut Patrem ac doctorem benignissimum.

*a*) Commendanda est Ill. Thomasi dissert. de fide Juridica.

*De eodem.*

§. 48. Quod de eo maxima cum consideratione loqui nulloque modo ejus nomine abuti debeamus; quod abstinentium nobis sit ab omnibus disputationibus petulantibus de Deo; quod omnibus viribus ejus jussa observare debeamus.

*a*) Vid. Ill. Thomasius in Caut. circa Præcognit. Jurisprud. cap. 2.

*Ad Cultum internum non obligant 1) Regg. Justi.*

§. 49. Sed quæritur saltem quomodo ex sana ratione circa cultum hunc internum possimus convinci? Quod regulæ justæ

justi ad hunc cultum nos obligent, abso-  
num esset dicere. Hæ enim præsuppo-  
nunt læsionem : Deus autem, tanquam  
Ens perfectissimum, a tam misera Crea-  
tura neque lædi, neque violari potest.  
Et aliis hominibus cultum aliquem inter-  
num a nobis exigere nullum plane jus  
competit.

§. 50. Regulas decori ad divinum Nu-  
men interne colendum nos obligare, *2) nec re-  
gula Deco-*  
tio hominis nullam invenit causam. *ri.*  
um enim bono aliquo afficere, neque e-  
jus conceptus, neque virium nostrarum  
imbecillitas admittit: gratos quidem er-  
ga Deum nos esse oportere dicitur ra-  
tio; sed hæc obligatio magis nostræ feli-  
citatis causa exigitur, quam ut ea utili-  
tatem Dei promovere queamus. Ne-  
que scandalum omissione ac neglectu hu-  
jus cultus aliis præbere possumus; cum  
in internis consistat, de quibus judicare  
aliis non licet.

§. 51. Solum igitur regulæ honesti su-  
perfunt, quæ ad eum omni opera omni-  
busque viribus observandum nos ob-  
stringunt. Hæ satis superque nos con-  
vincunt, totum hunc cultum, in qui-  
buscunque etiam consistat cogitationi-  
bus, tantum ad nostram tendere felicitatem.  
Omni itaque modo cavendum,  
ne

*Sed Regg.  
Honesti.*

ne falso nobis persuadeamus, ac si illum hanc ob causam instituere debeamus, ut gloriam Dei promoveamus, ac eo Deum quasi nobis obligatum reddamus, imo ac si gloria Dei promoveatur agendo iusta, honesta & decora. Vanissima persuasio, ac non nisi ingenio superstitioso digna. Neque contradicit Apostolus 1. Cor. X. v. 31. cum hoc saltem dicere videatur, quod bonis concessis uti debeamus, ut alii videant, nos magnificere concedentem. Exemplum de corpore habemus 1. Cor. VI. v. 20.

Notandum, quod omnes ii, qui ubique circa actiones suas gloriam Dei crepant, hoc ideo agere soleant, quod facile possint convinci, actiones eorum neque vere honestas, neque iustas, neque iucundas, neque utiles esse. Confugiunt hanc ob causam ad rem sublimem, & stultitiam suam tegere satagunt gloriae divinae praetextu. Vid. omnino Ill. Thomasius in Caut. circa praecogn. Jurisprud. c. 1. §. 18. sqq.

*Finis Cre-  
ationis quis-  
nam?*

§. 52. Creavit enim Deus, tanquam benignissimus Pater, hominem nullum alium in finem, quam ut tanquam felicissima Creatura vitam suam transigere debeat. Ad quem obtinendum ea officia, quae nobis sana ratio observare iubet, non solum injunxit, sed etiam certa indicia certa que argumenta in natura ipsa nobis dedit, quibus homo moneretur  
de



de omnibus illis evitandis, & præcavendis, quæ hanc nostram felicitatem vel impedire, vel plane destruere possent.

§. 53. Ita dolores, quos sentimus, fa- *Finis ve-*  
mes, lætis, aliaque plura nil aliud sunt, *rum adver-*  
quam commonefactiones, quid nobis *sarum.*  
faciendum sit ad nostram felicitatem, ita,  
ut commoda majora exinde nobis pro-  
ducantur, quam incommodum est, quod  
exinde sentimus.

§. 54. Quia ergo Deus non ut despota *Finis offici-*  
leges nobis dare voluit, sed talia præce- *orum no-*  
pta, quæ ex infinita sua Sapientia prævi- *strorum*  
dit nobis convenire; ipsa sana ratio nos *quisnam?*  
convincit, officia erga divinum Numen  
nihil aliud intendere, quam procuratio-  
nem quietis animæ nostræ; hacque ade-  
pta omnia habemus, quæ ad felicitatem  
tam internam, quam externam, spectare  
videntur. Non potuit non Deus Justi-  
tiam, amorem erga alios atque erga nos  
metipsum commendare; quia omnis no-  
stra felicitas ab his dependet atque in iis  
absolvitur. Virtus enim nihil intendit,  
quam nostram perfectionem; vitium  
vero petit nostram destructionem.

§. 55. Hinc enim est, quod nemo pos- *Felix quis-*  
sit feliciter vivere, quam de existentia *nam?*  
Dei persuasus, ejusque voluntatem ad-  
implere omnibus viribus laborans. Non  
po-

potest vero hæc adimpletio vel intendi, vel perfici, nisi observatis regulis hætenus recensitis, ita, ut tota religio naturalis in his inclusa sit ac comprehensa.

*Medis ad  
felicitem  
quam ?*

§. 56. Dum itaque Deus solum nostram intendit felicitatem ad quam adipiscendam duo simul dedit lumina, rationis scilicet & revelationis, quæ præ oculis habere eoque, quo decet, modo invicem separare, omnium interest; Hinc non male actum erit, eorum naturam paucis inquirere.

Videri interim potest Ill. Thomasius in *Historia Juris naturalis*, ita: in *Præfat. ad Versionem German. Grotii de J. B. & P.* & in *cautel. circa Præcogn. Jurisprud. c. 2. §. 16. sqq.* Maximæ etiam olim lites motæ sunt hanc circa controversiam inter Arnoldum & Malebranchium: Nam scripsit hic *Tr. Gall. la Recherche de la Verite*, ubi statim *cap. I. de natura intellectus & voluntatis*, ac in *sqq. de ordine errorum* agere incipit. Voluit vero miscere Theologiam mysticam, Cartesianismum & principia Scholastica; prolapsus inde est in errorem crassissimum, ut existimaverit, se admissio quoque principio, quod creature sint tantummodo modificationes essentia divinae, atque quod omnis actio humana omnisque motus immediate a Deo dirigatur secundum leges certas motus universalis; nihilominus exacte tradere posset differentiam naturæ & gratiæ. Hinc ei se opposuit Arnoldus Dr. Sorbon; in *Tr. de la nature & de la grace*, demonstrando, quod, si omnia immediate a Deo & secundum leges veluti mathematicas fiant, locus plane esse non

non possit Providentiæ divinæ particulari s. gratiæ, nec ulli imputationi. Vid. Clerici Bibl. univers. An. 1688. Tom. 2. p. 64. & Christian. Democritus de fato fatuo. Dicendum quoque hic de libro Speneriano von der Natur und Gnade.

§. 57. Homo creatus est (uti diximus) *Miseria* ad felicitatem, quam vero omni studio *humana* atque opera negligit ac quasi fugit, ita ut *causa.* loco illius nil nisi miseriam, inquietem & infelicitatem sentiat. Causa præcipue in eo est sita, quod plurimi hanc suam miseriam ne quidem ad animum revo- cent; adhuc pauciores media evadendi quærant; ac paucissimi mediis aptis ad illam perveniendi utantur.

§. 58. Non possunt non igitur inepta *Neglectus* amplecti media; cum quotidie videamus *mediorum* maximam hominum partem lumen natu- *an felicitatem.* rale & supernaturale, rationem rectam & revelationem divinam, naturam & gratiam confundere, hincque loco felicitatis nil nisi miseriam sibi conquirere.

§. 59. Consistit autem differentia ho- *De ratione,* rum duorum luminum in eo: Lumen ra- *revelatio-* tionis & revelationis proprie loquendo *ne, natura,* ad intellectum, natura vero atque gratia *Gratia,* spectant ad voluntatem.

§. 60. Duo hæc lumina ducere inten- *De scopo* dunt ad veram felicitatem, hac tamen *Rationis* cum differentia, quod lumen rationis pro *Revelatis-* *scop-* *que.*

scopo saltem habeat felicitatem hujus vitæ; lumen revelationis autem felicitatem æternam.

*Ratio quatenus ducatur ad felicitatem.*

§. 61. Cognoscit igitur ratio sibi relicta sine auxilio revelationis miseriam totius humani generis, ducit illa unumquemque ad cognitionem propriæ suæ miseriam mediaque suppeditat naturalia, quibus eluctari illam miseriam atque ad felicitatem hujus vitæ pervenire queat.

*De scopo Mediisque Revelationis.*

§. 62. Felicitatem vero alterius vitæ ignorat ratio sibi relicta; lumen itaque supernaturale illam pro scopo habet, nullaque alia media, quam ad ipsam adipiscendam apta suppeditat i. e. supernaturalia. Ostendit enim hominem in feliciore vixisse statu, amissum eum iterum fuisse per lapsum Adami. Ostendit, quod post hanc vitam adhuc alia major detur felicitas, quod sint electi atque damnati. Proponit media illam acquirendi hæcque in eo consistere docet, quod Christus morte sua illius nos participes reddiderit, quod ipsius Merito fideque in eum ad illam perveniamus, ac quod lumen rationis ad finem hunc obtinendum non sit sufficiens, sed quod homo uti debeat revelatione divina.

*Ratio & Revelatio non sunt opposita.*

§. 63. Hæc duo lumina sibi non debent opponi. Sicut enim duplex hæc

fe

felicitas sibi non adversatur, sed gradu saltem differt (felicitas namque alterius vitæ est saltem continuatio felicitatis hujus temporalis.) ita nec media sibi possunt esse contraria.

§. 64. Itaque intellectus ignorat quidem media illa supernaturalia, quæ revelatio divina dicitur; statim tamen etiam comprehendit, quod sanæ rationi non repugnet, sed quod distinctius multo magis ex ea potentias Dei comprehendat.

*Rationi non  
repugnant  
media Re-  
velationis.*

§. 65. Similis harmonia deprehenditur in lumine naturæ & Gratiæ, inter virtutes naturales & supernaturales. Nam illa de viribus voluntatis naturalibus est sollicita, quantum scilicet ad felicitatem hujus vitæ facere possunt. Virtutes naturales sunt particulares; supernaturales vero universales.

*Convenientia Naturæ  
& Gratiæ.*

§. 66. Utimur igitur sana ratione quoque in explicatione ac interpretatione S. Scripturæ. Publicata enim hæc est in usum hominum rationalium, eum in finem, ut evitemus falsas atque contradictorias ejusdem interpretationes.

*Usus Ratio-  
nis in Inter-  
pretatione  
Scripturæ.*

§. 67. Cavendum ergo, ne unquam lumen naturale separemus, sed, licet lumen illud supernaturale longe sit præferendum, alterum tamen hanc ob causam non

*Ratio Re-  
velationis  
subordi-  
nanda.*

rejiciendum est, sed ut subordinata concipi debent.

*Sociniano-  
rum &  
Quakero-  
rum error.*

§. 68. Ex eo patet falsum esse Socinianorum dogma, cum quibus fere consentit omnis Philosophorum paganorum cohors, qui omnia ad naturam referunt, supernaturalia plane negligentes; & ab altera parte non cum Quackeris a) sentiamus, qui omnia ad gratiam referre solent.

a) Referrī etiam debent ad Quakerorum dogmata traditā Poireti de intellectu passivo, quasi homo nihil active deberet cogitare, sed potius omnia cogitata a Deo expectare. Cujus farinae etiam sunt Ecstases & silentia cum perpetua quiete Molini.

*Quaestio  
inutilis de  
ratione ac  
Revelatione.*

§. 69. Rejicienda quoque est quaestio: an in casu contradictionis horum duorum luminum lumen naturale supernaturali, an hoc illi praefendum sit? Cessante enim omni inter haec duo contradictione tota etiam quaestio evanescit.

Vid. Scripta Ulrici Huberi de fide & ratione.

*Opposita  
Religionis  
quam?*

§. 70. Veræ Religionis duo opponuntur extrema: atheismus atque enthusiasmus.

Vid. Bælius in Diction. critic. voce Rovenius. Lockius de intell. hum. lib. 4. c. 19. & Henric. Morus de Enthusiasmo.

*Atheismi  
Definitio.*

§. 71. Est autem atheismus affectio intellectus, qua homo erronee sibi persuadet, nullum plane esse Deum h. e. mundum non esse productum a potentia aliqua invisibili ac infinita, sed omnia facta esse

esse atque adhuc fieri casu & necessario.

§. 72. *Causa* partim in intellectu, partim in voluntate quærenda est. Sunt enim homines, qui aut ignorant, aut scire nolunt, intellectum suos habere fines, extraque hos operari haud posse, sed putant, in omnibus rebus invenire se posse demonstrationes mathematicas; hinc dum in infinitate Dei nihil inveniunt, quod definire possint, statim in alterum prouunt errorem, ac si Deus plane non esset. Quamvis igitur subtili plerumque præditi sint intellectu, ac non facile contradictoria sibi obtrudi sinant; tamen conceptus, *casu & necessario fieri*, quæ plane opposita sunt, in intellectu suo coniungunt.

*De causa  
Atheismi.*

§. 73. Antè omnia autem notandum, quod confundi non debeant impietas & hypocrisis, atheismus & superstitio. Differunt præcipue in eo, quod atheismus & superstitio præprimis ad intellectum; impietas vero & hypocrisis ad voluntatem pertineant.

*Differen-  
tia Athei-  
smi, super-  
stitutionis,  
impietatis  
hypocrisis.*

§. 74. Impietas, est talis operatio voluntatis, qua homo ita se habet, ut plane non ratiocinetur; sed tali modo in perpetua animi inquietudine agat, ut illam plane non sentiat, atque pro malo habeat, & hinc eo minus serio optet ad quietem pervenire.

*Impietatis  
definitio.*

Q<sub>2</sub>

§. 75.

*Ejus causa  
quoniam?*

§. 75. Quæ ex eo oritur, quod plures quidem aliquo modo comprehendant se esse infelices atque inquietos; simul vero sibi persuadent, nulla media adesse exinde emergendi, omnes actiones dependere a necessitate ac fato; hominem itaque indulgere debere suis passionibus; vel quod alii prorsus nesciant se esse infelices, hacque in ignorantia credant, omnès cupiditates cordis esse bonas. Non potest itaque aliter evenire, quam ut miseriam suam augeant sicque inquietudini majores subinde addant vires.

*Ipsa est aperta vel occulta.*

§. 76. Quod vero sæpius hæc impietas ab aliis non sentiatur, externæ circumstantiæ in causa sunt. Nam pœnæ humanæ, impotentia, carentia divitiarum, multos deterrent, ut illam erumpere non sinant; ita, ut recte ab aliis impietas in apertam atque occultam dividatur.

*Hypocri-  
psis quid?  
& ejus  
causa.*

§. 77. Hypocrisin, quatenus in genere opponitur impietati, vocamus, quando homo quietem quidem quærit, sed loco veræ quietis nil, quam inquietem subtilem, acquirit. Quod præcipue exinde oritur, si homo putat per suppressionem solius passionis infimæ perveniri posse ad veram felicitatem. Atque in hoc statu sibi blanditur, se jam esse perfectum, nullaque amplius opus habere emen-



emendatione, imo credit, se jam aliis quoque regulas vivendi præscribere posse.

§. 78. Et quia quocunque modo dissi- *Criteria*  
mulare operam dant, hinc maxime ex *Hypocrisis.*  
eo possunt cognosci: quod occultare  
studeant suas passiones nullumque alium  
sermonem, quam de virtutibus rebusque  
virtuosis habeant, ac nihil magis optent,  
quam ut alii de pietate eorum sint per-  
svasi, quod alios, qui eorum regulas non  
sequuntur, omnibus viribus perfequan-  
tur, & hæc omnia tamen sub pallio vir-  
tutis & Zeli divini; affectas vero suos,  
quique eorum sputum lingunt, extol-  
lant ac præ aliis commendent.

§. 79. Superstitio est affectio intelle- *Superstitio-*  
ctus, qua homo Deum sibi concipit se- *onis definitio.*  
cundum propriam suam passionem, at-  
que secundum hanc eum etiam colit.

§. 80. Superstitionem cum atheismo si *Ejus Com-*  
comparemus, duplex hætenus proposi- *paratio*  
ta fuit quæstio: Utrum nimirum super- *cum athei-*  
stitio pejor sit atheismo? & an republ. *sino.*  
atheorum felicior sit illa superstitioso-  
rum? Sed utraque quæstio parvi est mo-  
menti, imo plane absona. Ratione pri-  
oris comparantur prorsus diversa; ratio-  
ne posterioris, ab illis saltem præferri  
potest Resp. atheorum, qui naturam ho-

minum ignorant sibi que homines fingunt, qui plane non dantur.

Plura de his in Bælii, Bernhardi, Clerici, Toltaadi &c: Script.

*Cultus externus quatenus obliget.*

§. 81. Quoad cultum externum duæ separari possunt quæstiones: 1) An ex lumine naturæ comprehendi possit, quod Deus externo cultu velit coli? 2) Si Deus cultum externum jubeat, an ad illum instituendum simus obligati? Quam posterioriorem nemo in dubium vocabit.

*An is cognoscatur a ratione?*

§. 82. Priorem vero quod concernit, negavit illum cultum externum Ill. Thomasius cognosci posse ex ratione sibi relicta a) quem secutus est B. Beyer b) alique: Sed mutavit ille postea suam sententiam. c)

a) Vid. Ejus Jurisprud. div. L. 2. c. 1. §. 8. sqq.

b) Vid. Ejus Posit. Jur. nat. Cap. XI. Posit. 31. sqq.

c) Vid. Ejus fundamenta Jur. Nat. & Gent. L. 2. c. 1. Item Eitten-Behre c. 3.

*Responsio negativa, quoad regg. justii.*

§. 83. Totam controversiam si secundum regulas justii consideremus, non nisi negative dicendum esse omnino videtur. Haud enim Deus indiget cultu aliquo externo, neque hoc gloriam Dei ullo modo possumus promovere, neque ejus omissione alios lædimus atque Jura aliis competentia violamus. Et ita defendi potest responsio, qua Demonax Philosophus usus est. a)

a) Vid. Lucianus in Demonac. & Ærodii Rer. judic. lib. I. tit. 2. c. 5.

§. 84. Aliter vero dicendum esse videtur, si eandem quæstionem ex regulis decori ac honesti dijudicare velimus. Non enim sufficit ita vitam transigere, ne alios lædamus, sed remittere quoque debemus de jure nostro, abstinere debemus a justis & licitis etiam actionibus, si illis aliorum passiones irritari sentiamus, aut eas ex natura imbecillitatis humanæ aliis parum gratas esse intelligamus. Exigunt enim a nobis regulæ decori, ut scandalum & gratum & non gratum evitemus. Prius autem metuendum esset in atheis; posterius in supersticiosiis. Cui accedit, quod sapiens in rebus etiam alias plane indifferentibus aliorum se accommodare debeat stultitiæ; quo forsitan & hoc modo occasionem nanciscatur ad verum cultum internum stultos perducendi.

§. 85. Exigunt hunc cultum & regulæ honesti; nam sentimus sæpius, quod eo excitemur ad internum atque ad ea officia, quæ erga divinum Numen observanda nobis incumbunt. Imo ipse cultus internus atque admiratio, qua Conditorum hujus universi venerari selemus, quodammodo ad cultum quoque externum nos ducit & efficit, ut omnibus membris nostris religionem ac piteatem, quoad fieri potest, declaremus.

*Cultus publici utilitas ac necessitas.*

§ 86. Cultus igitur publicus omnino in republ. utilis est & Jus naturæ late sic dictum aliquo modo eum necessarium judicat. Ignorat tamen ratio, quibus ritibus Deus coli debeat. Unde cultus Israëlitatum externus ex lege positiva particulari repetendus est: Certoque patet, Deum hunc in finem tam solennem Israëlitis præscripsisse cultum externum, ne solennitatibus ethnicorum superstitionis deciperentur; homines enim naturaliter magis externa, quam interna respiciunt. Hinc etiam est, quod cultus ille externus duraverit usque ad tempora Salvatoris nostri, qui satis perspicue docuit, cultum illum ceremoniale legis Mosaiæ esse saltē umbram rerum futurarum, eoque non amplius opus esse post perfectiorem Christi doctrinam, sed totam religionem Christianam in cognitione sui ipsius, amore erga Deum & proximum consistere. Vid. Spencer. de LL. Ebræorum ritualibus.

*Sabbathi Præceptum quonam modo referendum?*

§ 87. Præceptum de Sabbatho quod attinet, illud ob easdem causas male refertur ad Jus naturæ strictè sic dictum; cum potius ex regulis decori ac honesti deducendum sit, atque Judæos, tanquam lex particularis, obligaverit.

Vid. Jo. Sam. Strykii Diss. de jure Sabbathi. Ad leges universales vero illud refert Beyer in libello

lo de jure Sabbathi. Confer. Buddeus de Piet. Philof. §. 39. ſqq.

§. 88. **Omnem cultum ab hominibus inventum Deo non placere olim. afferere voluit Ill. Thomafius a) & poſt eum Beyerus b). Sed, hanc locutionem univerſalem temperandam eſſe, tam ratio, quam ſcriptura S. evincit. Nam diſtinguendum omnino eſſe videtur inter cultum rationalem & hypœcriticum. Illum nunquam Deus improbavit, ſed eum potius approbaſſe ex exemplo regis Nini- vitici ſatis ſuperque conſtat. c)**

a) Vid. Ejus Jurisprud. div. L. 2. c. 3. §. 27.

b) in ſuis poſit. Jur. Nat. c. 2. §. 39.

c) Vid. Ejus Fundam. Jur. Nat. & Gent. L. 2. c. 1. §. 22. item dreyſache Rettung des Evangelischen Fürſten-Rechts P. 1. §. 36. & P. 3. §. 22. & ſq. & p. 159. ſqq. Notandum: quod hæc applicari queant ad Feſta noſtrorum Principum, gratiarum acti- onibus & pœnitentiæ publicæ deſtinata.

## CAP. II.

De

# Officiis hominis erga ſe ipſum.

§. 1.

**P**oſt Officia, quæ Deo debemus, nul- la ſunt, quæ magis noſmet ipſos tan-

*Obligatiô  
ex officiis  
erga noſ-  
ipſos.*

tangunt arctiusque obstringunt, quam ea, quæ nobis ipsis debemus. Omnia enim præcepta, quæ sana ratio dicitur, propriæ nostræ felicitatis gratia data sunt, nullumque alium scopum ac finem; quam singulorum intendunt salutem. Imo salus reip. ipsa in his officiis suum ponit fundamentum. Nam quomodo reipubl. bene esse potest, si singulis non bene sit?

*Ea male  
deducun-  
tur 1) ex  
Socialitate.*

§. 2. Non autem sine maximis ambagibus officia erga se ipsum cum Pufendorfio *a)* aliisque ex socialitate deduci videntur; cum horum omissione non tantum neminem lædamus, sed etiam sine omni respectu ad socialitatem habito ad observanda ea simus obligati.

*2) ex offici-  
is erga a-  
lios.*

§. 3. Neque assentiri possum B. Beyero, *a)* illa ad officia erga alios referenti: Amor enim incipit a se ipso; unusquisque arctius sibi obligatur, quam aliis. Hinc quoque Ill. Thomasius *b)* subordinanda socialitati esse existimabat; Cui hoc tamen regei potest; quod & officia erga alios iis, quæ nobis debemus, debeant subordinari.

*a)* In Posit. Jur. nat. c. 12, Pos. 1. sqq.

*b)* In Jurisprud. div. L. 2. c. 2. §. 3. Aliter vero sentit in Fundam. Jur. N. & G. L. 2. c. 2.

*Fundantur  
in solis  
regg. Ho-  
nesti.*

§. 4. Itaque ad Jus naturæ stricte sic dictum plane non spectant hæc officia, sed

sed tantum locum inveniunt in regulis honesti. Tendunt enim omnium maxime ad vitæ felicitatem ejusque diuturnitatem. Nam si neglectis quomodo possibile est vitam maxima in felicitate transigere? ecqua ratione diuturna vita potest intendi, nisi ratio habeatur sui ipsius? Quamvis enim conservatio vitæ sit Dei munus, neque in viribus nostris positum sit, constitutum vivendi tempus ulterius extendere; quotusquisque tamen non intelligit, abrumperè illam unumquemque facile posse, si aut omittat ea, quæ natura ad sui conservationem exigit, aut facit ista, quæ naturæ repugnant atque destructionem ipsius operantur?

§. 5. Primum igitur statim, quod regulæ honesti suppeditant, præceptum est: *Ita te conservare stude, ut vitam feliciter ac diuturne transigere possis.*

*Primum  
circa hæc  
officia Præ-  
ceptum.*

§. 6. Cum vero homo ex duabus consistat partibus, ex corpore & anima, quæ tam arcte invicem sentimus conjuncta, ut unum sine altero feliciter vivere haud queat, statim alterum se offert præceptum: *Culture anime atque corporis omni studio operanda;* quia sine hac neque feliciter, neque diu vivere potes.

*Alterum  
Præ-  
ceptum.*

§. 7. Quo ad Corpus exigunt a nobis regulæ honesti, ut operam demus sani-

*Cura Cor-  
poris Ani-  
mæque æ-  
ta-  
que neces-  
saria.*

tati corporis, persuasi, quod cura animæ ab illa corporis non differat & male sibi consulant illi, qui curam hujus alteri se committere posse putant; quam doctrinam erronee defendit Pufendorf de habitu religionis c. 2. §. 2.

*In quonam Cura Corporis consistat.* §. 8. Præprimis vero notandum, quod cura corporis non solum consistat in morborum expulsionem, sed in Conservatione sanitatis. Error contrarius fuit ex mala persuasione, ac si morbi sint poenæ arbitrariæ a Deo præter ordinem naturæ homini impositæ. Hoc enim supposito sequeretur: homines ad singulos morbos quasi esse prædestinatos; quod tamen falsum est.

*Vita & Mors quid?* §. 9. Vita enim ipsa nihil aliud est, quam principium agens immateriale s. anima ipsa, quæ omnium viventium corpora sibi format conservatque. Actus autem vitæ consistit in conservatione corporis organici a destructione. Ergo mors ipsa est corporis nostri organici destructio per corruptionem organorum & fucorum facta.

*Media tuenda Sanitatis, ubi commendatur.* §. 10. Cum igitur anima in tantum resistat morbis, in quantum vires a Creatore ei concessæ sufficiunt, opera saltem danda est, talia quærere media, quibus naturæ potest succurri.

*1) Temperantia.* §. 11. Abstinere itaque debemus ab omni



in eo, quod corpus nostrum destruit, cibo ac potu uti, quatenus ad conservationem & recreationem ejus opus est; hinc omnino nimia illorum copia fugienda; partim quod corpori ipsi magis noceat, quam profit, partim quod corpus reddat libidinosum atque ad omnia, quæ nobis incumbunt, officia ineptum.

§. 12. Labore ac commotione corporis utendum est, ne sanguinis putrefactio<sup>2) Labor corporis-</sup> oriatur, quæ multos morbos progenera<sup>que motio-</sup>re solet.

§. 13. Vestimentis etiam corpus no<sup>3) Vesti-</sup>strum tegendum, partim ad necessitatem<sup>mentorum</sup> & sanitatem, partim ob decorum. Abst<sup>usus.</sup>inendum imprimis ab iis, quæ luxum animique molliem præ se ferunt.

Plura ad hanc materiam spectantia invenies apud Bontekoë vom Menschlichen Leben, Illustr. Thomasius in Caut. circa Præcogn. Jurisprud. cap. 18. & Lockium de educatione infantum.

§. 14. Quoad animam tenendum, quod, cum ea duabus prædita sit facultatibus, <sup>Anime cura in qua-</sup> nempe intellectu ac voluntate, hæ autem <sup>nam consistat.</sup> duæ in nobis maxime sint corruptæ, hinc earum pro viribus curare debeamus emendationem.

§. 15. Igitur quærenda est ratione intellectus talis disciplina, qua media sup<sup>De Veritate cognoscenda.</sup> peditantur perveniendi ad cognitionem veritatis; quam frustra quærimus, nisi ante

te omnia examinemus finitudinem ipsius intellectus. Qui enim hanc non agnoscit, maximam vitæ suæ partem in cognitione cognitu impossibilium transigit, falsoque sibi persuadet, ideas suas esse rerum essentias; eum tamen nihil aliud sunt, quam quorundam accidentium collectiones: imo talis conjuncta separat, separata conjungit, & miseram suam cognitionem pro plenaria habet, maximoque cum fastu & stultitia de eadem cum aliis rixatur.

Multa huc spectantia deprehendes in doctiss. Clerici Logica.

*De veri  
falsique  
criteriis;  
in primis  
Dubitatio-  
ne.*

§. 16. Porro cognoscere debemus imperfectiones nostri intellectus, qui plurima falsa cum paucis miscet veritatibus. Quare necesse esse videmus, ut de veri & falsi criteriis primisque cognoscendi principiis instruamur. Sunt vero criteria sensio & idea. Primum est sensio; ex hac enim oritur idea. Hæc omnia autem frustra conamur, nisi dubitare incipiamus, non more quidem Scepticorum, sed modeste & erudite i. e. dubitare debemus ex prægnanti, gravi atque in recta ratione fundata causa.

*Vero simili-  
lia a veris  
discernen-  
da.*

§. 17. Hæc autem cognitio insufficiens est, nisi simul operam demus originem errorum ac præjudiciorum cognoscendi;

&c

& quoniam maxima pars totius nostræ scientiæ in vero similibus consistit, maxime nobis incumbit invenire criteria, quibus veritates certæ distingvi possint a verosimilibus.

De his omnibus consuli potest Illust. Thomasius in der Vernunft-Lehre.

§. 18. Alteram facultatem mentis, scilicet voluntatem, quod attinet, omnium maxime hujus emendationem regulæ honesti præcipiunt. Est enim fons atque radix omnis nostri mali, infelicitatis, corruptionis &c. Ad ejus autem emendationem opus est, ut ante omnia propriam cognoscamus naturam solidamque nobis paremus cognitionem, in quo vera hujus vitæ consistat felicitas, quibusque mediis ad eam perveniendi sit utendum.

*Requisita ad Emendationem voluntatis.*

§. 19. Conducit vero multum ad hujus cognitionem, ne negligamus bonum & malum ipsum, sed ut præprimis consideremus, quod illud sit vel ordinarium vel extraordinarium. Debet vero circa duplex hoc bonum unusquisque simul examinare statum suum, in quo vivit, antequam bonum ipsum eligat. Facile enim ex eo constabit, quid nobis conveniat aut expediat, nec ne. Nam aliud bonum prima ætas desiderat, aliud secunda; aliud nobis expedit in honoribus, aliud in

*Media ad eam sunt 1) Cognitio Boni diversif.*

in vili statu; aliud in paupertate, aliud in divitiis; aliud eo tempore, quo Patronos habemus, aliud, quo iis destituti sumus.

2) *in specie  
cognitio  
Boni summi.*

§. 20. Et dum omnes naturali instinctu quærunt summum bonum, simul allabandum, ut & hujus verum nobis acquiramus conceptum. Consistit vero illud in eo, ut quis recte se habeat, beneque omnia sua. Bene autem se habet homo, si contentus est. Quod satis superque ex responsione ipsa hominum patet, qui si quæratur: Cur hoc agant? cur hanc vel illam rem appetant? omnes fatentur: quod alias non possint esse quieti & contenti. Quies ergo est ultimus scopus omnis actionis, & propter hanc omnia fiunt. Propter quod autem omnia fieri solent, id necessario debet esse S. B. Non vero ab hac quiete excludendum est gaudium, licet consistat in motu. Nam insensibilitas Stoicorum ac Mysticorum ineptos reddit homines. Imo vitæ nostræ miseriæ conditio ita est comparata, ut mens interdum sit excitanda ac movenda. Gaudio itaque etiam opus est: omnimoda enim quies ad vitam hanc imperfectam haud quadrat.

3) *in Amore  
rationalis  
cognitio*

§. 21. Præterea non negligamus intimius perscrutari naturam Amoris rationalis,

lis, tanquam complexus omnium virtutum. Quem conceptum non melius nobis acquirere possumus, quam separando amorem communem ab amore speciali. Si vero ex me quæris, quid sit Amor rationalis? vix aliam responſionem tibi dare possum, quam illum esse rationalem, qui non sit irrationalis. Hic autem est, si quis 1) desiderat res ac personas bonas, sed impatientissime, ita, ut non cogitet, more impatientium, de mediis. 2) Si quis dirigitur ad rem stultam, licet ab æque stultis laudetur. 3) si quis confundit uniones i. e. si eadem ratione Deo, creaturis & homini jungi desiderat.

§. 22. Non quærenda est stultitia in intellectu, sed involuntate. Haud vero cogitandum, quod hæc ita sit mala, ut omnes affectus sint eradicandi; multo minus, quod amor rationalis specie differat a tribus primariis affectibus: cum stultitia saltem aut in nimia iucunditatis, proprietatis & laudis cupiditate, aut in huius defectu consistat. Hinc tantum opera danda, ut omnes tres cupiditates illæ redigantur ad æquilibrium.

De his omnibus ex instituto egit Ill. Thomasius in der Eſſen-Lehre.

§. 23. Multum verò nostram Emendationem iuvat labor. Quare regulæ honeste commendandus.

IR

du.

neſti exigunt, ut aliquid agere debeamus. Nam vita ſapientis non eſt ſpeculativa ſolum, ſed maxime activa. Agenda tamen ſunt pauciſſima: ex paucis enim mox plura fieri poſſunt. Qui multa agit, pluribus immiſcetur. Bene vero qui la-  
tuit, bene vixit.

Vid. Bayle Diſtion. critique ſub voce: Bedell  
lit. B. & Gratian l' homme de Cour Ax. 33.

*In genere  
notanda  
ratione la-  
boris ſ. a-  
gendorum.*

§. 24. Non tamen anxie debes quæ-  
ere agenda, neque te immiſcere negotiis  
alienis, neque obtrudere ad negotia ge-  
renda: Homini enim laborioſo ſemper  
agenda ſe offerunt. Neque plura ſimul  
ſuſcipienda. Nam qui plura ſimul  
ſuſcipiunt, revera nihil agunt & perfici-  
unt. Vires tamen propriæ hic ſunt in-  
veſtigandæ: quia multi conſuetudine a-  
pti ſiunt ad agenda plura.

*In ſpecie 1)  
fuge timo-  
rem ac au-  
daciã.*

§. 25. Neque incipienda ſunt, quæ non  
poſſumus perficere. Non tamen requi-  
ritur perfectio in ſummo gradu. Ne i-  
gitur tam in defectu, quam exceſſu pec-  
cemus, tenendum, quod neque timide,  
neque rumide agere debeamus. Timor  
enim efficit, ut negotia vel non ſuſcipia-  
mus, vel ſuſcepta haud perficiamus. E-  
contra audacia omnis eſt ſtulta. Nam  
ſapientis audent quidem, ſed tamen non  
eſt audax i. e. antequam audent, delibe-  
rat.

§. 26.

**OFFICIIS HOMIN. ERGASE IPSUM. 257**

§. 26. Ut vero progressus faciamus in nostris negotiis, incipiendum est a <sup>2) incipe & facilioribus</sup> & transeundum ad <sup>2) incipe & facilioribus</sup> difficiliora. Non enim uno momento aliquis fieri potest sapiens. Ex bestiis fieri debent homines, & ex hominibus sapientes. Qui itaque a perfectione incipere intendunt, vel sunt versutissimi fallarii, vel mente capti hypochondriaci.

§. 27. Investigandæ quoque sunt vires <sup>3) Vires proprias scrutare.</sup> propriæ: non enim omnes ad omnia sunt apti. Quoniam vero plures inclinant ad id, ad quod sunt inepti, aut abhorrent ab eo; ad quod maxime sunt apti; ideo semper considerandum: an inclinatio atque horror sit naturalis, an vero ex passione vitiosa ortum trahat. Interim operam adhibet prudens, ut ad plurima se reddat aptum; cum non unicuique electio competat libera. Hac autem electione si gaudeat, semper optimum erit illud eligere, ad quod maxime sumus apti: nam in hoc non solum excellere, sed etiam aliis prodesse possumus.

§. 28. Non tentanda sunt impossibilia: <sup>4) Impossibilia ne scips.</sup> Multi enim maximos fecissent progressus, si vires suas investigassent. Quia autem multa videntur impossibilia, quæ non sunt talia, id propter quisque fatum suum

suum consulere debet. Nam dantur homines, qui ad bellum in media pace sunt nati, & qui nihil feliciter peragere possunt, nisi multas superaverint difficultates. Alii vero feliciter agunt, ubi nullas inveniunt difficultates. His signum est desistere ab inceptis. Quia vero & factum ipsum suam habet inconstantiam; hinc & ratione hujus regulæ prudentiæ sunt adhibendæ.

5) *Cursum  
siste & ac-  
quiesce.*

§. 29. Præprimis autem in omnibus nostris actionibus consideranda est ætas. Nam quamvis homo natus sit ad agendum, & juvenilis ætas ad exequendum, virilis ad consultandum, & exequendum, senilis vero ad consilia danda sit apta; tamen omnes nostræ actiones requiem desiderant: Quamobrem optime factum esse videtur, in media felicitate cursum sistere.

6) *Mores  
aliorum  
nosce.*

§. 30. Non possumus feliciter in omnibus nostris negotiis procedere, nisi cognita natura actionum humanarum. Hæ non possunt cognosci, nisi cognoscamus mores hominum. Videmus ergo, qualem nobis comparare debeamus eruditionem. Quia vero vita brevis est, multa tamen discenda, quæ nobis, quæve aliis sunt utilia; ea saltem studia eligenda, quibus scopum hunc obtinere queamus.

Illis



Illis itaque studiis, quæ tantummodo ad delectationem spectant, ut condimentis utendum; & illa, quæ nullam prorsus præstant utilitatem, sed potius præjudiciis nos obruunt, in hisque confirmant, plane sunt negligenda, aut certe in tantum tractanda, ut aliis stultitiam in talibus disciplinis latentem eo melius demonstrare queamus.

§. 31. Ante omnia igitur studet Sapiens in libro naturæ humanæ, persuasus, quod ad agendum, non ad speculationem, sit natus; & quod omnes alii, quamvis ut monstra eruditionis a nonnullis colantur, a prudentia sint alienissimi, nec sibi nec aliis consulere possint, imo ad omnia negotia gerenda sint inhabiles. Et quomodo aliter se res habere possent, cum anima eorum solum speculationibus quasi assuefiat, & in quadraturam circuli vel  $X \uparrow a-b$  si transmutata?

§. 32. Non tamen plane abstinere debemus ab aliis studiis, multo minus ea contemnere. Scit enim sapiens, quod etiam multa scire debeat, non quidem ad felicitatem veram pertinentia, sed tamen ad bene esse. Operam igitur impendit Physicæ, ut ex ea cognoscat naturam humanam, itemque Mathesi, quia hac multa commoda sibi parare potest.

R 3

Di.

*Studium quodam sit practicum?*

*Studia Physicæ, Mathesis, Linguarum quatenus tractanda.*

Discit & linguas, ut perspicue atque non indecore loquatur. Sed in his tamen reliquisque omnibus maxime utilia ab inutilibus secernit.

Vid. instar omnium Ill. Thomasi Cautel. circa Præcognita Jurisprudēt: Non vulgaria quæque adfert Pufend. in Jur. N. & G. L. 2. c. 4. §. 13. quom sequitur Rechenberg. de Studiis Academicis c. 1. §. 4. fq.

*Emendationem juvant conversatio.*

§. 33. Maxime etiam ad nostram emendationem ac felicitatem facit conversatio cum aliis; quare & hæc non est negligenda. Stolidi sane sunt omnium eorum consilia, qui solitudinem vitamque eremiticam commendant. Nam auget hæc nostras passiones ac nos moraliter reddit incurabiles.

*Vita quam præferenda?*

§. 34. Jam de potestate hominis in propriam vitam quædam monenda; in quam licet nemo per se jus habeat, hoc tamen nihil aliud involvit, quam quod nemo sibi eam pro lubitu adimere possit. De cætero dubium non est, quod vita aliis utilis, ut ut brevior, præferenda sit vitæ inertis, quamvis longiori; quin imo recte vitæ periculum non solum ultro, sed & imperantis jussu subiri potest, pro defensione Reipubl. & tranquillitatis communis.

*Vita periculum ex Regg. Decori subendum.*

§. 35. Non quidem hoc præcipiunt regule justis. jus naturæ strictè sic dictum; nec

nectamen prohibent: non quidem adest obligatio interna ex regulis honesti resultans vel promanans; sed nec illis repugnat. Dicendum igitur, ex regulis decori hoc interdum nobis incumbere. Jubent enim hæ, ut interdum juribus nostris in favorem aliorum renunciemus idque faciamus, quod ut alii in nostrum favorem, commoditatem atque utilitatem faciant, optamus.

Vid. Pufend. de Jure Nat. & Gent. L. 2. c. 4. §. 17. ibique Barbeyrac & Ill. Thomasius in Jurisprud. div. L. 2. c. 2. §. 80. sqq. item in Fundament. Jur. Nat. & Gent. L. 2. c. 2. §. 11. sqq.

§. 36. Autochiriam quod attinet, ante *Autochiria* omnia separanda est religio ab eo, quod *illicita.* juris naturalis est. Haud enim hic sumus solliciti de eo: an avtochir mortem mereatur æternam? Sed saltem: an ductu sanæ rationis possit defendi? Quod, si consideremus, extra omne dubium positum esse videtur, avtochiriam esse illicitam. *Ea indirecte*

§. 37. Quamvis enim directo non pugnet contra jus naturæ stricte sic dictum, dum nullum jus habemus respectu nostri ipsius, neque alteri cuiquam ratione vitæ nostræ sumus obligati: lædimus tamen per indirectum regulas justæ, dum vitam nostram ac dispositionem quasi obtulimus republicæ, quam cive privamus, qui ad utilitatem conservationemque illius se obligavit. *Et adversatur regulis justæ.*

R 4

§. 38.

2) *repugnat  
regulis De-  
cori Hone-  
stique.*

§. 38. Violamus quoque regulas deco-  
ri, dum aliis scandalum præbemus, fati-  
superque immani hoc actu declarantes,  
quod non cum homine, sed cum bestia  
in societate vixerint. Regulis honesti e-  
am repugnare, facile persentiscimus; quid  
enim immanius, quid ferocius excogita-  
ri potest, quam vitam sibi auferre nullam  
aliam ob causam, quam quod secundum  
passiones nostras vitiosas vitam transige-  
re nequeamus? Quid ineptius, quam gla-  
dium stringere versus se ipsum ob tædium  
molestiarum, ob indignationem malo-  
rum communium, ob quamcumque igno-  
miniam, ob pudicitiae violationem, alia-  
que hujus farinae plura? Nam ignomini-  
am injuste illatam constanti pectore fer-  
re jubent regulæ decori & honesti; pu-  
dicitiam alicui eripere in nullius homi-  
nis est potestate &c.

Idem sentiendum de facto ambitioso Lucretia.

*Refutatio  
falsæ sen-  
tentia de  
Autochi-  
ria.*

§. 39. Neque subscribo sententiæ eo-  
rum, qui eo in casu licitam illam pro-  
nunciant, si quis videat, se victurum de-  
inceps in Opproprium Dei. a) Nam quo-  
modo is in opprobrium Dei vivere pos-  
set, qui omnia mala & violentiam alio-  
rum patienter fert atque injuriis haud re-  
sistit. Parum huc quadrat exemplum  
Simsonis; cum omnia facta Simsonis tan-  
quam

quam irregulare quid atque exceptio a communi regula considerari debeant. Neque Saulis neque Rezis factum excusari potest. Neque huc referendum exemplum Socratis; quis enim avtochiriam nominaret, si condemnatus ad supplicium capitale iussu Magistratus sibi ipsi manus inferat? Neque Catonis exemplum aliquid probat, qui ex inani saltem fortitudinis ac constantiae opinione vitam sibi abstulit. b)

d) Vid. Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 19. §. 5. Ill. Thomasius in Jurisprud. div. c. 1. §. 74. Conf. etiam Michael Montagne, in Essays L. 2. c. 3. Barbeyrac, ad Pufend. de J. N. & G. L. 2. c. 4. §. 17. Sam. Rachelius in Diss. de morte voluntaria, Andr. Adam. Hochstetter in Colleg. Pufendorf. Exerc. 5. §. 4.

b) Vid. Tr. Esprit de la faussete des vertus humaines. Idem dicendum in genere de virtute heroica, de martyrio affectato &c. Vid. M. Rothius de martyriis affectatis Vitembr. 1709. it. de Philosophia Stoicorum circa avtochiriam. Conf. Justus Lipsius in Manudact. ad Philosoph. Stoic. Diff. 22.

§. 40. Haud vero improbo eorum sententiam, qui eo in casu licitam avtochiriam agnoscunt, si quis certitudine moraliter infallibili mortem sibi paulo post ab hoste, aut tyranno cum cruciatu intolerabili perferendam cognoscat; atque hinc omnino approbo distinctionem av-

*Ipsa est in certis casibus licita.*

tochiriæ licitæ & illicitæ; quamvis fatuus esse videatur, si excusationis terminum adhibeamus. Nam ita evitamus scandalum ratione eorum, qui omnem avtochiriam illicitam esse autumant. Ita nimirum excuso avtochires usu rectæ rationis privatos, furiosos, in necessitate summa positos, exquisitissimis doloribus affectos. Hoc enim in dubium vocaturus haud cognoscit naturam humanam, sed hominem sibi fingit in idea.

*An sit puni-  
enda?*

§. 41. Quod Princeps contra avtochires leges ferre eosque sepultura honesta private possit, extra dubitationis aleam positum esse videtur; licet haud negari queat, multas in hac doctrina reliquias Papatus esse occultatas. Vix enim mihi persuadere possum, quod aliquis sanæ mentis se interficiat: excludit vero morbus mentis omnino dolum, & per consequens poenas.

Vid. III. Thomasius ad Lancellottum L. 2. tit. 24. §. 9. p. 1101. sq.

*Defensio  
sui licita.*

§. 42. Jam videndum de defensione sui ipsius: cujus disquisitio plane omitti posset, si homines sana uterentur ratione, aut, secundum effatum aliorum, a natura ferrentur ad commoda aliorum promovenda, atque sic invicem se lædere desisterent. Quia vero, si ex ingenio hominum

num rem æstimes, magis inclinant ad bellum ac læsionem aliorum, quam ad Pacem, ita, ut Hobbesius non male censuerit, statum naturalem esse statum belli; id propter opus est defensione, nisi ipsi perire velimus.

§. 43. Defensionem itaque secundum Jus Naturæ, tam late quam stricte sic dictam, licitam esse, non vero præceptam, natura ipsa ostendit. Licet igitur in statu naturali vim vi repellere, & quocunque modo omnibusque mediis resistere. Sibi enim unusquisque est proximus, & inuasor de nulla injuria potest queri; cum ipse in actu injusto occupetur, & facile patet, si inuasori non liceat resistere, quod metuendum sit, ne plures ab uno occidantur.

*Quomodo  
Et cur ea  
sit licita.*

§. 44. Hanc defensionem regulæ justitiam nobis concedunt in infinitum, ita, ut tali modo ei resistere possim, quo non tantum mihi jam in ipso actu invasionis nullum damnum inferri possit, sed ut etiam in futurum nihil amplius mihi metuendum sit. Ergo & hanc licitam esse, nemo in dubium vocare poterit, si sine alterius interneccione nullam mihi promittere possim securitatem.

*Quousque  
ex regg. ju-  
sti sit licita.*

Confer. Grotius de Jur. B. & P. Lib. 1. c. 2.

*In statu  
naturali  
conceditur  
quovis mo-  
do.*

§. 45. Neque dubitandum, quin se-  
cun-

cundum regulas iusti in statu naturali etiam defensio cum internecone, pro pudicitia conservanda, pro corporis membro tuendo, pro alapa inflicta, atque omni malo declinando ac avertendo, quod alter mihi inferendi jus non habet, sit licita atque permissa.

*Probatio,  
quod semper sit licita.*

§. 46. Membri enim mutilationem quod attinet, restitutio ejus nullo modo ab altero potest impetrari; & licet alii hoc in casu defensionem illam admittere velint, si ex læsione membri mors sit metuenda; a) hoc tamen haud magni momenti est, cum sufficiat, alteri nullum jus competere, vim aliquam nobis inferendi. Nam quis tutum me reddit, ne alter mutilato corporis membro me occidat, aut ex mutilatione mors ipsa sequatur? Nonne periculum est, quod ab alapa ad verbera, a verberibus ad cædem hostilis invasor sit perventurus? Frustra quoque circa conservationem pudicitiae dissentiunt Ziegler, Osiander, item olim etiam Ill. Thomasius in Jurisprud. div. L. 2. c. 2. §. 114. sqq.

a) Vid. Textor. in Synops. jur. Gent. c. 9. n. 15. Wincler in Princip. jur. L. 4. c. 10. Kestner in J. N. & G. c. 3. §. 8, Grotius de J. B. & P. §. 6. 20. ibique Henniges p. 320. Bœcler p. 9. & Tesmar. p. 149.

§. 47.



47. Pari modo furem in hoc statu naturali repellere, arque si sine cœde ejus res meas conservare n̄queo, & hanc regulæ justî concedunt. Nam furem conveniendi nulla mihi competit facultas, cum lex & judex deficiat.

Vid. Grot. c. 1. §. 11. Pufend. in J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 16. Dissentit Osiander ad Grot. §. 11. Obs. un. Kulpis in Colleg. Grotian. §. 5. p. 39.

§. 48. Quamvis quoque sine infautoris internecione res meas ablatas recuperare possim, imo & alter eas sponte mihi restituat; injuriam tamen illatam vindicare, satisfactionem, cautionemque de non amplius turbando ab eo exigere possum. Quomodo vero restitutionem damni cautionisque præstationem exigere queam, arbitrio meo relictum esse existimo.

*Vindicta injuria licita ex regg. justî.*

Consentit Beyer c. 12. Posit. 39.

§. 49. Similiter eum, qui famam nostram lædit, reprimere, omnemque satisfactionem exigere possumus. Nam licet existimatio, cujus fundamentum virtus est, mihi ab alio non possit auferri; sufficit tamen, quod alteri nullum jus injuriæ me afficiendi competat.

*Restitutio læsionis famæ.*

§. 50. Imo ne expectare ictum quidem in statu naturali regulæ justî jubent, sed omnino hostem vim parantem prævenire licebit, si nimirum certus sim, alterum

*De vi præpellendo.*

Cir-

circa vim mihi inferendam occupatum esse. Non autem sentio cum iis, qui eo vindictæ licentiam extendere solent, ut licet nullam causam habeam suspicandi, alterum me occidere velle, eum tamen interficere possim, ne me occidat. a) Non enim omnis, qui nocere potest, nocere etiam vult; non omnis, qui fortior est, statim pro aggressore quoque habendus.

a) Vid. Ziegler p. 190. & Henniges ad Grotium L. 2. c. 1. §. 5. De hac materia fufius differendi infra de bello se offeret occasio.

*Ad Dubia  
circa De-  
fensionem  
respondetur.*

§. 51. Plane autem absona eorum ratio videtur, qui statuunt, primario in hac defensione respiciendum esse, quæ persona prudentior, quæ reipl. utilior, vel in majori periculo vitæ æternæ amittendæ sit. Semper enim manet verum, quod mihi sim proximus. Hinc ne quidem ad fugam arripendam ex regulis justi sum obligatus. Multo minus inquirere teneor: an invasor sit ebrius, an vero sobrius, furiosus, an sanæ mentis? Nam sufficit, quod nulla mihi incumbat obligatio, vel mortem subeundi, vel in perpetua miseria vitam transigendi.

*De Dejen-  
sione Con-  
sanguineo-  
rum licita*

§. 52. Sed quætitur: An etiam pro Uxore, liberis, Patre, Matre, fratre, Sorore eadem vindicta ac defensio mihi sit licita? Quod affirmandum esse nullus dubito. Cur enim regulæ justæ defensionem

nem

nem eorum contra injustum invasorem derogent, qui viscera mea quasi sunt unumque sanguinem mecum gerunt? Et forte dissentientibus recte responderi posset: si tu hic esses, aliter sentiret.

§. 53. Licitam quoque omnino agnosco de Jure Naturæ stricto defensionem contra Parentem & Principem ipsum, qui me innocentem interficere conetur, nullamque distinctionem, quamcunque etiam alias fingere solent, admittendam esse credo.

*Defensio  
contra Pa-  
rentem  
principem  
que licita.*

Consentit Vasqu. Controv. ill. L. 1. c. 18. & G. V. M. in Diff. de sanctitate summi imperii civil. Dissentit Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 1. §. 9. ibique Ziegler p. 197. Hennig. p. 359. Bœcler p. 11. Osiander p. 623. & olim quoque Ill. Thomassius in Jurisprud. div. L. 2. c. 2. §. 88. sqq.

§. 54. Ita res se habet juxta Jus naturæ strictum s. regulas justitiae. Aliter autem procedere nos jubent in plurimis regulæ decori. Quamvis enim invasori nullam faciam injuriam eum interficiendo propter quamcunque læsionem, quam contra me intendit, svadent tamen regulæ decori, ut interdum a vindicta, quam juste alias sumere licet, desistam, ut in favorem aliorum juri meo renunciem, imo & inimicis meis loco injuriarum beneficium. Nam benefaciendo inermes eos reddimus, & ex inimicis facimus amicos, econ-

*Quid jubent re gg.  
Decorii  
circa De-  
fensionem?*

econtra absque omni cæde vincimus inimicos; imo si continent inimicitiam, benefaciendo maxime illos torquebis.

2) *in specie circa vindictam.*

§. 55. Cui accedit, quod nullum vindictæ genus nobilius sit, quam mala contemnere, quibus inimici nos afficiunt, ac nunquam de iis conqueti. In quantum vero vindictam omittere & inimicis non resistere debeas, ipsa ex natura humana dijudicandum est. Sunt enim homines, quibus omnino resistere debemus; sunt alii, quos non resistendo maxime vincimus.

*De injuria sustinenda*

§. 56. Igitur patienter ferenda est levis injuria atque in pluribus ita se gerendum, ut multa non audiamus, quæ tamen audimus, multa non videamus, multa feramus ita, ac si nos non tangant. Ita non aliter evenire potest, quam ut & feliciter & diu vivamus.

*Defensionem contra Principem vetant regg. Decori.*

§. 57. Ita licitum esse quidem asseruimus secundum regulas justæ, se defendere contra Principem injuste nos invadentem; aliter tamen judicandum est juxta regulas decori. Nam stultum est resistere ei, cui resisti non potest; & adhuc stultius; malum aliquod evadere, ut in gravius ruamus. Quid prodesset, Principem interfecisse, suamque vitam conservasse, quam tamen mox postea maximis cum

cum cruciatibus pariter amitteremus? Cui accedit, quod non resistendo meam saltem vitam perdam; si vero resisto, cum vita perdo familiam meam, amicos & denique totam Rempubl. perturbo. Itaque omnino secundum Jus Naturæ in latiori significato acceptum assensum meum iis præbeo, qui omnem defensionem hac in parte illicitam pronunciant.

§. 58. Consentit sane cum his, quæ ha- *Defensio-*  
 ctenus protulimus, Religio Christiana. *nem non*  
 Et si enim nonnulli putent, Deo poenam *prohibet*  
 esse committendam, hæc tamen non sem- *Religio*  
 per statim sequitur; vita autem simul eo *Christiana.*  
 redderetur infecura, & nequissimus quis-  
 que hoc modo fieret inviolabilis, ita ut  
 omnem nequitiam ei exercere liceret.

§. 59. Hæc defensio vocatur modera- *Requisita*  
 men inculpatæ tutelæ; quæ in statu ci- *defensionis*  
 vili in multis aliter se habet, quam in sta- *in statu ci-*  
 tu naturali. Unica tamen regula rem o- *vili.*  
 mnem complecti possumus, nempe hac:  
 Quærendum esse auxilium, damnique re-  
 stitutionem a Magistratu, ubi impetrari  
 potest; sin minus, unicuique compete-  
 re jus quocumque modo contra invaden-  
 tem se defendendi. Sed requiritur talis  
 læsio, cujus reparationem vel satisfactio-  
 nem a Magistratu impetrare nequeo v. g.  
 vitæ; sanitatis, membrorum integritatis;  
 s pu-

puđicitia &c. Nihil aliud autem mihi licet, quam defensio: nam cautionem de non amplius lædendo omnino relinquere debeo arbitrio Magistratus.

*Dubia sol-  
vuntur.*

§. 60. Patet inde, quod periculum debeat esse præsens, ita, ut Magistratus auxilium implorari nequeat. Neque interest, sive aliquis me invadat ex errore, sive ex malitia, sive insanus sit, sive non; neque quæritur: an errans jus habuerit cum interficiendi, cujus mortem intendebat, s. non? Sed jam sufficit in civitate, quod alter nullum jus me invadendi habeat. Nec objici potest, quod alter extra dolum sit. Nam præbet hoc saltem excusationem ratione poenæ, mihi vero meum jus haud aufert.

*Ad alia  
Dubia re-  
spondetur.*

61. Inepte quoque alii requirunt paritatem armorum; cum non tam intendere debeat mortem invadentis, quam propriam meam defensionem: & quamvis regulæ decori etiam in statu civili exigant, ut tentare debeat amicabilem compositionem, ut minas in subsidium vocem, ut aditu intercludam invadentem; non tamen me obligant ad fugam arripiendam, cum hæc fallax remedium sit evadendi.

*Confecta-  
ria qua-  
dam.*

§. 62. Cum itaque in hac cæde nullum committam peccatum, nullam quoque rei-

reipubl. debeo satisfactionem, nullam Ecclesiæ, nullam interfecti hæredibus atque propinquis. Et licet in nonnullis civitatibus certæ pœnæ etiam in hoc casu determinatæ inveniantur; magis tamen superstitioni adscribendæ sunt, quam ut fundamentum in re ipsa habeant, nisi ideo eas defendere velis, quod interdum & actiones non voluntariæ nobis possint imputari.

Conf. Pufendorf. de Jure N. & G. lib. 2. c. 5. §. 15.

§. 63: Eodem modo se res habet in rerum defensione. Denegatur mihi quidem in civitate jus furem occidendi, si mihi supersit tempus implorandi auxilium Magistratus, aut clamore alios excitandi ad auxilium mihi ferendum; extra hoc vero res meas quovis modo conservandi jus mihi competit; & frustra alii distinguunt inter res necessarias & non necessarias. Recte igitur permittitur occisio furis nocturni; nihilque interest, si cum siue sine armis veniat; quod & Leges civiles v. g. Ebræa, Romana & aliarum gentium permiserunt.

*Rerum Defensio furisque occisio licita.*

Vid. Exod. 22. v. 2. Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 1. §. 12. ibique Bœcler & Kulpifits in Colleg. Grot. lit. 9. Add. Mulleri Diss. de occisione furis nocturni.

§. 64. Fluit denique ex jure se ipsum conservandi communis regula: necessitatem

*Necessitas exlex, quia sit*

tatem non habere legem. Est autem necessitas casus, quo quis aut perire, aut aliud damnum irreparabile incurrere, aut aliquid facere debet, quod legibus repugnat. Distinguunt eam quidem in necessitatem honestatis, commoditatis & incolumitatis, item in summam & gravem, nec non inter Leges divinas affirmativas & negativas; sed hæc omnia tanquam fundamento destituta rejicimus nullam aliam necessitatem, quam incolumitatis, agnoscentes.

*Probatum*, §. 65. Hanc regulam in natura ipsa fundam legem non habere. datam esse, nullum est dubium. Nam omnis obligatio omnesque Leges supponunt possibilitatem in agente, quæ verò non, nisi ex natura humana, dijudicari potest: & licet dicas, quod in omni necessitate mihi electio competat, quæ impossibilitatem excludat; cogita tamen, an tibi electio semper competat aut vitam amittendi, aut aliquid faciendi, aut omitterendi, quod secundum naturam facere vel omittere potes.

*Limitatio aliorum ipsam non tollit.* §. 66. Adjiciunt quidem omnes hanc limitationem: nisi medium evadendi a malitia hominis suppeditetur transgressione legis contumeliam Dei intendentis. Attamen hæc nihil aliud involvit, quam hominem melius facere, mortem præ  
CON-



conservatione vitæ in hoc casu eligendo, haud tamen peccare, si conservationem vitæ præferat, sed omnino propter imbecillitatem naturæ humanæ excusationem mereri.

§. 67. Licitum itaque est membrum *Conclusio-  
nes inde il-  
lata.* abscindere pro conservanda vita; cum amissio membri non tantum minus malum sit, quam amissio vitæ, sed certum etiam medium periculum evadendi. Ita probo & reliqua exempla a Pufendorfio de Offic. hom. & civ. lib. 1. c. 5. §. 19. it: in Opere majori Lib. 2. c. 6. & ab Ill. Thomasio in Jurispr. div. L. 2. c. 2. §. 146. sqq. allata, utrum scilicet mactare hominem & carne humana vesci? utrum in casu necessitatis rem alienam furripere? utrum ex scapha aliquos reliquorum servandorum causa ejicere liceat?

Alia exempla adducit Ziegler. Vol. 1. them. 46. n. 48. -64. & Carpz. lib. 6. resp. 94. Grot. L. 2. c. 1. §. 3. sq. de J. B. & P. ibique Ziegl. Beyer in Posit. Jur. nat. c. 12. Kulpis in Colleg. Grot. Ex. 3. §. 5. Joh. Seldenus de Jure Nat. & gent, secundum disciplinam Ebræorum lib. 6. c. 7.

§. 68. Quin imo eorum approbo sententiam, qui putant, quod, cum aliquis *Innocen-  
tem quo  
casu inter-  
ficere li-  
ceat?* ranno jubetur interficere hominem innocentem, licite id facere possit, si nempe nullum medium conservandi innocen-

centem superfit. Est enim saltem causa physica, non moralis, & forsan fieri potest, ut in ipso genere mortis alteri præstet beneficium.

*Legis Rhodiae equitas unde petenda?*

§. 69. Æquitatem legis Rhodiæ de jactu rectius ex regulis decori deducendam esse arbitror, quam ex capite necessitatis. Nam regulæ justæ neminem obligant, ut res suas perdat, alienas conservandi causa; si itaque hoc faciat, alteri præstat officium humanitatis. Nam quod ego opto, ut alii mihi faciant, & ego ipsis præstare teneor. Hinc etiam haud recte inter casus necessitatis refertur frequens inter populos exemplum, quando ob necessitatem alter alterius navibus utitur, item locum occupat in solo periculo situm, si certum sit periculum, ne hostis eum locum invadat; cum eodem modo ex regulis decori id elici debeat.

Plura exempla vid: apud Hertium in diff. de Collisione Legum sect. 2. §. 13. & ad Pufendorf de J. N. & G. lib. 2. c. 6. §. ult.

*Applicatio  
ad alia  
Exempla.*

§. 70. Ex quo fundamento quoque defendi debet destructio ædium tempore incendiæ, concessio itineris ad fundum meum &c.

CAP.

CAR. III.

De

Custodienda æqualitate.

§. I.

**A**D felicem ac diuturnam vitam non sufficit actiones suas instituere juxta regulas honesti; his enim nobis solum paramus felicitatem internam: sed & externa frui cupimus felicitate. Hæc vero maxima ex parte ab aliorum hominum dependet arbitrio, ne nimirum partim alii nos lædant in juri- bus nostris, partim ne ea facere inter- mittant, quæ ad nostram felicitatem & commoditatem spectant: quæ autem frustra ab aliis expectamus, nisi & ipsi re- gulas decori, ac justi observare erga illos incipiamus.

*Media ob-  
tinendi ex-  
ternam fe-  
licitatem.*

§. 2. Si vero regulas tam justi quam de- cori inspicimus, facile deprehendimus non efficacius remedium alios nobis obli- gandi adesse, quam ut omnes tanquam æquales tractemus. Insitum enim est u- nicuique hominum aliquid ambitionis,

*Cur omnes  
ut æquales  
consideran-  
di?*

vicujus efflagitat, ut ab aliis tanquam homo consideretur, illaque officia erga eum observentur, quæ & ipse aliis præstare solet. Hinc enascitur præceptum juris naturalis tam late quam strictè sic dicti: *Alios homines tanquam æque homines tracta.*

*Fundamentum hujus æqualitatis.* §. 3. Hoc Præceptum in natura ipsa fundatum esse, unusquisque facile cognoscet vel ex eo, quod omnes homines iisdem obnoxii sunt imbecillitatibus.

*In quonam ea consistat.* §. 4. Eodem enim modo nascimur atque morimur, eodem victu & amictu sustentamur, iisdem fortunæ mutationibus sumus subjecti, iisdem laboramus morbis, ejusdem prudentiæ earundemque virtutum sumus capaces.

*Prærogativa cur opponi nequeat?* §. 5. Et quamvis unus præ altero vel animi viribus, vel pulchritudine vel opibus & gloria emineat; videmus tamen naturam semper id, quod in uno denegat, alio modo supplere, ita, ut, qui in certa qualitate aliis præcellit, in altera omnibus aliis postponatur. Cui accedit, quod omnia, in quibus eminentiam & prærogativam aliquam præ aliis captamus & affectamus, ita sint comparata, ut infiniti casus dentur, qui facile omnia hæc bona nobis eripere queant. Nam unicus morbus & vires corporis &

& animi potest exhaurire; & quem sapius fortuna tollit in altum, eum mox rursus deserit & deprimit.

§. 6. Adde, quod & miserrimus nobis & nocere & auxilium præstare possit. *Alia hujus rei probatio.* Quod enim majus malum nobis potest contingere, quam si vita adimatur? & hujus tamen privatio ab arbitrio miserimi sæpe hominis dependet. Nam vitam propriam qui contemnit, alterius vitæ dominus est. Non majus bonum nobis potest accidere, quam in præsentî periculo vitam conservare posse, a morbo, quo laboramus, liberatum, a malo aliquo, quod imminet, præmonitum esse; & hæc omnia a miserrimo quopiam nobis possunt præstari.

§. 7. Dum vero hanc æqualitatem ex *Object: contra æqualitatem.* regulis decori deducere nitimur, maxime obstare videtur, quod tamen natura decori ipsa exigit hominum inæqualitatem. Videmus enim, quod in societate maxime æquali & amica cesset decorum; nam quo major est amicitia, eo magis desinit complacentia, quæ fundamentum decori est. Ita in Societate conjugali illæ actiones non habentur pro indecoris, quæ male audiunt, si publice peragantur.

§. 8. Sed recte omnia se habent quoad *Responsio de ad Object.*

S 5

decorum politicum. Non tamen desinit in maxima etiam æqualitate decorum naturale. Ita in Societate conjugali non cessat officiorum humanitatis præstatio, non desinunt regulæ de evitando scandalo tam grato, quam ingrato. Ut taceam, amicitiam & sapientiam non esse in hoc mundo perfectam, nequidem inter Virum & Uxorem, sed ubique se exerere infirmitates. Ex quo sequitur, quod decorum quoque politicum s. contestatio per actiones externas, quod alterum æstimemus, non perfecte cesset etiam in societate amica.

*Specialia  
circa æqua-  
litatem  
Præcepta  
Præceptum  
primum.*

§. 9. Fluunt autem ex hoc Præcepto generali duo præcepta specialia: unum affirmativum, alterum negativum,

*Alterum  
Præceptum.*

§. 10. Affirmativum, quod ad regulas decori spectat solumque officia humanitatis sub se comprehendit, inculcat, ut aliis faciam id quod velim, ut mihi faciant.

§. 11. Negativum vero vult, ne alios lædam in suis juribus; quæ jura iis competunt vel ex pacto mecum inito, vel citra pactum. Priora exigunt, ne aliquem lædam intuitu juris per pactum quæsitum. Posteriora consistunt in hominis existimatione, fama & honore, quo præceptum spectat de vitanda superbia; vel in reliquis bonis, quo pertinet præceptum

ptum, ne aliquem lædam in bonis suis, quæ possidet.

## CAP. IV.

De

# Vitanda superbia.

### §. I.

**P**Ræcipua virtus, qua æqualitatem *Modestia* conservamus nostramque felicitatem *requisita.* promovemus, est illa Modestiae: quæ in eo consistit, quod nemo non solum alteri se præferre, sed & unicuique id relinquere debeat, quod citra pactum ad eum pertinet.

§. 2. Huic opponitur superbia, quæ *Superbitale* est vitium, quo quis plus sibi tribuit, quam aliis. *quid & cur vitanda?* Ab hac ut abstinemus, jubent regulæ & justî, & honesti, & decori, atque unaimiter hoc nobis inculcant Præceptum: *Vita superbiam.*

§. 3. Habet vero hæc suos gradus, ita, *Superbia* ut detur superbia infima, media & summa. *infimi gradus quænam?* Infimam vocamus, quæ prætextus, licet non sufficientes, habet, Hac aliis non nocemus, sed damnum inde resultans nos ipsos tangit. Quid enim est, quod prærogativam nobis præ aliis conce-

cedere possit? Nonne omnia mutationi obnoxia & ita comparata sunt, ut facile brevi momento illis nos orbatos videamus? Indicium igitur præbet hominis, qui neque se neque alios cognoscit, qui in his excellentiam ac præminentiam quærit, in quibus nil nisi miseriam & stultitiam invenit. Quoniam vero non omnem deponimus stultitiam ejusque cognitio requirit hominem maxime sapientem, hinc excusationem meretur inter homines. Hac superbia peccamus tantum contra regulas honesti.

*Superbia  
media in  
quoniam  
consistat.*

§. 4. Media superbia est, quæ nullis plane nititur prætextibus; adeoque hæc ægrotans magis misericordia, quam odio est dignus; & nisi quotidiana experientia doceret, plures hujus vitii dari homines, vix credibile esset dari. Quid enim stultius, quam indignum se reddere aliorum auxilio, quo tamen plane non possumus carere? Quid ineptius, quam alios impares sibi habere, & nullam tamen hujus reddere posse causam? Adhæret autem hoc vitium maxime temperamento melancholico-sanguineo & ad voluptates proclivi.

*Quomodo,  
peccet &  
puniatur.*

§. 5. Hæc superbia pugnat contra regulas decori: nam eo vitio inquinatus cum neminem æstimet, a nemine quoque



que æstimatur; &, cum nemo ad virtutem complacentiæ cogi queat, ex hac quidem superbia nulla oritur belli causa, sed poena tamen hæc illam sequitur, ut nullus hominum ejusmodi superbis opem ferat, sed quisque eorum quoque fugiat societatem.

§. 6. Summa superbia est illa, quæ cum aliorum contemptu est conjuncta estque maxime intolerabilis. Fit vero hic contemptus signis, quæ sunt vel naturalia, vel arbitraria. Ad illa referimus verba & gestus; Verba vel ore proferuntur, vel scribuntur: hæc autem, nempe signa arbitraria ita dicuntur, quia multiplici ratione variant solumque dependent ab arbitrio hominum.

§. 7. Hac superbia omnino lædimus alios, iisque justam belli causam præbemus. Hæc est illud vitium, quo violamus regulas justitiæ adeoque præsupponit idem vitium homines in maximo adhuc stultitiæ gradu versantes, ac qui omni societate humana se reddunt indignos.

§. 8. Approbat hanc summam superbiam atque injuriam sententia Græcorum, qua quidam homines natura statuantur, quos subigere ipsisque libertatem eripere sit licitum. Quæ doctrina directo oppugnat omnes regulas justitiæ, omnem

*Superbia  
summa  
quanam?*

*Es peccat  
contra  
regg. just.*

*Dissentien-  
tium falsa  
Supposita:*

mnemque felicitatem externam turbat. Hoc enim posito & ei opes eripere licet, qui non bene divitias gubernat; & sic soli viri sapientes & prudentes in hoc mundo omnes opes possiderent: quod ad paradoxa Stoicorum prope accedit, aut cum Hobbesii doctrina convenit, qui statum naturalem supponens docet, licitum esse unicuique facere, quæ velit ac possit. Haud quidem negandum, dari homines magis ad serviendum, quam imperandum natos; nullum tamen ideo jus alteri in eos competit.

*Dissenti-  
unt quoque  
Hispani.*

§. 9. Ut ut absurda hæc Græcorum sit Philosophia; nihilominus ipsa hodiernum ad causas belli justificandas allegatur. Ita non erubescunt Hispani bellum Indis indictum hanc ob causam licitum pronunciare, quia Indi essent servi natura ipsa quos subigere natura jubeat.

*Humilitas  
non differt  
a Modestia*

§. 10. Sunt, qui a Virtute Modestæ, quam Jus Naturæ commendat, separant humilitatem, tanquam Virtutem Christianam, hancque statuunt differentiam, quod illa in eo saltem consistat, ut omnes tanquam æquales considerem; hæc vero requirit, ut me inferiorem omnibus aliis etiam miserrimis censeam. Ast cavendum, ne veram humilitatem cum fucata

con-

confundamus, eaque sub prætextu pietatis ad persequendos alios abutamur. Nam vera humilitas a Virtute modestiæ haud differt. Jubeor enim, quantum mihi constat, in S. Scriptura tantum Proximum meum diligere sicut me ipsum; quod autem amorem proximi amori erga me ipsum præferre debeam, neque vola neque vestigium exstat in S. Scriptura.

§. 11. Humilitas vero fucata est, quæ *Humilitas nomen quidem servi servorum gerit & præ se fert, abnegationem sui ipsius prædicat & exclamat, mundi contemptum simulat, pietatem ostentat, vestimentis vilibus ingreditur; his autem omnibus nil, quam laudem eximiæ sanctitatis, affectat.* *tis falsæ criteria.*

§. 12. Ab hac virtute vel potius vitio *Ipsius effectus.* caveto. Hæc enim populum sub jugum mittit, Principes imperio exuit nihilque aliud efficit, quam ut hypocritas falsosque generet ac producat prophetas. Hæc est, quæ hominem moraliter reddit incorrigibilem, ita, ut sibi persuadat, se esse virtutibus maxime conspicuum, omniaque media aliorum rejiciat tanquam impia, vanâ ac mundum spirantem.

rantia: imo omnes regulas honesti, decori & justii violat.

*Pugnat  
contra ju-  
stum, deco-  
rum bone-  
stumque.*

§. 13. Regulas honesti lædit, dum non ad veram emendationem atque cognitionem suæ miseræ ducit, sed potius ambitionem subtilem gignit. Contra decorum peccat, quod eo nos inclinât, ut alios spernamus tanquam pessimos & eorum societatem subterfugiamus, tanquam hominum profanorum. Hujus farinæ homines, cum nihil meriti pietatisque eis insit, propter quod æstimentur, pietatem in usurpatione consistere somniant, quasi sola persuasio de se ipso aliquem pium reddat. Regulas justii eatenus transiliunt, quatenus tales hypocritæ alios eorum sputa haud lingentes persequuntur, fama, qua in republ. gaudent, privare annituntur, ac verbis & factis ut pessimos homines depingunt.

*Cur nemini  
preferre  
nos debeamus.*

§. 14. Jubet itaque saltem Jus naturæ, ut omnes consideremus tanquam æquales, adeoque neminem contemptui habeamus; & quamvis videamus, alios ad hoc vel illud vitium inclinare, a quo nos abhorremus, alios in hoc vel illo delicto deprehendamus, quod detestamur, ut tamen eos hanc ob causam non aspernemur, nec nos extollamus, semper cogitantes; quod semina omnium trium  
pas-

passionum possideamus, & quod facile passio nostra infima ita irritari queat, talia ut commitamus, quæ alio tempore nobis videbantur plane impossibilia.

## CAPUT V.

De

## Non lædendis aliis.

§. 1.

**P**arum prodesset alios non contem-  
nere, nisi simul ab eorum læsione  
abstineremus: parum conducet  
ad felicitatem & conservationem, ab aliis  
non contemni, nisi ab omni simul læsi-  
one reliquorum juriùm simus tuti.

*Intermissio  
læsionis a-  
liorum est  
utilis.*

§. 2. Nullum est præceptum in jure  
naturæ lato & stricto, quod magis ne-  
cessarium, & tamen simul facilius obser-  
vatu est, quam ut neminem lædamus.  
Facile est, quia consistit in omittendo  
atque abstinendo: necessarium est, quia  
ab eo maxima pars felicitatis humani  
generis dependet. Quis enim alias vi-  
vere vellet inter homines, qui sua natu-  
ra magis ad nocendum & lædendum, u-  
no verbo magis ad bellum, quam ad pa-  
cem inclinant?

*Est & faci-  
lis ac ne-  
cessaria.*

T

§. 3.

*Causa o-  
mittenda  
læsionis a-  
liorum.*

§. 3 Ratio hujus præcepti haud longe est petenda. Nam fuit ex præcepto illo generali: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Connexionem quære in principio juris naturæ ipso. Nam si cupis vivere feliciter atque diu, hoc haud es consecuturus, nisi abstinéas a læsione. Quis enim sibi promittere posset vitam felicem, tranquillam ac diurnam in perpetua aliorum læsione? Nam qui lædit alios, metum in iis excitat: metus hic efficit, ut media conquirant resistendi eoque sine plures se conjungant; pluribus vero resistere difficile erit. Imo idem hic metus tot media totque cautelas suggeret ac suppeditabit, ut plane impossibile sit manibus eorum evadere.

*Funda-  
mentum  
præcepti de  
non læden-  
dis aliis.*

§. 4. Fluit autem Præceptum de non lædendis aliis ex regulis justii. Læsiō enim præsupponit jus alteri competens; omne vero jus oritur ex regulis justii. Quod autem injuste facias, dum alios lædis, propria tua natura te docet. Nam si lædaris ab aliis, injustitiæ eos accusas, injuriam tibi illatam fuisse clamas, latrones, raptores appellas. Quod igitur respectu tui injustum tibi esse videtur, id eodem modo & intuitu aliorum ita se habere facile potes concipere.

§. 5.

§. 5. Sed quid si alios læseris? Hic a- *Alterum*  
 liud statim regulæ justî dicitant præce- *Præceptum*  
 ptum, nempe hoc: damnum datum re- *de restitu-*  
 sarcendum esse. Inutile enim esset præ- *tionis da-*  
 ceptum, quo læsio prohibetur, si da- *mni.*  
 mnum patienter a læso esset perferen-  
 dum, atque lædens fructibus suæ inju-  
 riæ quiete frui posset.

§. 6. Non multo etiam ad hujus præce- *Ratio hu-*  
 pti veritatem demonstrandam opus est *jus Præce-*  
 ratiocinio. Nam tibi ipsa si inferatur *pti.*  
 damnum, ejus restitutionem urges, rem  
 ipsam vindicas, officium in statu civili im-  
 ploras Magistratus, & in statu naturali ar-  
 ripis arma ad vindicandam rem ablatam  
 injuriamque illatam. Quod itaque iterum  
 tibi competere autumas, ad quod alterum  
 erga te obligatum tenes, id pariter te fa-  
 cere oportere ipse facile intelligis.

§. 7. Comprehendimus autem sub læ- *Læsio quidē*  
 sione omnem turbationem ac violatio- *et conse-*  
 nem jurium aliis competentium, sive con- *ctaria inde*  
 cernant jus vitæ, corporis bonorum atque  
 famæ &c. Non igitur vitam adimere de-  
 bes aliis quia & tuam conservare inten-  
 dis; non vulnerare alios, quia & ab aliis  
 haud vulnerari cupis; non privare  
 alios libertate sua, quia tua liber-  
 tate nihil habes carius, non con-  
 tumelia afficere homines, quia propria

fama honorque maxime tibi cordi est; non furtum committere, quia & tuorum bonorum!conservationi omni modo es intentus; non fidem datam promissamque violare, quia, ut alii erga te pacta servent, exoptas.

*Jura nobis  
competen-  
tia que-  
nam?*

§ 8. Sub vocabulo jurium intelligimus omnia ea, quæ ex regulis justii nobis competunt atque ab aliis exigi possunt, sive propter pactum nobiscum initum, sive quia jamjam ea ante omnia pacta habuimus.

*Omne Da-  
num illa-  
tum resti-  
tuendum.*

§ 9. Ratione damni nihil inter est, si-ve sit damnum positivum, sive privativum. Illud est, si alicui aliquid aufero, quod ad eum jam pertinet v. g. si furtum committo; hoc vero, quando lucrum alicui intercipitur, quod jam juste sperare poterat v. g. hæreditatem. Neque inter est, an lædens lucrum ex damno illato sentiat, an non? utrum damnum in re ipsa, vel per consequentiam sit illatum, sive an illatio facta sit dolo vel ex præresi & culpa, vel casu fortuito, sive consistat in facto commissionis vel omissionis, sive alter a me læsus sit immediate, aut mediantibus aliis hominibus, sive aliis causis naturalibus, sive solus sit, aut ut causa socia, eaque vel principalis, vel minus principalis, vel æque principalis.

§. 10.



§. 10. Nam quod vitam attinet, ac integritatem membrorum, nullum dubium est, eum me lædere, qui membra mutilando vitam mihi reddit molestissimam; imo pari passu ambulant & qui vitam adimit, & qui eam miseram reddit atque molestat.

*Membro-  
rum muti-  
latio qualis  
sit læsio?*

§. 11. Diximus, quod damnum etiam detur in bonis nostris: sub quibus illa comprehendimus, quæ vel in patrimonio sunt, vel sperantur v. g. hæreditas.

*De Damna  
in Bonis  
nostris.*

§. 12. Res sunt vel corporales vel incorporales: illæ, quæ incurrunt in sensus, sive, secundum Philosophiam Stoicam, quæ tangi possunt; hæ, quæ in sensus non incurrunt.

*Res corpo-  
rales que-  
nam?*

§. 13. Res corporales sunt vel mobiles, vel immobiles; item vel necessariae, vel utiles, vel voluptuariae.

*Rerum  
corporali-  
um Subdi-  
visio.*

§. 14. De quibus omnibus notandum, quod earum violatio sit prohibita, licet nullum plane intercesserit pactum; & hinc si damnum aliquis in his rebus mihi intulerit, de jure naturæ stricte dicto ad ejus resarcitionem tenetur.

*Omne in  
his datum  
damnum  
restituendum.*

§. 15. Circa damnum, quod per consequentiam datur, observandum, quod tunc saltem illius æstimatio præstari debet, atque exigi possit, quando certo

*Damni per  
consequen-  
tiam dati  
restitutio.*

rem hanc alias fuisset consecuturus. Ita si quis servum meum hæredem scripserit, huncque aliquis occiderit, ante mortem testatoris æstimationem hæreditatis petere nequeo, dum illa nondum fuit certa, sed facile testator adhuc voluntatem suam mutare potuisset.

*De damno  
doli & ne-  
gligentia  
resarcienda.*

§. 16. Quod damnum dolo s. ex proz-  
resi datum resarciri debeat, recta ratio di-  
ctitat; dolus enim neque mihi prodesse,  
neque alteri nocere debet. Quod eodem  
modo se habet ratione negligentia. Nam  
quo ex fundamento imputare vellem al-  
teri meam negligentiam? æquius sane est,  
ut mihi, quam ut alteri noceat.

*Omne da-  
mnum cul-  
pa datum  
resarcien-  
dum.*

§. 17. Negligentia, qua alteri nocemus,  
etiam Culpa vocatur. Est enim culpa o-  
missio debitæ diligentia. Sicut vero di-  
ligentia suos habet gradus; ita & negli-  
gentia. Sed ad hos gradus jus naturæ non  
respicit, cum resarcitionem omnis damni  
quacunque ex negligentia dati exigit.

Parum igitur curamus triplices culparum gra-  
dus; Juris Roman, Confer. III. Thomasi Disp-  
de culparum præstatione.

*De damno  
casuali.*

§. 18. Utrum damnum casu datum re-  
sarcendum, an vero in Jure naturæ hic  
locum habeat regula: damnum sentire  
dominum? valde ambigunt DD. juris  
naturæ. Communi fere ore decent, ca-  
suale

suale damnum non reparandum esse; sed & hujus restitutionem exigit Ill. Thomasius in Disp. de Larva legis Aquiliæ detracta. Mihi videtur subtili quidem jure dominum exigere posse restitutionem damni casu dati, ad tranquillitatem autem ac felicitatem humani generis sufficere damni dolo, aut quacunque negligentia dati resarcitionem; imo subtilem inquisitionem: an domini culpa accesserit, nec ne? magis occasionem præbere litibus, quam ut utilitatem promoveat.

§. 19. Quodsi damnum a pluribus datum fuerit, primario videndum: an ab omnibus simul, vel successive sit datum. Si successive & actus individui sint, puta incendii excitatio, quilibet in solidum tenetur, nullo respectu habito, an conspiraverint, nec ne. Si vero actus dividui sint v. g. diversæ vulnerationes, quæ invicem possunt secerni, quilibet in tantum saltem tenetur, quantum nocuit, nisi in integrum conspiraverint damnum.

*De damno a pluribus illato.*

§. 20. Si re ipsa omnes non concurrerint, sed unus jusserit sive consilium dederit, alter patraverit; omnino unusquisque horum tenetur ad damnum in solidum restituendum, si citra ejus jussum damnum alias plane non fuisset illatum,

*De damni causa moralis & physica.*

*Homicida  
in quan-  
tum oblige-  
tur?*

§. 21. Homicida itaque tenetur impensas in Medicos factas solvere, & pro ætate, defuncti conjugii, liberis & propinquis alimenta subministrare. Vita enim ipsa æstimari haud potest, neque a propinquis ad illam, sed ad id, quod interest, respicitur. Lucrum autem futurum, quod forsitan occisus facere potuisset, tanquam incertum quid, peti haud potest.

*Obligatio  
ex membri  
mutilatio-  
ne.*

§. 22. Idem tenendum est circa membrorum mutilationem: impensæ enim in vulneris curationem factæ omnino sunt restituendæ, imo & id, quod mutilatus jam minus lucrari potest, in considerationem veniendi debet: Membrum autem mutilatum ipsum non potest æstimari, damni itaque saltem, quod exinde sentit, ratio habenda.

*Adulter ad  
quid tenetur?*

§. 23. Adulter, qui prolem in alienam familiam misit, agrumque alienum invito altero coluit, ad alimenta præstanda partui suo tenetur. Quod vero liberis legitimis ratione successionis ad damnum refarciendum teneatur, uti putat Pufendorfius, ut & Grotius, ex Jure naturæ, tam late quam stricte sic dicto, haud potest deduci. Certissimum enim est, quod legitima viventis plane non detur, & quamvis post mortem debeatur liberis, est tamen id saltem juris positivi & aliquid plane

ne adhuc incertum. Cui accedit, quod damnum non sentiant ab adultero, sed a voluntate Parentum.

Vid. Pufend. in J. N. & G. Lib. 3. c. 1. §. 9. & Grotius de J. B. & P. Lib. 2. c. 17. §. 15.

§. 24. Qui Virginem vitiauit, ei quoque ad damnum, quod exinde sentit, reparandum obligatus est, hac tamen cum consideratione: si voluit & consensit, nihil alter restituit; damnum enim, quod mea culpa sentio, non meretur nomen damni. Si vero vi aut fraude ad libidinem fuerit rapta, tunc restituere debet, quanti minoris jam defloratæ valet spes nuptiarum. Hoc autem fit vel dotem præstando, vel nubendo. Si sub spe matrimonii illam ad libidinem pellexit, tum non amplius opus habet damni restitutionem quærere, cum jam eo ipso in statu naturali ejus Uxor sit facta.

Vid. Pufend. c. 1. §. 10.

§. 25. Damnum bonis meis illatum auferendo, rapiendo, deteriorando fur & raptor simili modo restituere tenetur; quidem si res ablata adhuc extet, rem ipsam cum incremento naturali, fructibus omnique probabili cessante lucro: si non extet, ad ejus omnisque lucris cessantis æstimationem. Bonæ fidei autem possessor ad fructus, quos saltem percepit, vel

*Virginem vitians quatenus obligetur?*

*Obligatio furis, raptoris, bonæ fidei Possessoris.*

T 5

cum

cum emolumento consumsit, restituendum teneri videtur. Haud enim ex factō aliquo illicito obligatus est, sed æquitas tantum ab eo exigit, ne cum alterius damno locupletetur.

*De Restitutione in duplum, tripulum, quadruplum.* §. 26. Restitutionem in duplum, tripulum & quadruplum, quam exigunt Leges Romanæ, ignorat jus naturæ. Non tamen cum iis sentio, qui contendunt, restitutionem hanc æquitati naturali plane repugnare; cum omnino Romani id introducere potuerint; quamvis non inficiandum sit, multa adesse, quæ jure in legibus Rom. possunt desiderari.

*De quasi delictis.* §. 27. Philosophia, quam Jurisprudentia Rom. circa quasi delicta habet, haud est accurata. Nam propter delictum aliorum aliquem coërcere eumque ad damni restitutionem obligare, omni fundamento caret. Omnes igitur actiones, quæ ex quasi delictis dari solent, non propter culpam alienam, sed propriam oriuntur.

*De damno per injurias illato.* §. 28. Quod damnum per injurias illatum refarciendum sit, extra dubium esse puto. Hinc recte etiam LL. positivæ multa suppeditarunt remedia, quæ sine causa tanquam injusta ab aliis rejciuntur. Licet enim Jus naturæ ignoret actionem æstimatoriam, nihilque jubeat de retorquen-

quendi licentia, hæc tamen ei non repugnant, dummodo, uti decet, adhibeantur. Tota itaque quæstio huc redit: An secundum Jus naturæ licitum sit, injurias sibi illatas vindicare?

§. 29. Secundum regulas justii nullum erit dubium; sed regulæ honesti jubent, ut passiones supprimam, omnique modo tam iræ, quam vindictæ cupiditati resistam. Exigunt quoque regulæ decori, ut juribus meis renunciem quandoque, ut multa patienter feram, plura dissimulem, a vindicta quoque licita & justa, quantum ratio admittit, abstineam, ita, ut actiones injuriarum plane juri naturæ late sic dicto repugnare videantur. Accedit, quod facta infecta fieri nequeant, quod fama naturalis, quæ vita nititur honesta, omnibus contumeliis sit superior.

*Actiones injuriarum repugnant J. N. late dicto.*

§. 30. Quinimo jubent regulæ decori, ut non solum juri meo, quantum ratio admittit, renunciem, sed etiam stultitiæ aliorum me accomodem. Tolle autem famam externam opinione aliorum suffultam, & interna parum tibi proderit in Societate humana; & quam innocens quoque sis, semper tamen aliquid hæret. Non itaque statim quidem ad actionem injuriarum provolandum; si vero alter necquicquam pœniteat, tunc re-

*Actio injuriarum quando in-situenda?*

mediis Legum uti me posse, regulæ honesti, decori & justitiam dicitant: atque cum his consentit quoque S. Scriptura.

Vid. Beyer in Posit. ff. p. m. 605. sqq.

*Cur damnum datum a furioso ac infante restituendum?*

§. 31. Quis damnum dederit, hic plane non quæritur, sed loquitur Jus Naturæ generaliter: damnum datum resarcendum esse; atque hinc etiam a furioso aut infante. Licet enim excipere velis, neque doli neque culpæ esse capaces; sufficit tamen, capaces esse, ut damnum dare possint, nullaque ratio est, quæ svadere possit, ut furor & infantia non tibi, sed alteri nocere debeat. Cui accedit, quod ad damni restitutionem sufficiat, neque infantem neque furiosum ullum jus habere damni alteri dandi; adeoque dum nullum jus habent, ad damni a se dati restitutionem omnino obligantur. Præterea nemo in dubium vocare poterit, me furioso atque infanti resistendi meamque rem defendendi jus habere. Cum itaque tales repellere possim, quidni etiam petere possim ex bonis eorum damni dati restitutionem?

*Dispositio Juris civilis ratione damni ab infante datum.*

§. 32. Recedit quidem ab hac æquitate naturali jus civile a) ac infantes a damni restitutione liberat, nisi pubertati sint proximi dolique capaces; sequitur tamen Jus Saxon. priscum b) æquitatem Juris



Juris naturalis. Et quamvis Lyserus c) aliique pro æquitate Juris Romani pronuntiare velint; præferenda tamen pro Jure Sax. est Ill. Thomasi sententia, quam doctissime adstruxit in Diff. de larva Legis Aquilia thesi 9.

a) Vid. Carpz. in Prax. crim. P. 3. qv. 143, n. 2.

b) Landr. l. 2. art. 65.

c) In Collat. Jur. Saxon. & Rom. th. 45.

§. 33. Utrum actiones noxales & de De Actioni-  
pauperie naturalis, an vero Juris civilis bus noxali-  
sint, disceptant Doctores. Ex naturali bus & de  
æquitate eas deducit Pufend. de J. N. & panperie.  
G. Lib. 3. c. 1. §. 6. Schilterus Ex. ad ff.  
19. th. 1. sq. aliique. Secus sentit Gro-  
tius L. 2. c. 17. §. 21. nonnullique fuorum  
Commentatorum. Lex divina forensis  
Exod. 21. v. 35. voluit, damnum ex æquo  
ad utriusque animantis dominum perti-  
nere. Apud Græcos noxæ traditio sim-  
pliciter exigebatur a) Jure Saxon. b) aut  
animal statim abigi debet, aut damnum  
simpliciter resarciri

a) Petrus de LL. Attic. L. 3. t. 2.

b) Landr. l. 2. art. 40.

§. 34. Jus Romanum hac in parte re-  
gulis justi conveniens esse, nullus dubi- Circa eas  
to. Si enim animal in libertate naturali Jus Rom.  
constitutum esset, ab eo ipso restitutio- approban-  
nem damni exigere possem. Quia vero sur.  
in

in alterius est dominio, illud mihi obstat. Proinde quia dominus animal habet omneque commodum ex eo sentit, justum & æquum est, ut mihi aut damnum resarciat, aut animal noxæ tradat.

*Actio ratione damni-dati a ser-vo & subditis.*

§. 35. Servos quod attinet, hi naturaliter obligati sunt ad damnum a se datum reparandum; nam doli & culpæ capaces sunt; Jure naturæ itaque in eos ipsos datur actio. Cum autem LL. Rom. eosdem in domini potestate constituent, ita, ut servi ipsi propter alterius dominium læso satisfacere nequeant; ideo justum est, ut reparationem a domino exigam, cui libertas relinquatur: Utrum servos noxæ tradere velit, an damnum ab iis datum restituere. Quod inter gentes simili jure respectu subditorum locum habere, quotidiana testatur experientia, ita ut, si subditi damnum alteri cuidam dederint, deditio eorum exigatur. Cujus exemplum habuimus in rege Sveciæ ante aliquot annos deditioem Comitis Austriaci ab Imperatore in simili casu exigente.

Vid. Menck, Diff. de æquitatē LL. Romanarum circa nox: dedit. animal.

*Damnum a defuncto illatum ab heredibus restitution-dum.*

§. 36. Cæterum notandum, quod & hæredes lædentis ex regulis justī ad damni restitutionem sint obligati, quatenus scil. bona defuncti ad ejus reparationem sufficiunt; nam succedunt in omnia bona

na

na defuncti. Objiciat quis: quod ex delicto alterius nemo ulla unquam pœna affici debeat. Ast diversa prorsus est ratio actionis, quæ ex delicto oritur, diversa autem illius, in qua modo ago ad damni reparationem. Aliter tamen iterum sentit Jus Rom. Utrum Jus Canon. cum Jure naturæ consentiat, excutere non est hujus loci.

§. 37. Eandem damni restitutionem locum habere, si in re nostra aliquid suspensum aut positum sit, cujus casus nocuit, item si aliquid fractum, effusum, incensum sit, si dolus aut culpa nostra concurrat, ne quidem opus est admonere.

*Dammum casuale concurrente dolo vel culpa restituendum.*

Confer ad hoc caput. Grotius de Jur. B. & P. L. 2. c. 17. Pufend. in Jurē N. & G. L. 3. c. 1. & III. Thomafius in Jurisprud. divoitem in fundament. J. N. & G. L. 2. c. 5.

## CAPUT VI.

De

# De promiscuis Officiis

Humanitatis.

§. 1.

**V**idimus hætenus, quod omnes obligationes singulorum erga singulos sint

*De Obligationibus ex regg. Decori.*

sint vel generales vel speciales. Hæ oriuntur ex pactis; illæ vero in genere consistunt in eo, ne alios lædamus, sed contra ut operam demus aliorum utilitati pro viribus promovendæ. Prius præceptum fuit ex regulis justis: posterius vero, ex regulis decori; & de hoc nobis jamjam erit agendum.

*Præceptum generale regularum Decori.*

*Fundamentum obligationis ex decoro.*

§. 2. Jubent igitur regulæ decori, ut alterius hominis utilitatem, quantum commode possumus, promoveamus.

§. 3. Rationem hujus obligationis naturalem esse i. e. in natura ipsa fundatam, maximeque ad felicitatem nostram spectare, unicuique facile innotescit. Non enim possumus feliciter vivere sine aliis hominibus: & licet alia animalia ad officia nobis præstanda instrui & assvescieri possint, nihilominus tamen vita hominis futura esset miserrima. Verissimum igitur manet, quod nulla creatura sit, quæ homini magis prodesse possit, quam homo ipse.

*Homo indigens aliorum auxilio ac miserrimus est.*

§. 4. Imo nulla etiam datur creatura, quæ ad felicitatem atque conservationem sui status magis aliorum indiget auxilio ac sine hac miserabilius vitam transigit suam, quam homo. Non datur creatura majoribus incommodis & morbis exposita, quam homo. Non est creatura, quæ a pri-

primis vitæ incunabulis ineptior stupi-  
diorque est, quam homo. Non inveni-  
tur animal, quod magis amat ac quæ-  
sit id; quod sibi noxium; imò magis  
fugit, quod sibi bonum & utile est, quam  
homo. Reliquæ creaturæ non ratioci-  
nantur; non Syllogismos nectunt, parum  
curant astra, ignorant definitionem boni  
malique, ac omnibus tamen suis actioni-  
bus satis superque nos docent, se haud  
ignorare, quid sibi bonum & malum sit.  
Non gaudent voluntate, & tamen se-  
cundum instinctum naturalem sine omni  
norma s. lege faciunt ad conservationem  
suam spectantia.

§. 5. Verum licet homo homini valde *Motiva ad*  
utilis; imò & necessarius sit; magis ta- *officia Hu-*  
men ad nocendum, quam ad juvandum *manitatis*  
inclinat. Certe nullum aliud remedium *prestanda.*  
superest alios hominès sibi obligandi;  
quam benefaciendo. Manus manum la-  
vat: Oscitante uno oscitat & alter; hæc  
sæpe in ore habemus Proverbia: Præsta-  
igitur officia humanitatis omnibus homi-  
nibus; cujuscunque sint status, conditi-  
onis, religionis & sortis. Omnes enim  
& tibi prodesse & nocere possunt.

§. 6. Eo ipso autem dum diximus, hæc *Hæc Officia*  
officia fluere ex regulis decori; simul pa- *obligant*  
tet, quod obligationem internam saltem *saltem in-*  
*terite.*  
in

in nobis pariant i. e. quod nulla alia obligatio adsit, quam propria nostra felicitas, propria nostra utilitas, verbo: ut commode vitam nostram transigere possimus, quod sine amicitia aliorum, uti diximus, fieri nequit.

*Ergo ad ea cogi nemo potest.*

§. 7. Itaque si de propria mea felicitate sollicitus esse nolo, nec hujus intuitu aliis inservire studeo, nemo ad officia humanitatis præstanda me cogere potest: quare in statu naturali nulla est justa causa belli, neque in statu civili datur imploratio Magistratus.

*In casu tamen necessitatis vi ex-torqueri possunt.*

§. 8. Quod præceptum vero suam limitationem accipit a necessitate. Ita, si in naturali statu aliquis tali in necessitate esset constitutus, ut absque illo officio humanitatis, quod ab altero postulat, sit interiturus, neque id ab alio aliquo consequi possit, isque, abs quo petit, non in pari necessitate sit constitutus, omnino, sine læsione regularum justitiæ, vi ab altero id exigere & eripere potest. Exemplum cape a duobus per naufragium in Insulam desertam ejectis, ubi tamen alter res ad vitam suam sociique sustentandam abunde sufficientes secum sumserit, aut in Insula invenerit & sine altero occupaverit.

§. 9.

§. 9. In statu civili nullum dubium est, *In Statu ci-*  
 quin Princeps, cui salus ac felicitas suæ *vili Prin-*  
 reip. incumbit cordique esse debet, lege *ceps illa*  
 efficere possit, ut subditi necessario offi *precipere*  
 cia humanitatis præstare debeant, quate- *potest.*  
 nus reipubl. utile ac necessarium esse judi-  
 cat. Ita injungere potest eleemosyna-  
 rum præstationem, concessionem actio-  
 nis ad exhibendum &c. Ubi autem simul  
 notandum, quod tunc statim desinant esse  
 officia humanitatis; quia id, quod antea  
 humanitatis erat, jam omni jure ab altero  
 postulari potest.

Vid. Pufend. in Jur. N. & G. lib. 3. §. 3. sqq. ibi  
 que Hertius.

§. 10. Exhibentur officia humanitatis *Quot mo-*  
 duplici modo, vel indefinite, vel defi- *dis præsten-*  
 nite. *tur.*

§. 11. Indefinite præstantur, quando a *Primus mo-*  
 liquis quoad corpus & animam ita aptum *us.*  
 se reddere conatur, ut ea officia, quibus  
 utilitas ac commodum humani generis  
 promovetur, aliis exihere possit. Hæc  
 vero officia plate ad hoc caput non spe-  
 ctant, sed ex regulis honesti deducuntur.

§. 12. Definite aliis inservimus iterum *Alter mo-*  
 duplici modo, vel absque detrimento & *us ejusque*  
 periculo nostro, quo spectant omnes res, *Subdivisio.*  
 quæ innoxie utilitatis sunt & vocantur  
 officia humanitatis; vel ita, ut ea, quæ  
 aliis,

aliis exhibemus, officia cum molestia nostra & incommodo sint conjuncta, & accipiunt nomen beneficiorum.

*De Principio regularum Decori mutuisque officiis.*

§. 13. Quoniam vero hæc officia ex regulis decori fluere demonstravimus, & principium harum est: quod vis, ut alii tibi faciant, tu ipsis facies; facile concipimus, ad quæ officia aliis præstanda teneamus. Officia, quæ ab aliis exigere solemus, vel concernunt animam, vel corpus nostrum.

*Officia aliis præstanda ratione Animæ.*

§. 14. Quoad animam itaque dicantur regulæ decori, ut alios ex præjudiciis eripiamus atque viam demonstramus recte ratiocinandi, verum a falso, bonum a malo separandi. Ita non majus officium reipubl. suæ præstare potuisset Socrates, quam quod ostenderit juvenibus incautis, falsas ratiocinationes ac superficiariam eruditionem Sophistarum, quæ iis pro maxima sapientia venditabatur.

*Reliqua officia ex decoratione Animæ.*

§. 15. Porro ut ostendamus aliis, in quibus degant miseria, quam infeliciter vivant secundum suas passiones; qua via pervenire possint ad cognitionem sui & aliorum, in quo consistat vera sapientia, quæ media adhiberi debeant adipiscendi veram felicitatem, quæ cautelæ sint adhibendæ evadendi insidias inimicorum, quomodo iis sit resistendum. Hinc etiam



iam est, quod **U** supra diximus, sapientem opus habere potentia & virtute; potentiam vero ipsam in eo consistere, ut aliis prodesse & nocere possit; prodesse posse sapientem demonstrando aliis stultitiam, nocere autem, si eos derelinquat atque consilia sua iis denegat.

§. 16. Respectu Corporis aliis inservimus offerendo ac præstando ea, quæ eorum felicitatem externam juvant. **H**umanitatis igitur officia omnibus indigentibus sincere atque hilari animo præstare, suppressos defendere neminemque in adversa fortuna constitutum, quatenus possumus, deserere debemus, imo & cito dare omnibus ea, quibus opus habent.

*Officia erga alios ratione corporis, fortuna &c.*

§. 17. Applicat se sapiens genio omnium. Pecunia utitur tanquam magnete alliciendi alios. Non patitur, ut quis ei opem ferat gratis; neminem inanantibus promissis lactat. Scit se multos habere inimicos, hos ut vincat, nullum remedium aptius esse deprehendit, quam iis benefacere.

*Sapiens se quomodo gerat in officiis Beneficiisque.*

§. 18. Si alterius subjecti sumus imperio, opera danda, ut plus præstemus, quam jura ipsa domino a nobis exposcere concedunt. Si imperamus aliis, cogi-

*Imperanti-um ac subditorum officia ex decore.*

tandum, homines esse, licet servi sint, licet iis saltem utamur ex indigentia. Præmia itaque iis dabis, qui generosi sunt ac duritie facile corrumpuntur, pœnas merentibus remittes, ut in futurum sapere incipiant.

*Officia quo-  
ad Divitias  
ac Bonas.*

§ 19. Si Deus bona nobis dedit, his etiam aliis inserviendum, aliis locanda, aliis gratis utenda, aliis plane donanda sunt. Falsum enim est, si tibi imaginariis, acquiri, tantum divitias aut permutando, aut accipiendo. Nam nemo sapiens dives fit sine liberalitate & donis. Hinc proverbium: wer viel gewinnen will, muß viel wagen; quod fit in liberalitate. Cui accedit, quod, sicut is, qui amari & honorare debet alios: ita is, qui bona ab aliis expectat, ipsos donis sibi antea devincire debet. Imo & emendum est ab aliis, quamvis res emendæ tibi non admodum utiles & superflue sint. Nam licet non indigeas his rebus, venditor tamen indiget tua pecunia. Quin imo nemo magis prodest suæ reipublicæ, quam qui secundum conditionem & statum suum largiter & liberaliter vivit: sic enim expedit variis hominibus laborantibus,

*Grata &  
ingrata  
quomodo  
exhibenda.*

§ 20. Serena fronte animoque sincero exhibenda sunt cuncta, quæ aliis grata fore novimus; ingrata plane non sunt præstanda, nisi officii ratio id exigat; tunc

tunc vero hoc fieri debet sine testificatione gaudii.

§. 21. Si alii in juribus tuis te læserint, renunciandum sæpius vindictæ, quantum id ratio admittit. Nulla enim vindicta est gravior, quam patienter ferre injurias ac læsiones aliorum; imo nullum remedium promptius atque efficacius est ad vincendum inimicos, quam aliquid a juribus nostris remittere, quibus tamen cum effectu uti possumus.

Vid. Ill. Thomafius in der Sitten-Lehre P. 2. c. 5. n. 59. sq.

§. 22. Abstinentum ab omni scandalo *A scandalo grato: quo spectant adulationes, donationes intempestivæ, omnesque voluptatis illecebræ, quibus vel avari, vel ambitiosi, vel voluptuosi ad interitum suum ducuntur: quin etiam omnia dicta & facta omittenda sunt, quibus alii ad peccatum induci possunt.* *grato quomodo abstinentum.*

§. 23. Nihil quoque nos facere oportet, quod aliis sibi ipsis nocendi occasionem atque facultatem potest subministrare. *Vitanda aliis nocendi occasio.*

§. 24. Eo magis hinc cavendum porro a scandalo ingrato, quo alterius affectus cum indignatione conjuncti excitari possunt. Viam enim sternunt artibus nocendi clandestinis injuriamque vindicandi. Modus hoc committendi est infini-

tus, adeo, ut nullum plane detur humanæ vitæ negotium, quod non conjunctum sit cum occasione aliis nocendi.

§. 25. Ex præmissis his hæcenus principiis jam facile etiam decidi possunt variæ controversiæ inter gentes agitatæ v. g. quæstio de transitu per nostrum territorium tam terrestre, quam maritimum; quem concedere ex regulis decõri saltem obligata est respubl. vindicari itaque regulariter nequit, neque denegatio ejus justam belli causam parit, s. exercitus eum petat, s. singuli & pauci; nisi denegatio cum injuria petentis sit conjuncta. Nam non solum raro innoxius est ille transitus, sed & plerumque illum denegandi justissimæ adsunt causæ. Pro officio igitur humanitatis ejus permissio debet haberi.

Vid: Pufend. de J. N. & G. L. 3. c. 3. §. 5. III. Thomasius in Jurisprud. div. L. 2. c. 6. §. 35. sq. Stranzchius de imper. mar. c. 8. §. 2. Gronov. ad Grot. L. 2. c. 2. §. 13. Ziegler. ad Grot. p. 233. Dissentiã Grotius L. 2. c. 2. §. 13. Adrian. Beier & Zohius in pecul. Diss.

§. 26. Si autem hosti meo transitus hic fuerit concessus, omnino etiam ex regulis iusti eum petere ac vindicare possum. Prorsus vero huc non spectat transitus, quem Judæi ab Idumæis petierunt; quamvis ad hoc exemplum provocare soleat Grotius.

§. 27.

*Transitus  
per Terri-  
torium cur  
& quare  
vius conce-  
dendus.*

*Quando il-  
le ex regg.  
iusti vi exi-  
gendus.*

§. 27. Pari modo se habet cum transitu mercium alienarum quem concedere nisi officium humanitatis est: proinde, nisi res illæ ad vitam sustentandam sint necessariae, nec alio modo haberi possint, iste transitus ex regulis justæ peti nequit neque desunt rationes hujusmodi transitum denegandi, ita, ut hic iterum sine ratione Grotius c. l. dissentiat.

*De Transitu Mercium alienarum.*

§. 28. Atque ex hac quoque ratione defendi potest jus stapulæ, vi scil. cujus exteri, qui merces ad alium populum transportare volunt, ad illas merces nobis venundandas cogi queant. Jus enim, quo transportationem eam plane denegare possumus, nobis largitur simul facultatem certis sub conditionibus illam concedendi: nulla ergo subest causa, ob quam Hertius ad Pufendorf. aliique in contrariam abeant sententiam.

*De Jure Stapulæ.*

§. 29. Idem tenendum circa vectigalia, quæ ex transeuntibus mercibus terra, omnibus aut fretis nostro imperio subiectis exigí possunt. Præter enim rationes, quod agris quandoque, detrimentum inferatur dominusque territorii sumptibus opus habeat tam ad vias muniendas, quam ad securitatem transeuntibus præstandam, solum territorii dominium allegare, est sufficiens. Idem senti-

*De Jure Vectigalium.*

U 5

en-

endum de vectigalibus, quæ in fretis exiguntur. Nam sufficit etiam, quod sim freti dominus, atque a meo dependeat arbitrio, transitum navium aliis concedere, nec ne. Vi hujus igitur domini secundum regulas justitiæ jus petendi vectigalia mihi competit, licet nulla constituerim signa notandis brevibus, aut scopulis, aut nullos ignes aluerim, nec mare a piratis purgaverim. Neque Pufendorfius contrariæ adhæsisset sententiæ, nisi singulares rationes eo tempore hoc svasissent.

Vid. Pufend. lib. 3. c. 9. §. 7. de J. N. & G. ibique Barbeyrac.

*Accessio ad littus est officium humanitatis.* §. 30. Accessio ad littus vel valetudinis reficiendæ gratia, vel alia justa ex causa suscepta, eodem nititur fundamento, atque ideo s. inermes sint, s. vi ventorum, s. alia necessitate in littus ejecti sint, s. insignis sit hominum multitudo, s. pauci sint, non nisi ex regulis decori debetur, ac salva justitia potest denegari: neque defunt causæ illam recusandi, ita, ut absonum sit, ejus denegationem inter causas belli justas referre atque dissentire cum Grotio c. l. §. 15.

*Receptio Exulum est Beneficium.* §. 31. Expulsos ex Patria sua recipere eisque fixam sedem in terra sua concedere

re, non vulgare officium humanitatis, sed beneficium esse videtur; cum nimirum interdum cum maximo incommodo soleat esse conjunctum: & hujus itaque denegatio multis ex causis fieri, nullo vero modo receptio ex regulis justiciæ peti potest; nisi forsitan talis existeret casus, quo ab omni gente expulsis his receptio denegaretur: quare ne in hoc quidem casu assentiri possumus Grotio c. l. §. 16. contrarium asserenti.

§. 32. Et quamvis sententia Ziegleri ad c. l. Grotii non statim se probet, existimantis, dissensum religionis causam præbere denegationi, non tamen prorsus est rejicienda. Certum enim est, Principem non peccare contra regulas justitiæ, si ob solam hanc causam expulsos recipere nolit, sed sufficit, quod una cum suis subditis unicum cultum externum in sua republ. fovere velit. Imo ne quidem eo contra regulas decori Princeps semper peccare videtur, cum multæ æque gravissimæ possint adesse causæ diversæ religioni addictos in terra sua haud tolerandi. Aliud itaque est, quid Princeps secundum regulas prudentiæ facere debeat, aliud, quid facere ac ex Justitiæ regulis ab eo exigí possit.

*Uam an  
dissuadeat  
dissensus  
Religionis  
Uc.?*

§. 33.

*Peregrini  
an & cur  
hospitio  
excipien-  
di?*

§. 33. Neque ut peregrinos admittamus hospitioque excipiamus, ex regulis justis deduci potest; licet Grotius c. l. §. 15. dissentiat. Potius eorum admissio ex regulis decori peti debet: In promptu enim multæ sunt rationes hanc admissionem dissuadentes. Si vero semel sint admissi, nullum dubium est, regulas justas tunc exigere, ut omni humanitate erga illos utamur cunctaque officia ipsis præstemus.

Vid. Pufendorf. c. l. §. 9.

*Commerci-  
orum Jus  
ex reg. de-  
cori conve-  
ditur.*

§. 34. Nec aliter res se habet in commerciorum jure aliis concedendo. Nam emere & vendere spectat ad officia humanitatis. Si igitur alteri cuidam concedo, ut suis mercibus commercium exerceat in terra mea, omnino id, tanquam officium humanitatis, a me accipere debet; & ridiculum esset, hujus denegationem pro justa belli causa allegare. Quid enim si subditi alterius mercibus non indigerent? quid, si ad luxum saltem spectent? quid si hanc ob causam commercium prohibeatur, ne opes civium ad externos migrent? Quin etiam edicto prohiberi potest, ne certæ res plane exportentur.

*Maximo-  
nii detre-  
ctatio non  
repugnat  
regulis ju-  
sti.*

§. 35. Nec matrimonii detrectatio justam alicui suppeditat belli causam, sed salvis regulis justis (si saltem absit contumelia) edicto quoque vetari potest, ne

qu-



nuptiæ cum peregrinis ineantur. Con-  
cessio itaque filiz in nuptias est non sim-  
plex officium humanitatis, sed benefici-  
um & quidem etiam respectu integri cu-  
jusdam populi. Nulla igitur ratione raptus  
Sabinorum potest defendi: neque hac de-  
negatione matrimonii aliquis cogitur, ut  
vivat in cœlibatu; quem excellentibus sal-  
tem animis convenire putat Grotius.  
Nam denegata una nunquam deficit alte-  
ra, cui nubas.

§. 36. Neque suffragari possumus Gro-  
tio c. l. §. 22. existimanti, jus aliquod o-  
mnibus commune, adeoque & obligatio-  
nem ad aliquid omnibus præstandum o-  
riri ex suppositione, siquid promiscue o-  
mnibus indulgeatur exteris. Nam quo-  
modo alicui fieri potest injuria id dene-  
gando, ad quod nos cogendi nullum jus  
habet? & quamvis omnibus aliis certa  
præstem ac concedam officia humanita-  
tis, id tamen saltem ex interna obligatio-  
ne facio, ita, ut neque alteri neque tertio  
exinde jus acquiratur. v. g. donat quis  
100. imperiales Orphanotropheo cuidam,  
ex hoc reliqua orphanotrophia nullum  
jus acquirunt, idem ab ipso exigendi. A-  
liud ergo est, quid consultius sit. i. e. quid  
tali in casu regulæ Prudentiæ distitent, a-  
liud

*Ad Object.  
Grotii re-  
spondetur.*

liud, quid de jure ab aliquo possit postulari.

*De vi a Principe alteri concessa.*

§. 37. Referri quoque ad officia humanitatis debet, quando, quod quotidie fieri videmus, mutuae utilitatis causa Princeps in suis terris alteri vim aliquam concedit. Nam jubent regulæ decori, ut v. g. famæ restitutus, legitimatus, nobilitatus in uno territorio, etiam in aliis terris pro integræ famæ homine, legitimato ac nobilitato debeat haberi; de quo alio loco plura.

*Beneficium quid & ejus natura?*

§. 38. Hactenus de vulgaribus humanitatis officiis egimus. Jam quoque de beneficiis pauca delibemus. Est autem beneficium, sicut ex supra dictis constare potest, si cum magno meo incommodo alterius promoveo utilitatem; cujus naturam optime cognoscemus considerando ea, in quibus beneficia cum vulgaribus humanitatis officiis conveniant, aut ab eisdem differant.

*Beneficiorum convenientia cum officiis Humanitatis.*

§. 39. Nimirum in eo conveniunt, quod utraque fluant ex regulis decori & solum internam obligationem producant, item quod utilitas ejus debeat præsto esse, cui præstantur, non vero invitis sint obtrudenda, & quod tandem utrorumque denegatio nullam justam belli causam involvat.

*Eorum Differentia.*

§. 40. Differunt autem in eo, quod officia humanitatis fundentur in amore spe-

speciali; quod hinc illa debeantur omnibus hominibus, cujuscunque sint status ac conditionis, hæc vero saltem amicis: qui enim hæc omnibus, etiam indignis, conferret, sibi aliisque noceret ac affectum animi vitiosum proderet. Illa sine incommodo & periculo nostro facimus; hæc cum incommodo atque periculo sunt conjuncta. Nam beneficia non dijudicantur ex sola accipientis utilitate, sed primario eo respicitur, utrum danti valde molesta & incommoda sint, nec ne.

Conf. III. Thomafius in der Sitten-Lehr. cap. 6. n. 51. sqq.

§. 41. Exigunt præterea regulæ decori, *Beneficia* ut, si velis beneficia conferre, id non *fa-qaomodo* cias publice. Haud enim meretur *no-exhibenda* men beneficii, quod venditur. Qui ita *snt.* que beneficia exhibet, ea ita præstet, ut, quod dextra manus præbet, sinistra ignoret; neque expectet, donec rogetur, sed elargiatur merentibus beneficia non rogatus.

§. 42. His beneficiis respondeat grati- *Gratitudo* tudo, quæ in eo consistit, ut is, qui bene- *nis obliga-* ficium accepit, grato animo id agnoscat *tio.* quæratque occasionem alteri vicissim quovis modo inserviendi. Hujus tanta est necessitas, ut sine ea omnis amicitia cesset: non quidem, ut benefaciens illam  
 ex

ex regulis iusti ab altero postulare possit, (gratis enim omne conferendum beneficium) sed interne saltem alter ad gratum animum servandum obligatur.

*Cur Grati-  
tudo sit ne-  
cessaria.*

§. 43. Eo ipso enim, dum ostendit se parvi aestimare beneficium, simul declarat, se alterius amicitia haud esse dignum, imo omni aliorum quoque amicitia talem se gerendo privat; & inique agere ejusmodi ingrato imposterum benefaciens.

*De Ingrati-  
tudinē  
simplici ac  
prægnanti.*

§. 44. Gratitudeinis igitur virtuti opponitur ingratitude, quæ vel simplex vel prægnans est. Illa consistit in nuda omissione eorum, quibus gratum nostrum animum testamur, hæc vero in eo, ut non tantum haud gratos nos exhibeamus, sed insuper beneficientem non lædamus in iuribus ipsi competentibus.

*Adversus  
ingratum  
non datur  
actio.*

§. 45. Nulla autem datur actio contra ingratum, neque ob ingratitude simplicem, neque ob prægnantem. Actio enim, quam alii allegant, non oritur ex ingratitude, sed ex injuria alteri illata, ita, ut hæc actio detur, licet quis nihi beneficii ab altero accepisset. Exempla, quæ in contrarium allegantur, probant saltem, quid leges civiles præter jus naturæ in causa ingratitude disponere queant.

Vid. Bœcleri Diss. de actione adversus ingratos.

CAP.

## CAP. VII.

De

## Officio Paciscentium.

§. 1.

**S**I homines magis sequerentur obligationem internam, quam externam, magisque respicerent ad connexionem rerum necessariam, quam ut timerent mala arbitraria, cessaret querela communis, quod paucissimi reperiantur sapientes, plurimi vero stulti.

§. 2. Hæc paucitas autem sapientum efficit, ut maxima pars hominum fucatam felicitatem pro vera amplectatur, inutilia & aut parum, aut nihil ad sui conservationem conducentia anxie quærat, maxime utilia vero & sine quibus neque diu neque feliciter vitam transigere licet, parum curet & negligat.

§. 3. Inde evenit, ut alii plane neque de interna, neque de externa sua felicitate sint solliciti, nec de mediis cogitent illam adipiscendi, aut adeptam conservandi; alii vero cupiant quidem feliciter vivere, haud tamen attendentes, felicitatem maxima ex parte dependere ab

X

au-

auxilio, consilio & amicitia aliorum hominum, quæ omnia hinc sibi acquirere non obligatos se esse credunt. Alii intelligunt quidem, se aliorum ope ad suam felicitatem ac conservationem indigere, simul tamen persuasi sunt, alios hæc omnia sibi gratis præstare debere, imo jus sibi competere hæc ab illis exigendi, haud consideraturi, hoc in natura fundatum esse: quod vis, ut alii tibi faciant, tu ipsis facies.

*De causa  
introduc-  
tionis Pacto-  
rum.*

§. 4. Et licet dentur quoque homines, qui obligatione interna ducti omnibus humanitatis officia & nonnullis beneficia præstent, omnemque navent operam, ut alios ad similia præstanda sibi obligent; frustra tamen hoc fieri, tam natura humana, quam quotidiana experientia comprobatur. Pauci enimprehenduntur grati, humani, officiosi, & adhuc pauciores ad inserviendum aliis proclives. Qua de causa felicitas hominum externa necessario pactorum exegit introductionem, quibus homines vi externa cogi atque obligari possent ad ea observanda ac præstanda, quæ sine his pactis eorum humanitati solum debebant relinqui.

*Unde illo  
petenda,  
vult esse?*

§. 5. Causa igitur & origo introductorum pactorum haud recte deducitur ex jure

jure naturæ stricto s. ex regulis justî, sed potius peti debet ex regulis decori s. ex jure naturæ lato, tanquam medium vivendi feliciter eaque acquirendi, sine quibus neque diu, neque feliciter vivere licet.

§. 6. Est vero Pactum duorum vel plurimum in idem placitum de jure transfere-  
*Pacti Definitio*  
 tendo atque obligatione externa constituenda consensus.

§. 7. Pacti obligationem externam esse & ex regulis justitiæ fluere, hincque  
*Pacti initio obligatio*  
 ejus violationem in statu naturali justam *fluit ex*  
 belli causam præbere, ac in statu civili *Regg. justî*  
 facultatem, alterum conveniendi auxili-  
 oque Magistratus cogendi, concedere, unusquisque facile animadvertit. Nam pacto aliquid de jure meo demo idque in alterum transfero. Ubi autem jus, ibi necessario quoque adest obligatio. Eo ipso itaque, dum paciscor, me alteri obligatum ipsiusque debitorem profiteor. Debitor præsupponit creditorem, qui omni sane jure id exigit, quod alter debet.

§. 8. Regula igitur justî est: Quod tibi *Præceptum*  
 non vis fieri, alteri ne facias. Ex qua *ptam genera*  
 hoc fluit præceptum: Pacta serves s. ne-  
*rals circa*  
 minem lædas in pacto tecum inito. *Pacta*

§. 9. Pactum est vel unilaterale vel bi-  
*quoddam i*  
*Pactum*  
*la- quoduplex*

laterale: Illud, quando unus saltem se obligat, s. debitorem se profitetur; hoc, cum uterque fit partim creditor, partim debitor.

*Requisita  
obligationis ex Pacto.*

§. 10. Ut vero hanc producant obligationem externam, reciproco opus est consensu, qui promissione & acceptatione absolvitur. Ubi igitur nulla est acceptatio, ibi & pactum deficit.

*Vota &  
Pollicitationes an obligent?*

§. 11. Hinc Jus naturæ strictè dictum ignorat obligationem votorum ac pollicitationis; quia utrinque nulla adest acceptatio. In statu naturali ne quidem obligationem internam producere videntur ejusmodi vota vel pollicitationes: aliter vero se res habet in statu civili quoad regulas decori. Præcepta autem Legis Mosaicæ de votis vel ad legem forenses, vel ad ceremonialem sunt referenda.

Vid. Ill. Thomasi Disp. de desertione Ordinis Ecclesiastici, præsertim §. 5. 11. 17. sq. Seldenus de J. N. secundum disciplin. Hæbræor. lib. I. c. 2. & Petr. Baylii Dictionair histor. & critiq. sub voce: Ayrant.

*Qualis consensus ad Pacta requiratur.*

§. 12. Non sufficit porro utriusque qualiscunque consensus, sed certus ac specialis esse debet. Promissio itaque incerta atque generalis non producit obligationem; peccare tamen interdum potest contra regulas decori. Spectant huc verbo honoris v. g. *Der Patron sey Herr in feis*



seinem Hause, er solle alles darinnen nach Gutbefinden befehlen, item er selbst und sein ganzes Vermögen, stünde zu seinen Diensten; item omnes promissiones spei incertæ aut per jocum factæ, atque nimis generales; quarum exemplum præbent auctores in Præfationibus Scriptorum suorum, quod ideo scil. scripta edituri essent, ut fidem datam liberent. Sic si dico: ich will dir einmahl 100. Thaler schencken, Er soll einmal meine Tochter haben, ich will ihn einmahl zum Erben einsetzen.

Conf. III. Thomasi Diss. de obligatione ex promissione rei incertæ.

§. 13. Requiritur præterea consensus *Quid porro* sufficienter declaratus: cum, enim, quis *requiratur* adhuc deliberat, neque promittit, neque *ad hunc* acceptat. Hinc Tractatus, quos voca- *Consensum.* mus, nullam plane pariunt obligationem, ita, ut uterque sine læsione alicujus juris ab eis possit recedere.

§. 14. Consensus declaratur signis in- *De Consen-* ter homines receptis, quæ consistunt vel *su expresso,* in verbis, unde nascitur consensus expres- *et tacito.* sus; vel ex facto omnibus hominibus cognito, unde oritur consensus tacitus. Quoniam vero declaratio voluntatis ex factis collecta obscurior magisque est incerta; ideo recte utique consensus expressus præfertur tacito.

X 3

§. 15.

*De Consensu  
supra sum-  
to & ficto.* §. 15. Præsumtum consensum vocamus, qui quidem aliquo nititur facto, non omnibus tamen cognito, sed qui per ratiocinationem ex scientia affectuque hominis agentis, vel non agentis, colligitur: qui autem non confundi debet cum consensu illo Romanorum ficto, quem Jus naturæ ignorat. Apellant enim Romani consensum fictum, quando ignorantis, & qui adeo neque indirecte consentire potest, consensus ideo asseritur, quia, si sciret & intelligeret, facile in eam rem esset consensurus; quo profus carere possumus, propterea quod alterius obligatio ex æquitate naturali, quod nemo locupletior fieri debeat cum alterius damno, potest deduci.

*Qualem  
Consensus  
obligatio-  
nem produ-  
cit.*

§. 16. Consensus hic, qui necessario in omnibus adesse debet conventionibus, efficit, exigitque, ut aliquis facultatem consentiendi tam physicam, quam moralem habeat. Nemo ex pacto obligatur, nisi qui consentire potest i. e. intelligit naturam negotii, de quo agitur. Non igitur pacisci possunt infantes, summe ebrii, furiosi, mente capti. Fæminæ vero & minores contrahere posse videntur, ita, ut Jure naturæ eorum contractus validi sint, si scil. quod agunt, intel-

telligent. Quousque autem extendatur infantia ac minorennitas, relinquatur arbitrio Magistratus, cum Jus Naturæ id haud determinet.

Utrum furiosi tempore dilucidi intervalli valide pacisci possint, disceptatur inter Doctores. Vid. interim Ill. Thomasi Diss. de Præsumptione furoris atque dementiæ anno 1729. habita.

§. 17. Sicut igitur consensus & intellectum & voluntatem requirit: ita præter ea, quæ §. præced. recensuimus, consensus impedit dolus, error, violentia. Metum autem quod concernit, hic male opponitur voluntati, cum coacta voluntas etiam sit voluntas: ex alio itaque fundamento causa petenda, cur effectus obligationis illo impediatur.

*De Impedimentis consensus.*

§. 18. Dolus ab uno contrahentium admissus impedit omnem obligationem jusque alteri tribuit, aut a contractu plane recedendi, aut servato contractu reparationem damni, quod ex alterius dolo sentit, postulandi. Distinctionem, quam vulgo adhibent inter dolum causam dantem contractui & supervenientem, æquitatis naturalis prorsus haud esse, omnibus patet; imo ne quidem ad forum Roman. pertinere, docuit magnus Ictus Gerhard: Noodt in Tract. de forma emendandi doli mali cap. 2.

*Dolus impedit obligationem ex Pacto.*

§. 19.

*Dolus ter-  
tiii non tol-  
lit contra-  
ctum.*

§. 19. Si vero tertius aliquis me dece-  
perit, nullam facultatem habeo a contra-  
ctu recedendi, sed decipiens saltem eo  
nomine mihi tenetur. Dissentiunt qui-  
dem alii persuasi, etiam dolum a tertio  
commisum infirmum reddere pactum;  
quoties enim consensus deficeret, non  
posse sustineri promissum: sed sufficit,  
quod alteri contrahenti inscio doli com-  
missio nequeat imputari.

*An Error  
tollat obli-  
gationem  
ex Pacto?*

§. 20. Multi statuunt, errorem omnem  
conventionem reddere nullam, a) sed  
sine sufficienti ratione. Nam quomodo  
unius imprudentia noxia esse potest alte-  
ri contrahentium? Interim si alter que-  
ratur, errore se ad pactum ineundum fu-  
isse adductum, secundum regulas decori  
bene agit, si juri suo renunciaret, eumque  
ab omni liberet obligatione.

a) Vid. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 14. n. 6. Fu-  
fend. de J. N. & G. lib. 3. c. 6. §. 6.

*Quando Er-  
ror non no-  
ceat erran-  
ti?*

§. 21. Facile tamen quisque compre-  
hendit, errorem tunc non nocere erran-  
ti, si circumstantia, in qua erravit, per mo-  
dum conditionis fuerit adjecta, vel tan-  
quam conditio tacita subintelligatur.

Vid. Ill. Thomasius in Jurispr. div. lib. 2. c. 7.

§. 38. sqq.

*Quando  
Metus Pa-  
ctum tollat,  
vel non?*

§. 22. Metum quod attinet præsuppo-  
nimus hic metum injustum respectu in-  
ferentis justum ex parte paciscentis, id est,

ta-

talem, qui cadit in Virum constantem v. g. amittendæ vitæ, fanitatis, integritatis membrorum &c. itemque metu cessante nullam rati habitationem secutam. His suppositis extra dubium est, pactum hoc nullam producere obligationem; sed semper eo unice respiciendum, utrum is, qui metum intulit, jus habeat illum inferendi, nec ne. Si jus habet, omnino alter ad pactum servandum obligatur, & ad satisfaciendum ei omni modo cogi potest. Hinc pactum victoris cum victo initum validum est. Si vero quis nullo jure gaudeat, nulla etiam exinde nasci potest obligatio, sed contra regulas justitiae alter egit metum incutiendo. Quare latroni, qui tali, ad nulla pacta servanda obligatus sum.

§. 23. Frustra igitur aliqui promissiones metu extortas validas pronunciant, *Dissensus aliorum frustrantur.*  
*us.*  
 a) quia Jus Naturæ dicitur, pacta esse servanda. Nec arridet mihi opinio Grotii  
 b) putantis, obligationem quidem oriri, sed metum incutientem obligatum esse ad rem restituendam. Nec opus habemus adhibere rationem Pufendorffii, c) tanquam subtilem, a compensatione sumtam.

e) Vid. Uffelmann de obligat. quæ ex sermone oritur c. 7. §. 4. sqq. Kulpis in Colleg. Grotian. p. 77. lit. 1. X 5 (b)

b) de J. B. & P. lib. 2. c. 17. §. 17.

c) de J. N. & G. lib. 3. c. 6. §. 10. sqq.

*Bello victoribus cur tenentur ad pacta servanda.*

§ 24. Satis itaque liquido constat, in bello victum omnino obligatione externa ad pacta servanda cum victore inita teneri. Nam nemo victori jus tale pactum exigendi denegabit; & falsum est, omnino bellum esse injustum, quod alii objicere solent, satis tamen a Grotio refutatum. Neque locum inveniet distinctio inter bellum justum & injustum: quis enim de eo judicabit? Certe neque hosti id competit, neque aliis gentibus, quæ sæpissime parum, aut plane non, de belli causa sunt instructæ.

Conf. Werlhofii Diff. de Pactis liberarum gentium, it. DN. Gundlingii de efficientia metus. &c.

*De obligatione Principis capti ex Pacto cum victore inito.*

§. 25. De Rege captivo pacta in carcere cum victore ineunte major se offert difficultas, de qua eo minus illi dubitare licet, qui saltem inspicit pactum Caroli V. Imperat: cum Francisco I. rege Galliarum initum, atque ex eo postea exortas disceptationes. Mihi, salvo aliorum iudicio, totam controversiam ita planiorem evadere posse videtur, si consideretur; a quo pactum sit initium? utrum sit Princeps absolutus & qui vi sui imperii subditos in rationes belli vocare haud opus habet, aut talis, qui sine consensu sui

po-

Populi bellum inchoare non potest, neque sine illo arma contra alterum arripuit? 2) An tales res sint, de quibus propria auctoritate disponere possit, aut quarum dispositio atque alienatio iterum populo haud consentiente fieri nequeat. Prioribus casibus ad pactum servandum eum obstrictum esse nullus dubita; posterioribus vero casibus prorsus nego.

Vid. interim Grotius de J. B. & P. lib. I. c. 3. n. 24. Joh. Bodinus de republ. lib. 5. c. 7. & David Blondellus in Praefatione Apologetica.

§. 26. Neque Princeps salvis regulis <sup>Pacta</sup> Justitiæ Pacta cum Civibus inita metus <sup>principis</sup> obtentu rescindere potest. Nam licet <sup>cum Civi-</sup> Cives faciant contra suum officium, eo <sup>bus an me-</sup> ipso tamen vinculum excutiunt, quo con- <sup>tus obtentu</sup> stringebantur, Cives esse desinunt hosti- <sup>rescindenda?</sup> umque personam induunt. Quæ itaque cum hostibus externis gesta Juris naturalis sunt, hic quoque absque omni dubio obtinent. Nec objici potest: bellum ab initio fuisse injustum; sufficit enim, quod Princeps longum satis habeat spatium animum colligendi ac deliberandi, quid e re sua sit.

§. 27. Fluit ex perlustrata hactenus pa- <sup>Obligatio</sup> storum natura: quod contra regulas de- <sup>ad imposs-</sup> cori atque honesti peccent ad impossibi- <sup>bilia repu-</sup> lia sese obligantes. Imo quamvis haud <sup>gnat Deco-</sup> <sup>ro Honesta-</sup> di-que.

dici possit, injuste quem facere, talia alteri promittendo, nullum tamen jus inde quæritur aliquid petendi atque exigendi.

*De Impossibilibus nullam obligationem producentibus.*

§. 28. Dantur autem juxta supra fusius dicta impossibilia duplicis generis: vel enim omnibus impossibilia sunt, puta Cœlum digito tangere, volare, flumen ebibere &c. hæc nullam tam respectu promittentis, quam acceptantis producunt obligationem; æque enim stultus est, qui impossibilia alterum facere posse putat vel jubet, ac ille, qui talia serio promittit.

*De Impossibilibus obligationem parientibus.*

§. 29. Vel sunt impossibilia respectu hujus aut illius. Hæc si statim ab initio sibi impossibilia esse scivit promittens, vel ex post facto dolo vel culpa sua fecit, ut talia facta sint; omnino alteri ad damnum inde resultans restituendum tenetur.

*Nullitas Pactorum contra Leges prohibitivas initorum.*

§. 30. Nulla etiam pronunciant regulæ justæ omnia pacta contra leges prohibitivas inita, omnemque iis, tanquam conflatis de rebus illicitis, denegant obligationem. Defendit quidem Grotius a) promissionem intuitu alicujus turpis facinoris factam obligare, scelere perpetrato, promittentem, ad cujus sententiam



tiam accedit DN. Bodinus; *b*) negant vero Pufendorfius *c*) aliique *d*)

*a*) Lib. 2. de J. B. & P. c. 10. §. 9.

*b*) in Diss. de conditione turpi impleta.

*c*) L. 3. J. N. & G. 7. §. 18. & de Offic. Hom. & Civ. L. 1. c. 9. §. 18.

*d*) Vid. Kulpis ad Grot. c. 1.

§. 31. Hunc dissensum ut tollamus in-  
 primis separandum est id, quod est con-  
 tra leges naturales ab eo, quod pugnat  
 cum Legibus civilibus. Deinde secerni  
 debent regulæ honesti ac decora regulis  
 justis.

*Dissensus  
 aliorum  
 quomodo  
 tollendus?*

§. 32. Dantur plures actiones, quæ se-  
 cundum regulas decori & honesti illicitæ  
 sunt, quæ tamen alterum ab obligatione,  
 qua mihi obstrictus est, haud absolvunt.  
 Ita aleator potest peccare contra deco-  
 rum ac honestum; & tamen alter ei ad  
 solvendum, quod perdidit, est obligatus.  
 Violat caupo honestum atque decorum  
 præbendo occasionem aliorum ebrietati,  
 luxui aliisque actionibus parum honestis  
 nec licitis; quis tamen negare vellet, a-  
 lios ad id, quod debent ei, non esse obli-  
 gatos? Lædit leno regulas decori hone-  
 stique meretrices fovendo, quo seduci-  
 tur incauta juvenus, ut & corpus & ani-  
 mam perdat; nemo tamen ita seductos  
 absolvere poterit, ne ad id præstandum  
 teneantur, quod luxuriosa hac vita con-  
 sumserunt.

*Hujus rei  
 uberior De-  
 ductio.*

§. 33.

*Ad Promissam illicitam servanda nemo cogi potest.*

§. 33. Si vero alicui aliquid illiciti promiserim v. g. interficere aliquem, bona alicui auferre &c. poenitentia autem postea motus ab hac actione abstinuerim, alter nullum habet jus cogendi me, cum animo haud satis deliberato promissionem hanc me iniisse praesumatur.

*Delictum qui commisit Mercedem extorquere nequit.*

§. 34. Quodsi autem delictum jam commiserim nondum accepta mercede, neque ad hanc praestandam alter tenetur. Si bi enim imputet, quod alterius promissioni & jussui statim fidem habuerit; cum potius cogitare debuisset, quod vindictae cupiditate abreptus alter haec dixerit, quorum alio tempore cum profus poeniteat pudeatque.

*Omisso Delicto Merces data repeti nequit. Pacta de re aliena sunt nulla.*

§. 35. Data vero jam mercede facile concedo Grotio, turpi causa non secuta alterum non posse repetere illam.

*Pacta de re aliena sunt nulla.*

§. 36. Neque permittit Jus Naturae ut de rebus alienis pacisci possimus. Quo enim jure quis alterius jus intervertere posset?

*De Obligatione ex factis alienis promissis.*

§. 37. Neque promitti possunt facta aliena, nisi hic saltem promissionis sensus sit alterum velle dare operam, ut tertius ille id praestet, quod promisi. Tunc etiam secundum regulas justitiae mihi incumbit omnem movere lapidem, ut factam alterius sequatur. Si vero plane praestatio-

tionem alterius in me receperim, tunc ad interesse præstandum alteri sum obligatus, licet tertium ad præstandum id cogendi nullum jus habeam.

§. 38. Neque valide pacisci possumus *Pacta de rebus, ubi Jus in alios transtulimus.* de rebus, in quibus jam jus in alterum transtulimus, nisi ea fiat sub conditione, si alterius jus exspiraverit; quo referunt quæstionem: utrum fides conjugalis violetur, si alteruter Conjugum vivente altero promittat tertio matrimonium sub conditione prioris conjugis extincti? Quam affirmat Grotius de J. B. & P. L. 2. c. II. §. 8. cui antem contradicunt Zieglerus & Henniges ad c. I.

§. 39. Quoad regulas justæ recte sentire *Grotii Sententia quatenus admittenda?* Grotium in dubium haud vocari possedet. Nam pacta salvo jure tertii inita omnino pro validis habentur. Imo dantur casus, in quibus talia pacta ne quidem contra regulas decori pugnant; quamvis non negandum sit, Magistratum violare decorum omnia hujusmodi pacta admittendo.

§. 40. Licet autem natura pactorum *De Modis Promissionum diversis.* ex his, quas descripsimus, consistat partibus; modus tamen promittendi datur diversus, ita ut interdum pure contrahamus vel in diem, certum, vel sub conditione.

§. 41

*Quomodo  
se differ-  
rant, vel  
non.*

§. 41. Inter has promissiones quoad vim obligandi ipsam nulla plane datur differentia, ita, ut pendente die vel conditione alter me invito ab ea haud possit recedere; sed in eo saltem sunt inter se diversæ, quod promissum pure factum statim exigi possit; illud vero sub conditione vel die tunc demum, si dies venerit, vel conditio sit impleta. Locus si fuerit adjectus certus, id involvit, ut alter, antequam ad locum pervenire liceat, nihil a me petere queat.

*Conditio  
Pactis Pro-  
missi que  
adjecta  
quid?*

*Ad illam  
quam  
non refe-  
renda?*

§. 42. Est vero conditio nihil aliud, quam qualitas, vi cujus validitas promissionis ab eventu futuro speciali atque incerto suspenditur.

§. 43. Hinc conditio moralis plane non est, quæ omnibus promissionibus inest tacite v. g. promitto tibi 100. thaleros, si mundus adhuc stabit. Neque ea, quæ ad tempus præsens vel præteritum se refert, nisi verbis ipsis sensus de futuro eventu insit, neque necessario extitura v. g. si cras erit dies; multo minus ea, quæ vere est impossibilis, necessaria tamen est atque ab eventu futuro incerto haud dependet.

*Sola hic in-  
telligitur  
Conditio  
possibilis*

§. 44. Nulla itaque locum habet conditio, quam possibilis; quam frustra sub-  
di-

dividunt in casualem, potestativam & mixtam; cum nulla conditio fingi debeat, quæ non casum simul in se contineat.

§. 45. Consensum, quo Pacta inimus, *Declaratio* vel declaramus per nos ipsos, vel aliis me- *Consensus* diantibus personis.

§. 46. Hæ vel nomine nostro libera a- *De Perso-* gendi facultate gaudentes contrahunt, & *na diversa* vocantur Procuratores aut mandatarii; *nomine no-* vel instrumentum saltem repræsentant, *stro contra-* quo voluntatem nostram aliis patefaci- *bentibus.* mus, & vocantur nuncii s. tabelliones.

§. 47. Illi si cum tertio secundum Man- *Mandata-* dati fines contrahunt, omnino mandan- *rii quate-* tem obligant, ita, ut hic salvis regulis justi- *nus man-* tiæ, ab hoc pacto recedere nequeat. *dantem ubi-* *ligent.*

§. 48. Potest vero Mandatarius duplici *De eodem* instructus esse Mandato, generali scil. & *ac Divisio-* speciali; illud est, quod producit tam ad *ne Manda-* legitimandam suam personam, quam ad *ti.* producendum quid habeat in mandatis; hoc autem, quod ad specialem suam instructionem ei datum est. Quamvis itaque transgrediatur fines Mandati specialis, sine dolo tertii, manet tamen mandans tertio obligatus, atque solum facultatem habet dominus extorquendia mandatario damni reparationem.

§. 49. Itaque etiam obligari possumus *De Obliga-* per famulos nostros quibus si antea fidei *tione per* habe-

Y

*famulas  
nostros.*

haberi jufferimus, posteaque ipsi aufugi-  
ant ac nomine nostro hinc inde aliquid  
petierint, omnino ad ejus restitutionem  
vel solutionem regulæ justî nos obligant.  
Nam tertius neque evictionem, neque  
fugiendi intentionem scire potuit.

*Mandatum  
quatenus  
soli possit,  
vel non?*

§. 50. Debet vero Pactum a Mandatario  
ipso fuisse initum: si igitur moriatur, an-  
tequam voluntatem nostram alteri decla-  
raverit, revocare possumus nostram Vo-  
luntatem; quamvis Mandatum, quo Man-  
datarius instructus erat, ab altero quo pi-  
am accepisset; quod in tabellione secus se  
habet: nihil enim interest, si per hunc, si per  
alterum literæ nostræ fuerint insinuatæ.

*De Manda-  
si Revoca-  
tione ante  
negotium  
perfectum.*

§. 51. Sed quid si revocem Mandatum  
meum, antequam Mandatarius negotium  
ad finem perduxerit? Distinguendum hic  
esse videtur. Aut enim tali mandato in-  
structus est, ut tunc saltem negotium de-  
beat haberi pro valido, si ratihabitio do-  
mini accesserit; hoc in casu ratihabitione  
Domini nondum secuta nullum etiam ad-  
huc adest Pactum: aut hac ratihabitione si-  
bi a Domino non reservata, videndum, an  
Pactum jam fuerit initum ac perfectum,  
antequam Mandatarius literas revocatio-  
nem continentes acceperit; quo in casu  
omnino validum esse Pactum, nullumque  
domino jus recedendi competere videtur.

§. 52.

§. 52. An nomine alterius a quo nul- *Quousque*  
 lum Mandatum habeo, promissum ac- *Promissum*  
 ceptare possim, valde disceptatur. Ergo *acceptari*  
 rursus hic distinguendum esse arbitror. *quænt alter-*  
 Vel enim alter tantum enūciat, se Mæ- *ius nomi-*  
 vio daturum centum florenos, vel ego *ne sine*  
 peto, ut tot illi det. Priori casu, nul- *Mandato*  
 lum inde jus enasci potest: nam nullum  
 jus alter in me transferre voluit; hinc  
 nihil etiam potui acceptare. Posteriori  
 vero casu omnino mea interest: jus e-  
 nim mihi acquisivi; Titium tamen, ut  
 acceptet, obligare non possum, imo &  
 ego, antequam in Titium hoc jus trans-  
 tulerim, valide eidem possum renun-  
 ciare:

§. 53. Subdivisiones Pactorum in nuda *Omnis Con-*  
 & non nuda quod attinet, de iis nihil *sensus ve-*  
 sumus solliciti; cum ad Jus naturæ pla- *rus in Pa-*  
 ne non spectent. Nam docet hoc, quod *ctis obligat.*  
 omnia Pacta, quæ cum consensu pleno  
 & vero inita sunt, subsistant externam-  
 que producant obligationem. Allegat  
 quidem Grotius L. 2. c. 11. §. 1. de J. B. &  
 P. Franciscum Connanum Pactis nudis  
 omnem obligationem de Jure Naturæ  
 denegantem, quem vero aliam fovisse  
 mentem defendit Kulpisius in Colleg.  
 Grot. pag. 75. Sed res non est tanti mo-  
 menti, ut ei immoremur.

Y a

Con.

Conferri hic etiam possunt *Bodini vindiciæ Pacti nudi*,

*Pacta & contractus an differant?*

§. 54. Neque opus est, ut detineamur circa distinctionem inter *Pacta & contractus*: nam spectat tantummodo ad subtilitates juris Romani, ac frustra agunt *Grotius a)* atque *Pufendorfius b)* naturale discrimen in ea quærentes.

a) Vid. L. 2. c. 12. §. 1. de J. B. & P.

b) L. 5. c. 2. §. 4. de J. N. & G. Junge *Hobbes. de Cive c. 2. §. 9.*

## CAPUT VIII.

De

# Officio Hominis circa sermonem.

§. 1.

*Applicatio regularum J. N. ad Sermonem &c.*

**E**Xplicuimus hætenus primarias Juris Naturæ ac Gentium regulas. Nunc sequuntur applicationes earum speciales ad varia hominum etiam in statu libertatis officia; quorum præcipua sunt ea circa sermonem & rerum dominia. Hinc jam agendum nobis erit de Sermone ejusque accessorio, scil. de Juramento & de dominio ac pretio, tanquam illius quoque accessorio,

§. 2.



§. 2. Est autem sermo vox articulata, *Definitio Sermonis.* qua homo homini voluntatem s. animi sensa declarat. Ex his patet, quod sermo solis hominibus sit proprius: reliqua enim animalia bruta non fermocinantur, sed sonum saltem edunt, qui ex omnium Corporum collisione etiam percipitur.

§. 3. Si unicū saltem homo esset in hoc orbe, nulla profus indigeret loquela: nam alius homo non esset, cui cogitationes suas patefaceret; Deus autem omnes ipsius cogitationes atque mentis abdita sine sermonis auxilio intelligeret. *Conditio Sermonem non requirens.*

§. 4. Imo & inter alios homines vix loquela opus esse videtur: possum enim per corpus meum varios in alterius mente excitare sensus & efficere, ut voluptatem, dolorem &c. sentiat; nam dolor producit clamorem, terror pallorem, pudor ruborem, tristitia lacrymas, eulatum, voluptas risum &c. *Signa sine Sermone sensum aliis declarantia.*

§. 5. Sed hæc signa omnia non sunt sufficientia: variis enim homines agitantur affectibus. Quamvis igitur horum nonnullos ex signis illis cognosceremus, dantur tamen alii, qui tam lento motu se in nobis movent, ut vix aliis eos ma-

nifestare queamus. Accedit, quod licet affectus videamus, certe ideo causas affectuum nondum noverimus, quod tamen ut alius alii mutuam præstet auxilium, est pernecessarium.

*Sermonis  
causa que-  
nam?*

§. 6. Hanc igitur ob causam solis hominibus sermo competere videtur, quia diversissimi singulorum hominum sunt mores, & inde infinities variantia ipsorum desideria. Merito itaque abstinemus a ratione Grotii atque Pufendorffii, quam ex socialitate eruere solent. Carent enim bestię sermone, & sine bello tamen pacifice in uno loco vivunt, ac inter sese quotidie conversantur.

Commendari potest, ad hanc materiam Traët. Gall. de la Parole, cujus auctor est Cordemoi, & Sam. Wehrenfelsii Diss. de loquela.

*De Conve-  
nientia Ser-  
monis cum  
rebus.*

§. 7. Utrum vero vocabula, quibus rem denotamus aliisque voluntatem nostram declaramus, ex ipsa rerum natura desumpta sint, nostrum hic non est ulterius inquirere. Interim non dubito, quin in inveniendis linguis homines sæpius sonos, de quibus cogitarunt, imitari velle sua conati fuerint; qualia sunt in lingua latina: murmur, stridor, strepitus, sibilus, mugitus, tonitru &c. imo non sonorum tantum vocabula, sed aliarum quoque rerum, quæ peculiarem quen-

dam

dam sonum adjunctum habent; qualia sunt: tympanum, bombardæ, Campana &c.

§. 8. Præterea probabile est, quod etiam interdum observaverint; annon aliqua inter voces ac res vocibus significatas analogia possit excogitari, ita, ut, quæ jucunda, sylvia & facilia sunt; vocibus quoque pronuntiatiu facilibus & jucundis; quæ vero injucunda injucundis, & cum pronuntiatiu difficilibus, tum auditu molestis significaverint.

*De eadem Analogia vocum cum rebus.*

Plura legi possunt ad hanc materiam spectantia apud Gaspar. Neumannum in Genesi Linguae Sanctæ.

§. 9. Multa quoque de origine sermonis fabulati fuerunt gentiles S. Scriptura destituti. Constat vero ex sacris literis: Linguam primævam a Deo primis hominibus fuisse infusam, sed extructionem Turris Babylonicæ linguarum diversitatis ansam præbuisse; quanquam nondum consentiant Doctores circa explicationem Genes. XI. v. i. sqq.

*De origine Sermōnis Linguarumque earum.*

Conferri potest Jo. Clericus in Commentario ad Genes. c. 1. Hermann. Von der Hardt in Ephemeridibus Disc. 3. Campegius Vitringa in Observat. Sacr. L. I. Diss. 1. Jo. Buxtorf. in Diss. Philolog. Theol. 1. §. 8. sqq. Franc. Valesius in Philos. sac. Cap. 3. Wilhelm. Postellus de origine linguarum omnium, aliique plures.

*Finis Ser-  
monis quis  
nam?*

§. 10. Certum itaque est, Deum indi-  
disse hominibus sermonem, ut feliciter  
ac diu vivere possint. Finge enim homi-  
nes omni loquela destitutos, & quam  
miserime hi vitam transigere cogan-  
tur.

*Hic finis  
quomodo  
obtinendus  
sit?*

§. 11. Quem finem autem haud obti-  
nere possumus, nisi omnem sermonem  
secundum regulas justitiae, decori atque ho-  
nesti instituamus. Igitur tria circa ser-  
monem proveniunt Praecepta.

*Prae-  
ceptum pri-  
mum circa  
Sermo-  
nem.*

§. 12. Primum oritur ex regulis hone-  
sti, quod in eo consistit: Ita utere ser-  
mone, ne illo te ipsum reddas infelicem,  
vitamque tibi facias molestam.

*Hujus Prae-  
cepti Usus.*

§. 13. Itaque abstinendum ab omnibus  
verbis obscenis omnique scurrilitate,  
qua affectus excitamus & opera danda,  
ut de nobis ipsis vel plane non, vel pau-  
cissima loquamur: nam qui multum de  
se loquuntur, indicium praebent, quod  
se ipsos nimis ament & parum cognos-  
cant.

*Linguae  
notitia  
necessaria.*

§. 14. Et quia in hoc, quo vivimus sta-  
tu, linguae variae dantur, & harum scien-  
tiam sibi ad suum commodum ac utilita-  
tem comparare annitatur sapiens.

*Prae-  
ceptum secun-  
dum circa  
sermonem.*

§. 15. Alterum Praeceptum fuit ex re-  
gulis decori, nempe sequens: Tace & lo-  
quere, quoties vel taciturnitate vel lo-  
que-

quela tua aliorum commoda promovere potes.

§. 16. Si igitur conversaris cum aliis, præcipiunt regulæ decori, ut ante omnia distingvas status hominum. Si itaque cum superioribus tibi sermo est, loquere paucissima, cum paribus æqualia, cum inferioribus vero plura. Abstineas autem a taciturnitate, ne alii putent, te aut exploratorem esse, aut suam conversationem tibi parum esse gratam.

*De observandis ac vitandis in Conversatione.*

§. 17. Porro vetant regulæ decori, ne de te ipso multa loquaris: tædium enim paris aliis; neque in omni tuo sermone certis loquendi formulis utaris.

*Quenam in ea porro vitanda?*

§. 18. Peccant & ii contra decorum, qui vel se nimis extenuant, vel suas imperfectiones recensent. Nam aut serio id agis, aut intendis ab aliis laudari: utroque te omnibus aliis reddis intolerabilem occasionemque offers tibi illudendi.

*Alia Peccata in Conversatione.*

§. 19. Caveat etiam prudens, ne de præfente facile loquatur. Vir enim honestus vitat eos, a quibus in faciem laudatur.

*In specie vitanda: 1) Laus presentis.*

§. 20. Abstinentum quoque ab omnibus Disputationibus: nam aut perdunt amicitiam, aut inimicos pariunt, ad inveniendam autem veritatem plane sunt ineptæ.

*2) Disputationes.*

Y 5

§. 21.

3) *Vituperium ab-  
fentium.*

§. 21. De absentibus non nisi bene loquendum, præcipue cum in omni fere conversatione contrarium evenire videamus: Est enim genus calumniæ; omnis autem calumnia dedecet virum honestum.

*Qualis materia in  
Conversazione eligenda?*

§. 22. Et quoniam in conversatione aliorum amicitiam quærimus, semper ejusmodi eligi debet materia, de qua omnes apti sint, ut colloquantur. Non ergo semper loquendum de seriis, neque de ludicris rebus. Maxime vero abstinendum, ne in quotidiana conversatione non nisi de rebus spiritualibus ac divinis sermones instituamus: nam profanatur nomen divinum, si quilibet insipienter de eo garrat.

*De Sermone circa  
Adjapbora.*

§. 23. Potest tamen sapiens etiam ex rebus indifferentibus occasionem arripere, ut aliquid dicat, quod bonum & prudens, pium atque utile est, ita ut etiam hoc modo alios ad seria loquenda alliciat.

*De Jocis urbanis in  
Conversazione.*

§. 24. Recte etiam facit prudens interdum salibus urbanis utendo in quotidiana conversatione. Nam ridendo dicere verum quis vetat? Si vero jocatur, simul cavet, ne jocus, quo utitur, pungat alios, sed ut sit innocens. Abstinet ergo a jocis apud eos, qui illis irritantur, utitur vero illis erga hos, qui felices se putant, si ab aliis pungantur.

§. 25.

§. 25. Facta quod concernit, quæ in his quoque consistunt signis, quibus aliis passionibus nostras declaramus; haud necesse erit plura adjicere; cum eadem sit ratio factorum, quæ verborum.

*De factis sensum nostrum aliis declarantibus.*

§. 26. Cum autem regulæ decori præcipiant, ut aliorum promoveamus utilitatem; tanquam unicum remedium comparandi nobis eorum amicitiam; multum quoque interest scire linguas, partim ut aliis colloqui queamus partim ut & nostrum & aliorum emolumentum promoveamus. Quia vero aliis non solum volupe est vel ore tenus vel scriptis nobiscum sermones miscere, sed & maxime placet, si quoque eleganter tam loquamur quam scribamus, hoc etiam haud omittendum esse regulæ decori jubent.

*De usu linguarum & scripturarum.*

§. 27. Loquitur itaque sapiens, ut ab aliis intelligatur, loquitur ita, uti receptum est inter homines sui status.

*Sermo Sapientis qualis sit.*

§. 28. Abstinet a nimia styli concisitate, & haud nimis studet verborum atque elegantiarum phrasium; b) neque utitur sermone aboleto, vel ut usu non recepto.

*Qualis ille non sit.*

a) Vid. Clericus in Bibl. select. Tom. 2. p. 222.

§. 29. Cayet etiam maxime, ne scientiam linguarum pro vera habeat eruditione; atque hinc ne fiat auceps Syllabarum atque literarum, sed potius discere studet,

*Quenam Sapiens porro vitet in Sermonibus.*

in

in quonam consistat differentia inter veram artem criticam & pedanticam illam.

Conf. Jo. Clerici doctif. Tract. de Arte critica, Petr. Burmanni Præfatio ad novam Editionem Petronii Arbitri 1610. edit.

*Qualis  
Sapiens  
Stylum  
emittit.*

§. 30. Quoad Stylum, sicut is varius est, nec facile definiendum, quisnam alteri sit præferendus: ita illum eligit, qui a pluribus æstimatur. Abstinet igitur a stylo tenui s. sordido & vili; neque sublimi operam dat, partim quod illi, qui hunc ecommendant, ipsi nesciunt, in quonam eius consistat sublimitas, partim quod omne sublime est obscurum.

Conf. Longinus de Stylo sublimi & Boileau in Præfat. ad eundem, item Wehrenfels de meteoris Orationis, qui tamen magis describit Stylum gravem atque decorum, quam sublimem.

*Stylum  
medium  
eligit  
Sapiens.*

§. 31. Eligit itaque prudens Stylum medium, quippe quo non modo evitat obscuritatem, sed & suspicionem, quasi alios cupiat decipere.

Vid. Clerici Ars critica P. II. sect. 1. c. 15.

*Qualis  
Styli  
ornatus  
sit  
approbandus?*

§. 32. Non vero reprobamus omnem ornatum Styli, sed saltem eum moderate usurpari volumus. Verbo: nullus ornatus, dummodo non obscuret, orationi subtrahendus est. Adhibere possumus Methaphoras, figurasque, non longe tamen quæsitæ, sed veluti ex ipso argumento subnatas,

Vid.



Vid. Quintilianus L. 5. c. 14. & Clerici Parrhaiana p. m. 111.

§. 33. Præterea opera danda, ut Stylus *Quid por-*  
semper in cogitationibus ditior sit, quam *ro in Style*  
in verbis. *attenden-*

§. 34. Tandem vetant quoque regulæ *dum?*  
decori omnes logomachias, quo morbo *Logoma-*  
omnes quatuor facultates laborant, qui *chia ine-*  
vero eo magis evitandus, quia omnem ve- *pta.*  
ritatem obfuscat locoque ejus nil, nisi ineptias ac abstractiones Metaphysicas gignit. Illustrationis loco inspici saltem possunt ineptæ controversiæ inter nonnullos agitæ. Quis enim risum teneat, cum audit inter doctos disputari: fuerit ne piscis, qui Jonam deglutiit, mas an fæmina? quæ forma fuerit fibularum Romanarum? num Sacerdotibus barbas alere, & Episcopis annulos gestare conveniat? an hœdus tot pilos habeat, quod caper? & plura hujus farinae alia.

Conferti meretur elegantissimus Tract. Sam. Wehrenfelsii de logomachiis eruditorum.

§. 35. Imo ledimus hoc ipso morbo regulas quoque justis, si scil. odio prosequamur alios nostræ opinioni haud subscribentes; cum tamen is, qui veritatem serio amat, alium non odio, sed commiseratione dignum judicet, quem ab ea aberrare videt.

*Quomodo  
illis peccatur  
contra  
regg. Ju-  
sti.*

*Tertium  
Præceptum circa  
Sermonem.  
Usus hujus  
Præcepti.*

§. 36. Præceptum regularum justi est: Loquere aut tace, quoties aut tacendo, aut loquendo, aliorum jura læderentur.

§. 37. Abstinentum igitur ab omnibus convitiis, quibus fama aliorum læditur, cavendum ab omni dæmogagia, ab omni persecutione aliorum a nobis dissentientium, ab omni hæretificatione aliisque sexcentis hujus generis pluribus.

*De Verborum Significatione Reservationibusque mentalibus.*

§. 38. Vetant regulæ justi, ne in alia significatione verba adhibeamus, quam conventum est. Patet exinde, quod omnes reservationes mentales Jesuitarum pugnent contra regulas justi.

Confer. Montaltii literæ Provinciales.

*De Veritatis Cognitione necessaria.*

§. 39. Cum autem Jus Naturæ præcipue de veritate ipsa sit sollicitum, ante omnia jam inquirendum: quid sit veritas? Hac enim explicita via patet decisioni: utrum jus Naturæ exigat, ut semper verum dicatur?

*Veritatis diversus significatus ac Definitio.*

§. 40. Veritas ipsa diversimode sumitur: vel in sensu Metaphysico, quo nihil est aliud, quam affectio entis, quatenus id ad existentiam refertur; vel in sensu Logico, quo est affectio propositionis, quatenus id, quod de subjecto vel affirmamus vel negamus, revera cum eo convenit, s. re ipsa ita se habet; vel in sensu morali, quo nihil aliud denotat, quam con-

convenientiam sermonis aliorumque signorum externorum cum mente nostra. Et de hoc ultimo significato hic solum nobis sermo est.

§. 41. Huic veritati opponitur mendacium & falsiloquium. Illud vocamus, quando veritatem dicere omittimus, ubi alter jus habet illam a nobis exigendi; hoc vero, quatenus ex omissione veritatis nullius hominis jus læditur.

*Definitio Mendacii ac falsiloquii.*

§. 42. Quia autem hætenus demonstravimus, sermonem datum nobis esse ad promovendam nostram aliorumque felicitatem; hinc ultro sequitur, unicum hoc circa veritatem ipsam Jus Naturæ, tam late, quam stricte dictum, proferre Præceptum: Veritatem dic, quoties regulæ justæ & decori id exigunt, i. e. quoties alias aut aliorum commodum non promoveretur, aut jus eorum læderetur; & vice versa falsiloquio utere, quoties eadem regulæ id a te postulant.

*Præceptum J.N. de Veritate dicenda.*

§. 43. Patet exinde, quod non semper ad Veritatem dicendam simus obligati, & quod multo minus verum sit, quod omne falsiloquium sit contra Jus Naturæ. Nam si omne falsiloquium indecorum aut injustum esset, sequeretur: quod veritas dici debeat, quamvis & mihi & aliis sit noxia; quod vero absolum esse unusquisque

*Cur non omne falsiloquium sit illicitum?*

que facile apprehendit. Quis enim diceret: Medicum peccare contra Jus Naturæ falso nomine decipientem ægrotum, svavemque potum appellantem, qui tamen ingratus sit? Quis iniustitiæ alicujus accusare vellet eum, qui juveni cognitionem rerum venerarum expetenti loco veritatis falso quopiam responderet?

*Veritas in se indifferens quando sit bona?*

§. 44. Cui accedit, quod veritas etiam in sensu morali sua natura indifferens sit, atque num bona vel mala, an justa & licita sit, nec ne, ex eo solum dijudicari debeat: utrum cum regulis justis, decori ac honesti conveniat.

*Veritas cum celanda?*

§. 45. Imò obligant nos interdum tam regulæ decori, quam justis ad celandam veritatem falsumque proferendum. Nam maxima hominum pars ad veritatem dijudicandam haud est apta; multi veritate sibi nocent optimeque ipsis fuisset prospectum, si hæc vel illa veritas nunquam ad eorum aures pervenisset: requirit enim hæc res homines prudentes, neque sufficit verum dixisse, sed simul circumstantiæ: quando, ubi, quomodo, præprimis sunt attendendæ.

*De Abusu Veritatum.*

§. 46. Cæterum nulla Veritas tam salutaris est, qua malitia hominum non possit abuti, ut noxia evadat. Nonne salutaribus Veritatibus de libertate Christia-

na summopere rustici tempore Lutheri ad rebellionem abutebantur? Qualemne abusum vidimus ratione bonorum Operum cum tortura Sacrarum literarum ab hæreticis factam?

§. 47. Neque contradicit nobis S. <sup>Consensus</sup> Scriptura, sed potius ubique obvia sunt <sup>S.S. Pa-</sup> exempla, non tantum in eo Jus Naturæ <sup>trumque</sup> approbantia, sed & clare dilucideque <sup>cum J. N.</sup> ostendentia, dari falsiloquia licita ac <sup>circa falsi-</sup> loquia. <sup>permissa.</sup>

Ita probant hoc exempla, obstetricum, a quibus Rex Pharao frustra exigebat veritatem, item fæminæ Rahab speculatores Israëliticos occultantis, & alia plura. Quid? quod exemplum S. Athanasii ostendat, non omnes Ecclesiæ Patres falsiloquia quæque damnasse.

Conf. Jo. Clericus in Commentar. ad Genes. XII. 13. & ad Josuam II. 4. item in Questionibus Sacris quæst. XVII.

§. 48. Quod vero hætenus in Scholis <sup>Scholastico-</sup> aliter doctum nostraque sententia tan- <sup>rum & Au-</sup> quam periculosa fuerit accusata, unice <sup>gustini dis-</sup> auctoritati S. Augustini est adscriben- <sup>sensus.</sup> dum, utpote quæ plus valuit, quam omnis ratio ac ipsa S. Scriptura.

Quoad hanc nostram sententiam videri potest Grotius de J. B. & P. Lib. 3. c. 1. §. 10. sqq. Pufend. de J. N. & G. lib. 4. c. 1. §. 7. ibique Barbeyrac, item III. Thomassinus in Jurisprud. div. L. 2. c. 8. & in sum dament. J. N. & G. c. 1. Huber. de jure Civita-

Z

nis

ris L. 2. sect. 6. c. 2. n. 15. fqq. Noodt de formæ-  
mendandi doli mali c. 1. & 2. Contrariam au-  
tem sententiam fovent Placette, Pictetus, Horn-  
beck aliique. Confer. Abicht de Mendacii boni-  
tate & malitia.

*Confessa-  
ria nunnul-  
la,*

§. 49. Sequitur quoque inde: quod  
nemo ad veritatem dicendam juste nos  
cogere possit, quod erga hostes etiam  
falsiloquio uti liceat, quod celata veri-  
tas, aut falsiloquium prolatum nullam  
justam præbeat causam belli, nisi Pacto a-  
liquo jus exigendi a nobis veritatem sibi  
alter acquisiverit.

*Alia qua-  
dam Con-  
sectoria.*

§. 50. Nec mendacii reus haberi potest,  
qui Legibus civilibus a promisso servan-  
do absolvitur. Non itaque mentitur  
mulier, quæ fidejussit, postea vero excep-  
tionem Scti Vellejani aut Curatoris  
absentis opponit. Neque mendacii ac-  
cusari potest Mercator, qui merces suas  
generaliter laudat, eum in finem, ut ca-  
rius vendat: dependet enim ab arbitrio  
emtoris, an emere velit, nec ne.

*De licita  
Simulatione  
ac diffi-  
mulatione.*

§. 51. Eadem, quæ de Veritate, falsilo-  
quio ac mendacio diximus, jam appli-  
canda sunt ad simulationem atque diffi-  
mulationem; cum & hanc licitam inter-  
dum esse, ex iisdem principiis facile col-  
ligi queat. Cui igitur non teneor veri-  
tatem dicere, erga eum quoque diffimu-  
latione uti licet; quam veteres Romani  
do-

dolum appellarunt bonum, huncque do-  
lo malo opposuerunt.

§. 52. Exinde quoque judicari potest *Fictiones sunt licite.*  
de controversia Hobbesio, Pufendorffio  
que ab Alberto aliisque mota circa mo-  
ralitatem fictionum: nam & has licitas,  
imo interdum necessarias esse, nemo sa-  
næ mentis negabit. Quis enim nisi ra-  
tione plane destitutus contra justum &  
decorum esse assereret, fingere, dari Po-  
pulos, inter quos communio Bonorum  
sit in usu, fingere colloquium animalij-  
um? &c.

§. 53. Necessariam igitur artem fin- *Cureæ quæ-  
que neces-  
saria sint?*  
gendi esse, ex ipsa veritatum natura se-  
quitur. Nam multi sunt, qui veritates  
etiam utilissimas, si crude proferantur,  
ferre nequeunt; hinc, ut fictionibus in-  
volvantur, opus est. Ideo & ipse Chri-  
stus per similia docuit. De cætero re-  
servamus discursui: An Grotius recte si-  
milia ac Parabola nomine fabularum in-  
signiverit?

§. 54. Maxime vero hætenus agitata *Aureus de-  
lictum*  
est controversia: utrum reus delicti te-  
neatur sponte confiteri, aut a iudice quæ-  
situs salva conscientia crimen negare pos-  
sit? Quam negare studet Pufend. de J. N.  
& G. lib. 4. c. 1. §. 20. sqq. affirmit autem  
III. Thomasius in Jurispr. div. ac in fund.

J. N. & G. lib. 2. c. 8. Omnium optime indoles hujus controversiæ cognoscitur, si separemus regulas justæ ab illis, quæ ad decorum justumque pariter spectant, simul vero consideremus, quod tota hæc quæstio ad Statum libertatis plane non spectet, sed omnis satisfactio in solius damni restitutione cautionisque de non amplius lædendo præstatione consistat.

*Delicti confessionem non exigunt 1) regula honesti.*

§. 55. Regulæ igitur honesti in Statu Civitatis confessionem delicti prorsus hæud exigunt: respiciunt enim hæ ad solam animi quietem internam, nullamque aliam, quam obligationem internam involvunt. Huic vero satisfieri potest a delinquente, si seriam agat Pœnitentiam delicti commissi sibi serio proponat, ab omni læsione in futurum abstinere.

*2) nec Regula Decori.*

§. 56. Regulæ decori quod concernit hæc obligatio delinquentis ex illis prorsus deduci hæud potest. Nam quale præsto aliis humanitatis officium confitendo delictum commissum? quale scandalum præbeo occultando id, cujus auctor ignoratur? Cui accedit, quod in regulis decori suam habeat exceptionem casus necessitatis. Quid autem carius est vitæ conservatione?



§. 57. Videtur quidem ex regulis justitiae necessitas hujus Confessionis haud in dubium vocari posse. Dicunt enim Principem obligatum esse ad puniendum delinquentes, quod vero fieri nequeat, nisi delinquente ipso detecto, confessionemque hanc ipsius fluere ex pacto. Nam unumquemque subditorum promississe omnia illa facere, quae ad salutem ac felicitatem externam spectant; hanc autem sine executione poenarum frustra intendi a Magistratu.

§. 58. Verum Princeps obligatus quidem est in genere ad poenas a delinquentibus sumendas, salvo tamen jure aggravandi. Imo confitemur quidem Principem obligatum etiam ad inquisitionem, si scilicet delinquentem sciat, quod vero nimis anxie inquirere debeat, ignorat Jus Naturae atque saltem ad depravatum processum inquisitorum spectat. Et quamvis subditus ad poenas sustinendas & subeundum eas vi pacti sit obligatus, nulla tamen exinde ad confitendum delictum fluit obligatio, sed omnino quoque hic casus necessitatis, quo unusquisque pro vitae suae conservatione laborat, iterum parit exceptionem. Ergo sufficit in Statu Civitatis restitutio damni dati. Objicies: frustra nos exigere resti-

3) nec Regg.  
Justi, ubi  
formatur  
objectio.

Responsio  
ad Object.

tutionem damni, si cum eo ipso non occultum manere queat, dilictum a nobis esse commissum. Sed cogita: annon restitutio damni fieri possit vel transactione, vel satisfactione per amicos læso facta, occultato tamen delinquentis nomine?

## CAP. IX.

De

# Officio jurantium.

§. I.

*Juramenti  
accessorii,  
Sermonis  
Pactique  
Definitio.*

**S**ERMONI Pactisque interdum adjici solet Juramentum, non alium in finem, quam ut eo ipso sanctius aliquod vinculum eis accedat. Nam Juramentum est nihil aliud, quam talis assertio, qua fidem iis facimus, qui promissioni atque assertioni nostræ diffidunt, Deo in testimonium Veritatis invocato.

*Cur Jura-  
menta sine  
necessaria?*

§. 2. Si omnes homines essent sapientes, i. e. secundum regulas justitiae, decori ac honesti suas instituerent actiones, plane carere possemus omnibus Juramentis. Quid enim opus esset cautione, si unusquisque interne se obligatum ad pacta servanda haberet, si nemo alterum

rum læderet semperque observaretur illud: Quod tibi non vis fieri, nec alteri facito? Cum vero corrupta sit Natura humana, magisque ad lædendos alios fidemque datam frangendam inclinet; hinc nullum est dubium, quin & Juramenta introduci debuerint, maximeque ad felicitatem externam hujus, in quo vivimus, status, sint necessaria.

§. 3. Utrum licita sint Juramenta, ne *Eadem* quidem opus esset inquirere, nisi inveni-<sup>sunt licita.</sup> rentur, qui auctoritate S. Scripturæ nixi <sup>nec contra</sup> aut illa prorsus rejiciant, a) aut inter Jusjurandum assertorium & promissorium distinguant, b) illudque pro permisso, hoc autem pro prohibito habeant. Natura enim Juramenti nihil involvit, quod cum regulis justi decori ac honesti pugnet: Dicta vero S. Scripturæ nil minus quam hæc juramenta impugnant. c)

a) v. g. Anabaptistæ. Conferri potest Dn. Rud-  
dei diff. de Concordia Religionis Christianæ  
Statusque civilis c. 6. §. 6.

b) Hanc distinctionem profert Grotius de J. B.  
& P. lib. 2. c. 19. §. 21. Sed vid. ad c. 1. Osiander.

c) Conf. Ill. Thomasius in Jurispr. div. L. 2. c. 9.  
§. 4. sq. Aliter sentire videtur J. S. Strykius in  
Diff. de eo, quod injustum est circa juramenta  
extrajudicialia.

*Frequentia  
ac temeri-  
tas jurandi  
illicita.*

§. 4. Aliud autem omnino dicendum de frequentia Juramentorum in nostris foris, quæ omnino regulis decori honestique repugnare videtur ac optandum, ut frænum ei injiceretur. Quin etiam apud omnes gentes temeritas Juramentorum ad profanationem Nominis divini fuit relata, ita, ut nulla fere gens reperitur, apud quam necessitas Juramentorum in testimoniis dicendis fuerit exacta. Confirmant hoc mores tam Judæorum, quam Romanorum. Quod vero sub Christianis Imperatoribus originem sumserit regula: Non credendum esse testi injurato; satis superque demonstravit Ill. Thomafius in diff. de fide Juridica.

*Hæc ju-  
randi fre-  
quentia or-  
ta ex Pa-  
pato.*

§. 5. Arcanum Papatus sub his principiis latuisse, non opus est, ut moneamus; cum clare id elucescat ex natura Juramentorum, uti in Jure Canon: nobis describitur. Nam cum in hoc Pontifices fundamento posuerint, Juramenta spectare ad forum internum, facile sub hoc prætextu omnia negotia civilia perduxerunt ad forum Ecclesiasticum; atque exinde infiniti alii propullulacunt errores, quos omnes recensere hujus loci haud esse arbitror.

Conf. Ill. Thomafius in not. ad Lancell. Instit. Jur. Canon. l. 3. not. 185. p. 139. (99. in Diff. de emen-

emendandis quibusdam litium protractionibus in materia Juramenti &c. §. 6. sqq. it in adject. Melchioris von Offe Testament. ad An. 1607. p. 245. sqq. Arnolds Reher-Historie P. 2. p. 208. §. 6. sqq. & Observ. Hall. Tom. I. Obs. 24. §. 32. & Tom. 2. Obs. 2. §. 68. sqq.

§. 6. Varie dividuntur Juramenta, ni- *De inutili-*  
mirum in promissorium vel assertorium, *bus Jura-*  
in Judiciale vel extrajudiciale, in volun- *mentorum*  
tarium vel necessarium, in purgatorium *Divisioni-*  
vel suppletorium, & alia plura. Sed om- *bus.*  
nino assentior Hobbesio unicum sal-  
tem Juramentum, nempe promissorium  
adstruente: nam reliqua sunt diversæ  
duntaxat denominationes. Utrum alias  
detur Juramentum suppletorium, ambi-  
gunt nonnulli doctorum. Sed ipsos cir-  
ca λογωμαχίαν versari, facile mihi persua-  
deo.

§. 7. Naturam Juramenti ipsam si con- *Juramen-*  
sideremus, patet eum in finem illud ad- *ti finis,*  
hiberi, quo fidem faciamus iis, qui alias *quisnam?*  
promissionibus nostris haud confidunt.  
Ex quo elucescit, quod Juramentum  
non specialem pariat obligationem, non  
nova exigit præcepta, non mutet natu-  
ram negotii ipsius, cui adhibetur, sed  
tanquam accessorium contractibus aliis-  
que negotiis humanis adhibeatur, ita, ut  
& hic locum inveniat regula: Quod ac-  
ces-

cessorium sequatur naturam principa-  
lis.

*De Jureju-  
rando 1) su-  
per re illi-  
cita.*

§. 8. Inde omnia, quæ in materia Pa-  
ctorum observavimus, hic sunt repeten-  
da. Non itaque valet jusjurandum super  
re illicita præstitum, ita, ut nihil inter-  
sit, s. vitium' rei veniat ex legibus natu-  
ralibus, s. ex legibus positivis. Nam fir-  
ma manet regula: Quodcunque Jus &  
divinum & humanum invalidum atque  
illicitum declarat, id Juramento adhibi-  
to neque validum, neque licitum, reddi  
potest.

§. 9. Neque alicujus momenti est limi-  
tatio Grotiana lib. 2. c. 13. §. 7. de J. B. &  
P. scil. modo non impediatur majus bo-  
num morale. Nam exempla ab eo alla-  
ta spectant quidem saltem ad officia hu-  
manitatis; sed notum est, quod & ho-  
rum neglectu peccemus, non quidem  
contra Jus Naturæ strictum, bene tamen  
contra late sic dictum, adeoque talia omit-  
tere interne simus obligati.

Vid. Pufendorf. J. N. & G. lib. 4. c. 2. §. 10. &  
Ill. Thomasius in Jurispr. div. L. 2. c. 9. §.  
20. sqq.

*2) super re  
in se im-  
possibili.*

§. 10. Multo minus Juramentum pro-  
ducit obligationem super re sua natura  
impossibili præstitum. Si enim rem im-  
possibilem alteri nude promiserim, ipso  
jure

jure nulla atque invalida habetur promissio: Cur igitur obligares adhibito juramento, quod naturam promissionis saltem assumit?

§. 11. In Promissionibus si deficit ac-<sup>In Jura-</sup>ceptatio, nullum adest promissum, nul-<sup>mentis &</sup>laque obligatio; quod eodem modo se<sup>Promissis</sup> habet in Juramentis necessario ad suam<sup>requiritur</sup> validitatem alterius acceptionem desi-<sup>1) Accepta-</sup>derantibus.<sup>tio.</sup>

§. 12. In Pactis adesse debet consensus: <sup>2) Consen-</sup>hinc nullum est dubium, quod omnia<sup>sus.</sup> quoque juramenta propter ætatis defectum, dolum, errorem, metum, plane pro invalidis debeant haberi; quod ex negotio sub conditione inito non possit reddere purum; quod haud excludant conditiones, quæ omni negotio naturaliter insunt: Multo minus efficere possunt, ut jus quæsitum alteri rursus possit auferri. Haud tamen negandum, quod & leges civiles majorem virtutem ac efficaciam juramenti, quam nudis Promissionibus possint concedere. Ita jubere potest Princeps, ut juramentum minorennium, mulierum in casu fidejussionis &c. validum reddat negotium, quod alias nullam involveret obligationem.

§. 13. Agnoscunt quidem alii omnia<sup>In Jura-</sup> Juramenta pro validis, quamvis dolo<sup>mentis Deo</sup> me-<sup>nihil pro-</sup>mittitur.<sup>mittitur.</sup>

metuque sint inita, hac ratione ducti, quod in omni Juramento Deo aliquid promittatur. Sed falsum esse ex ipsa Juramentorum natura patet: horum enim formulæ satis superque declarant, Deum ut testem saltem invocari: Nunquam autem testis jus aliquod ex negotio, cui adhibitus fuit, sibi acquirit. Neque obstat Juramentum Gibeonitis præstitum: nam sine dubio Josua promissionem hanc tanquam licitum quid, servasset, nullo quoque adhibito juramento.

Conf. Clericus in Comment. ad Jos. XXI. l. sq.

*De Jura-  
mentis 1)  
per res no-  
bis charis-  
simas.*

§. 14. Cum itaque Numen divinum, tanquam testis ac vindex, invocetur, non potest non hac ipsa invocatione omniscium atque omnipotens haberi ab iis, qui jurant. Non tamen, ut prohibita, rejici debent illa Juramenta, quibus per genium Principis, per id, quod nobis charissimum est, jurarunt: non enim divinum quid Principi reliquisque rebus adscribitur, sed saltem in his rebus, tanquam sibi charissimis, ultionem expetunt. Sunt autem talia Juramenta tacita, quæ eandem tamen, quam expressa, producant obligationem.

*2) per res  
vilissimas:*

§. 15. Juramenta per vilissimas creaturas quod concernit, quo spectant juramenta Socratis per canem, anserem, Ze-  
no-



nonis per capparim &c. non peccant quidem contra Jus naturæ strictum, quodammodo tamen contra regulas decori.

§. 16. Effectus juramenti in eo consistit, ut id, quod juramento promissimus, debeat *De Effectibus Juramenti.* servari, quod omnis cavillatio, omnis fraudulenta interpretatio dolusque ab omni Juramento abesse debeat, non quidem hanc ob causam; quod sit juramentum, sed quia in omnibus Promissionibus eodem modo se res habet.

§. 17. Atque hinc in Juramentis non novæ interpretandi regulæ sunt expectandæ, & absolum est dicere: Juramenta in odium alterius concepta nullam aliam, quam strictam, admittere interpretationem. Dic enim potius: ad mentem illius, qui Juramentum defert, respiciendum esse; quia alias finis jurisjurandi haud posset obtineri. Præterea, cum juramentum sit accessorium, semper considerandum: utrum negotium sine juramento validum fuisset, nec ne? Priori in casu nullam admittit interpretationem aliam, quam quæ convenit menti atque intentioni jurantis: posteriori vero casu non opus est aliqua interpretatione; cum illud ipso jure sit inefficax invalidumque, ac jurantem haud obstringens.

§. 18. Et ita facile judicari poterit de *De eodem* ex-

exemplis ab Ill. Thomasio in Jurispr. diy. L. 2. c. 9. §. 15. sqq. Pufendorffio aliisque allatis. Statim enim obvium est, quod in his omnibus tali interpretatione plane non opus fuerit; cum sua natura sint injusta, atque jurantes quidem impii extiterint, sed ex hoc tamen haud sequitur obligatio ad pactum servandum.

*Cur pejerans peccet gravius, quam nude promittens?*

§. 19. Licet autem jusjurandum haud peculiare producat effectus, non tamen negandum, gravius peccare pejerantem, quam nude promittentem. Nam hic violat modo regulas justitiæ, ille vero simul peccat contra reverentiam, quam divino Numini debet, nullumque adeo dubium est, quin in Statu Civitatis atrociori pœna perjurya possint coërceri.

*Alia differentia Juramenti & Promissio nudo.*

§. 20. Est tamen in eo differentia quoque inter promissionem nude factam ac juramento confirmatam: quod illa etiam hæredes obliget, ita, ut hi a promissione sui antecessoris, salvis regulis justitiæ, recedere nequeant; hæc vero hæredes non obliget, sed, licet hi a juramento antecessoris sui recedant, tanquam perjuri tamen considerari nequeant. Sine ratione itaque dissentit Hertius in Notis ad Pufend. de J. B. & G. lib. 4. c. 2. §. 17.

Conf. Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 16. §. 4. & L. 3. c. 19. §. 8. Barbeyrac ad Pufend. c. 1. Bodinus de republ. lib. 5. c. ult.

§. 21.

§. 21. Neque differunt Juramenta a *De Relaxa-*  
 promissionibus nudis quoad relaxatio- *tione Jura-*  
 nem s. dispensationem, sed ab illis sine *menti*  
 nota perjurii recedere possunt contrahen-  
 tes. Imo potest & princeps non solum  
 prohibere, ne ulli contractui adjici pos-  
 sit juramentum, (uti talis ordinatio in re-  
 gno Lusitaniæ est) sed quoque, si reipubl.  
 utilitas id exigat, remittere atque ab o-  
 mni vinculo juramenti subditos suos li-  
 berare s. relaxare potest, ita, ut subditi ne  
 in conscientia quidem ad jusjurandum  
 servandum sint obligati. Videmus ergo  
 in eo arcanum Papatus, quod Pontifex  
 Ramanus sibi soli arroget sumatque jus di-  
 spensandi circa Juramenta Principum ac  
 Regum.

Vid. Henniges ad Grotium p. 665. & Kemmeri-  
 chii Disp. de hoc argumento.

§. 22. Dantur & aliæ Promissiones in- *De Promis-*  
 ter gentes loco Juramenti receptæ v. g. *sis loco Ju-*  
 si Princeps promittat bey seinem fürstli- *ramenti re-*  
 chen Worten, quæ omnem vim obligan- *ceptis.*  
 di involvunt, non ex ratione speciali a  
 Persona promittentis aut consuetudine  
 speciali desumpta, sed quod omnia Pro-  
 missa secundum regulas justæ sunt ser-  
 vanda.

§. 23. Natura Juramenti itaque inspe- *Præceptum*  
 cta facile erit jam formare Præcepta. Pri- *De circa Ju-*  
 mum *ramenta.*

num igitur Præceptum est, quod fluit ex regulis justî: Veritatem loquere.

2) *Præceptum.*

§. 24. Alterum Præceptum est: Promissa Juramento confirmata serva; quod rursus fluit ex regulis justî. Eo ipso enim, dum fidem juratam fallimus, perjurium committimus, quod sine alterius læsione vix fieri potest.

3) *Præceptum.*

§. 25. Tertium Præceptum est: Non temere est jurandum; quod ex regulis honesti atque decori fluit. Est enim abusus Nominis divini & indicium hominis parum prudentis.

4) *Præceptum & de Juramento athei.*

§. 26. Quartum Præceptum est: Ne juretur, nisi per Deum; de qua re jam supra egimus. Interim quæritur: An juramentum athei verum sit juramentum? quod alii affirmant, a) alii dubitant, b) & alii negant. c) Negantium sententiæ & ego accedo. Nam injuste agit, qui Numen divinum in testem & vindicem invocat, cujus existentiam negat, alios decipiendi causa, non tamen committit perjurium.

a) Vid. Textor in S. J. G. cap. 7. n. 13. fqq.

b) Vid. Kulpisii Collegium Grotian. p. 88. lit. r.

c) Vid. Hobbesius de Cive c. 2. §. 21.

*Consecrari- am de Juramenti per falsos Deos.*

§. 27. Qui verum Deum credit & per falsos tamen Deos jurat, temerarius atque ineptus est, idololatriam committit violatque regulas justî, decori ac honesti.

Vid.

Vid. Schwertneri Diss. de Juramento per falsos Deos.

§. 28. Tandem etiam exigit Jus Naturæ: Non temere Juramentum esse possendum. Hinc oritur Quæstio: an liceat ei deferre juramentum, quem pejeraturum esse scimus? Alii in genere negativam tuentur; alii autem distinguere solent inter Judicem & litigantem; illum autumant impune hoc facere posse, hunc vero omnino peccare. a) Nituntur dissentientes dictis Augustini allegatis Can. 5. c. 22. qu. 3. & Can. 6. cod. b) Verum omnes inepte ratiocinantur. Defertur enim Juramentum propter futura, quæ nunquam certo scimus, sed saltem credimus cum spe aut metu. Non potest autem spes, vel metus adesse, ubi ob scientiam de criminis alieni imputatione agitur. Et licet dicere velis hic talem præsupponendum esse casum, ubi deferens simul sciat, alterum esse pejeraturum; hoc tamen etiam concessio nulla inde sequitur scientia absoluta, sed saltem conditionata. Scientia vero conditionata non est vera scientia, imo haud meretur nomen scientiæ, neque à deo alteri ut crimen potest imputari.

a) Vid. Jo. Sam. Strykii Diss. de hac materia § 10.

b) Vid. Ill. Thomasil Diss. de emendandis quibusdam litium protractionibus in materia Juramenti parti a parte in Judicio delati § 9.

*Obiectio de  
Juramen-  
tis infide-  
lium.*

§. 29. Ventilatur etiam Quæstio admodum gravis: An liceat exigere Juramentum ab infideli, quod ipse præstet per falsos Deos? Quam Quæstionem non pauci negant, a) persuasi, eum, qui per falsos Deos jurat, committere idololatriam &, qui id defert, eo ipso illam approbare, seque proinde ejusdem delicti facere participem.

a) Vid. Placette in Tract. Gall. du Serment.

*Responsio  
ad Obiect.*

§. 30. Verum nullam video rationem accusandi deferentem alicujus injustitiæ. Nam Juramentum est actus civilis, est cautio, quam ab altero exigo, ac frustra intenditur finis jurisjurandi, si præstetur per eum, quem neque credit, neque metuit. Frustra quoque argumentamur a permissione & tolerantia ad rei approbationem. Quis enim ignorat, multa tolerari in republ. tam majoris mali evitandi, quam imbecillitatis stultitiæque hominum causa, quæ tamen neque Magistratus, neque alius prudens approbat?

Conf. Ill. Thomasi Jurispr. div. c. 9. §. XII, sqq. & Barbeyrac ad Pufend, Jus Nat. & Geno lib. 4. c. 2, §. 4.

CAP.

CAPUT X.

De

Officiis circa res & earum  
dominium.

§. 1.

**D**Eum hominibus dominium ac pote- *De Domi-  
nio Hominis  
in bruta.*  
statem in omnia animalia concessisse, nemo in dubium vocare potest, quam qui structuram hominis finemque quem Numen divinum cum eo intendit, ignorat.

§. 2. Cum enim Deus hominem eum *Cur ipsum  
ac quous-  
que concessit?*  
in finem produxerit, ut feliciter ac diu viveret, media etiam simul hunc finem obtinendi porrexit, voluitque, ut uteretur Creaturis; quam voluntatem quoque expressis verbis per sacras literas declaravit Genes. I. v. 26. 30. Hanc concessionem etiam ad interfectionem animalium a Deo fuisse extensam, satis superque colligere licet ex Genes. IX. v. I. sqq.

§. 3. An esus sanguinis licitus sit, multum dissentitur. Integræ de hac materia extant Exercitationes Bartholini, *Esus Carnis  
Baltholomæi  
guinisque  
an licitus?*  
Hannækenii aliorumque. Est quidem

A 2 2

esus

ejus prohibitio facta saltem lege positiva, non tamen omni ratione morali destituta. Ita & esus carnis licitus est, utrum vero conducat & num ante diluuium jam fuerit usitatus, hic excutere abludivit a nostro scopo. Interim conferri potest Erasmus de esu carnis, Seldenus de Jure Nat. & Gent. secundum Disciplinam Ebraeorum lib. 7. c. 1. p. 829. Fleury in Tract. Gall. des mœurs des Israëlites p. 72. Clericus in Comment. ad Levit XI. v. 2.

1) *Præceptum de usu Creaturarum.*

§. 4. Postquam vero hactenus ad nauseam usque demonstratum est, neque diu neque feliciter vitam nostram transigi posse, nisi ob oculos positis regulis justis, honestis atque decori; hinc Jus Naturæ, tam late quam stricte dictum, triplex porrigit Præceptum. Primum est: Ita utendum esse Creaturis, ut per istum usum non lædamus regulas honesti.

*Horum ergo abusus vitandus.*

§. 5. Hinc animalibus non utendum ad luxum, ambitionem atque avaritiam. Et licet brutis ipsis nulla debeamus officia, nullum tamen est dubium, quod in ea crudeles haud esse debeamus & quod ex eorum usu de temperamento hominis possit judicari, ac non sine ratione argumentari liceat a crudelitate erga bruta ad crudelitatem erga homines quoque.

§. 6.



§. 6. Alterum Præceptum, quod ex <sup>2) Præceptum de ut</sup> regulis decori fuit, est: Ita utere Crea- <sup>sur Creaturæ</sup> turis, ut aliorum utilitatem, quantum <sup>raum,</sup> commode potes, iis promoveas. Jubet igitur hoc præceptum nos rebus nostris uti moderate & ita, ut omnem evitemus protervitatem. Et quamvis liberrimum circa res nostras arbitrium retineamus, sic tamen in iis versari nos oportet, ut cogitemus, nos saltem esse administratores & rationibus reddendis obstrictos, atque præter nos alios quoque debere vivere.

§. 7. Tertium Præceptum est, quod ex <sup>2) Præceptum de</sup> regulis justis nascitur, Ita utere Creaturis, <sup>eodem Crp-</sup> ut alios isto usu non lædas. Quomodo <sup>aturacum</sup> autem hoc fieri debeat, uberius jam su- <sup>usu</sup> pra monstravimus.

§. 8. Erant vero res omnes ab initio <sup>De Rebus</sup> nullius & unicuique æquale jus rebus <sup>nullius,</sup> creatis utendi competeat. Res itaque apprehensa usibusque meis applicata mihi amplius auferri non poterat. Et nullum remanet dubium, magna hujus status extitisse emolumenta. Nam quid melius, quam ubique deprehendere posse, quod tuum est, imo omnibus rebus, tanquam in nostro patrimonio existentibus, uti fruique?

Abstinemus merito ob *λογωμαχίας* a termino communionis tam negative, quam positive.

A a 2

Prio-

Priorem defendit Grotius L. 2. de J. B. & P. c. 3. § 1. sqq. Gras Winckel, p. 116. Huber in Digressi. P. I. L. 2. c. 2. Seldenus de mar. claus. L. I. c. 4. Bynckershoeck de dominio Maris c. 1. Positivam vero tuetur Pufend. de J. N. & G. L. 4. c. 4. § 5. Ill. Thomassius in Jurisprud. div. L. 2. c. 10. § 44. sqq.

*Causa in-  
producta  
proprietatis  
rerum.*

§. 9. Verum non duravit diu hic status, cum partim copia hominum, partim passiones vitiosæ proprietatem introducendi ansam præbuerunt. Nam raro communio erit sine rixa. Voluptuosi labores metuunt, commoditati student aliisque hac ratione fiunt intolerabiles; avari nihil magis quærunt, quam proprietatem; & hanc ipsam ambitiosi pariter intendunt, ad imperium, dignitates honoresque consequendos. Accedit, quod copia hominum exegerit culturam terræ, cui paucissimi incumbere, si omnibus promiscue facultas rebus utendi competeret.

*Diverse  
Sententie  
de origine*

§. 10. Domini hujus originem a Pactis multi derivant, a) quod scil. unicuique assignatum fuisset, quod industria & cultura sua producere potuisset. Alii b) autumant, dominium singulare & definitum immediate a Deo constitutum esse. Et rursus alii c) asserere non erubescunt, Europam, Asiam, Africam tribus Noachi filiis assignatam, vel Abeli mobilia, Caino

Caino immobilia concessa fuisse. Imo & nonnulli d) ex lege civili omnia dominia repetenda esse contendunt.

a) Vid. Pufend. d J. N. & G. L. IV. c. 4. §. 4.

b) Vid. Valentin. Alberti in Compend. Jur. Nat. P. 2. c. 7. §. 14. & 29. Jo. Henr. Boecler. ad Grot L. 2. c. 2 p. 38.

c) Hæc hypothesis nititur auctoritate Josephi, Sulpitii Severi & Cedreni. Conf. Ill. Thomasius de orig. Success. Testament. §. 28. lit. K. Seldenus de Successione in Bona defuncti c. 24. it. Essens mengers entdecktes Judenthum P. I. p. 320. sq.

d) Vid. Bynckershoeck de dominio Maris c. 1. P. 3.

§. 11. Rectius hujus domini particula-  
ris originem ex facto hominis deduce-  
mus. Consistit vero hoc factum in oc-  
cupatione. Nam homines hanc occu-  
pationem successive tentare potuisse ex  
concessione Dei donantis sufficienter pa-  
tet, ita, ut aliorum consensu plane non  
fuerit opus; cum & idem jus aliis re-  
spectu reliquarum rerum adhuc su-  
perstitum eodem modo competat.  
Postea alii adhuc modi domini acqui-  
rendi accesserunt.

*Sententia  
Auctoris de  
Domini  
origine.*

Fufius hoc pertractavit Titius. ad Pufend. de  
Offic. Hom. & Ciu. L. I. c. 12. obs. 278. consentit  
etiam Lock in Tract. Gall. du Gouvernement ci-  
vil lib. 2. c. 4. & Barbeyrac ad Pufend. de J. N.  
& G. L. 4. c. 4. §. 4. not. 4.

§. 12. Est vero dominum nihil aliud,  
quam jus disponendi pro lubitu de usu

*Domini  
Definitio  
& requisita.*

rei cum exclusione aliorum. Res itaque, cujus dominium acquirere intendimus, ita debet esse comparata, ut non solum possit custodiri, sed & ut non sit usus inexhausti; Quæ igitur his qualitatibus non gaudent, non capaces sunt domini, sed manent res nullius: hinc neque Oceanus, neque aer, neque lumen, neque calor Solis sunt in domino.

*Bynckers-  
hoekii dis-  
sensus circa  
Dominium  
Oceanii.*

§. 13. Ex alia ratione Oceanum domi-  
nio exemptum esse ostendere annititur  
Bynckershoekius, nempe non eam ob  
causam, quod non possit occupari, sed  
quod retineri nequeat, neque unquam  
sit retentus. Itaque tota res eo redit: u-  
trum possessio jure Gentium solo animo  
possit retineri? Enimvero sicut ad ac-  
quirendam possessionem non sola incu-  
batio corporalis sufficit, sed præcipue a-  
nimus sibi habendi requiritur: ita natu-  
rale est, ut nec possessio amittatur, sola  
desertione incubationis sine animo dere-  
linquendi; necessario igitur sola animo  
retinebitur. Causa, quæ doctissimum  
Belgam ad hoc ratiocinium impulit, ea  
fuit, quod secundum Jurisprudentiam  
Rom: in casibus dubiis dominium amis-  
sione possessionis corporalis amittatur,  
sed tamen propterea inferri non potest,  
quod semper amissa detentione corpo-  
rali

rali possessio quoque amittatur; quod uberius deduxit Ill. Thomasius ad Huber. de Jur. Civitat. lib. 2. Sect. 4. c. 2. n. 43. lit. X.

§. 14. Quod autem de vasto Oceano *Mare quod diximus*, ad mare, quod Terras alluit *tenus sit in* atque munimenti instar est, applicari *Dominio*, nequit. Hac enim una cum littoribus certam aliquam rempubl. sibi asserere posse, nemo dubitabit.

§. 15. Idem dicendum de aëre, lumine, *De Domi-* calore Solis. Nam quoad usum, quem *nio aëris,* hominibus præbent, semper ut accesso *luminis* rium terræ aut aquæ, considerari de- *&c.* bent. Aër itaque qui est super terram vel aquam occupatam, ejusdem est conditionis, cujus est ipsa Terra atque aqua i. e. is, qui super toto territorio est in dominio Principis s. in dominio privati, scil. quoad particulam istam aëris, quæ super fundo spirat privatorum.

§. 16. Illud vero quod occupavimus & *De Domi-* quod jam possidemus, etiam cum plenif- *nio rei oc-* simo effectu ad nos spectat, ita ut omnem *cupata aut* utilitatem ex re percipere eaque etiam *possessæ.* abuti queamus; quinimo id ex dominio consequimur, ut rem a quocunque possessore vindicare hocque nostrum dominium in alterum transferre possimus.

§. 17. Ex hac libertate transferendi do- *De Domi-* minii auit, quod vel dominium plenum, *nio plene* ac minus

A a §

vel

*pleno ba-  
jusque Sub-  
divisione.* vel minus plenum possimus retinere. Est  
autem dominium minus plenum, quan-  
do cum alio quopiam dominium dividi-  
mus. Et inde oritur dominium vel di-  
rectum, vel utile; quod iterum vel di-  
spositione legum civilium, vel conven-  
tionibus, variis modis alterari potest, ita,  
ut exinde orientur feuda, emphyteusis,  
superficies &c.

*De Trans-  
latione Ju-  
ris utendi* §. 18. Imo & Jus utendi potest trans-  
ferri; quod fit vel ad concedentis bene-  
placitum, vel ad vitam accipientis, vel ad  
certum tempus. Illud si gratuitum est,  
vocatur precarium.

*De Domi-  
nio ad cer-  
tum tem-  
pus.* §. 19. Quod ad certum tempus fit, vel  
gratis fieri solet, vel determinata certa  
mercede. Illud appellatur commodata-  
tum; hoc locatio conductio.

*De Conces-  
sione ad vi-  
tam acci-  
pientis s.  
servitute  
personali.* §. 20. Concessionem ad vitam accipi-  
entis quod attinet, vocatur illa Jure Ro-  
mano servitus personalis, cujus species  
vulgo habentur usufructus, usus & habi-  
tatio; licet & plures adhuc possint addi.

*Differen-  
tia usus  
fructus, u-  
sus & Ha-  
bitationis.* §. 21. Servitutes has si consideremus,  
non nisi gradu differre videntur. Usus  
fructus enim continet jus omnem utilita-  
tem ex re, salva tamen substantia, perci-  
piendi. Usus saltem restrictus est ad ne-  
cessitatem. Habitatio plus involvit usu,  
minus vero usufructu. Quæ omnia ta-  
men

men ita sunt comparata, ut Legibus civilibus determinari ac mutari queant; atque hinc non solum in rebus non fungibilibus, sed etiam fungibilibus possunt constitui, ita, ut & verus & quasi-ususfructus exinde oriatur.

§. 22. Quin etiam aliæ adhuc juris circa res nostras nobis competentis particularæ in alios possunt transferri, nempe servitus realis, pignus, hypotheca &c. *De Trans- latione Ser- vitutis real- is.*

§. 23. Servitus realis est jus in re aliena ad alterius Prædii utilitatem constitutum; ad quam jure Romano requiritur, ut dominus rei servientis vel aliquid pateretur, vel ommitteret, ita, ut in faciendo servitus constitui haut potuerit: quod vero neque in Jure Naturæ fundatum, neque a Romanis ipsis ubique observatum fuit. *Servitutis realis Defini- tio, re- quisi- ta di- versa que nomina.* a) Est autem unica saltem servitus realis, quæ diversas modo accipit denominationes. Ita dantur servitutes rusticæ, urbanæ, affirmativæ, negativæ &c.

a) Vid. Titii & Gerhards Diff. de Servitute in faciendo &c. §. 24.

§. 24. Pignus solum in retentione rei concessaque possessione in crediti securitatem consistit; Hypotheca vero in sola rei obligatione sine possessione translata. *Differentia Pignoris ac Hypothe- cæ.* De quibus autem reliquisque Juribus personalibus in Cap. de Pretio acturi sumus. §. 25.

*De Modo**acquirendi  
per occupa-  
tionem.*

§. 25. Quia vero unicus modus acquirendi originarius est, puta occupatio; hinc paulo accuratius & hæc erit consideranda. Occupatio est rei nullius apprehensio, animo habendi facta.

*Requisita**Occupatio-  
nis,*

§. 26. Requiritur ergo ad eam res nullius i. e. dominio quidem destinata, sed ei nondum subjecta, aut tamen iterum derelicta. Statim itaque, quando alicuius esse incepit, non amplius potest occupari.

*Eius Defi-  
nitio.*

§. 27. Quare occupatio est nihil aliud, quam medium, quo voluntatem acquirendi rem eamque mihi retinendi aliis saltem declaro; inde evenit, ut alii quoque actus, quibus voluntas nostra indicatur, ejusdem sint efficaciz, atque Occupatio ipsa.

*Ipsius Di-  
stinctio imu-  
tilis.*

§. 28. Non igitur opus est, ut cum aliis distinguamus inter Occupationem rerum mobilium, immobilium & se moventium; cum Occupatio præ aliis actibus animum habendi declarantibus nullam habeat prærogativam.

*De Acquisi-  
tione feræ  
bestiæ.*

§. 29. Recte itaque sensit Trebatius in L. 5. §. 1. D. de A. R. D. qui ad acquisitionem feræ bestiæ solam vulnerationem ac persecutionem habuit sufficientem, ita, ut contraria sententia in §. 13. Instit. de R. D. ad Jus Roman. positivum pertineat.

§. 30.



§. 30. Ita Pisces, qui in stagno meo sunt, *De Domi-*  
 ad me spectant: ita feræ, quæ in Sylvis *nio Pisci-*  
 circumseptis versantur, meæ sunt. Inde *um, fera-*  
 etiam fit, ut, si plures circa rem acquiren- *rumque be-*  
 dam concurrant, neque visus, neque oc- *stiarum.*  
 cupatio, uni tribuat dominium, sed potius  
 res illa omnibus fiat communis.

Vid. Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 8. §. 1. Dis-  
 sentit Nerva in L. 3. §. 14. de A. A. P. Sed. vid.  
 & Noodt in observat. Jur. L. 1. c. 11. Pufend. L.  
 4. c. 6. §. 11. & 7. de J. N. & G.

§. 31. Occupatio est duplex, vel princi- *Occupatio-*  
 palis, vel accessoria. Illam hæcenus de- *nis Divisio*  
 scripsimus exemplisq; illustravimus. Hæc *& in spe-*  
 est, quando res nullius alteri alicui acce- *cie accesso-*  
 dens acquiritur. Quæ occurrit in foetu *ria Defini-*  
 animalium, si scil. utrumque animal no- *tio.*  
 strum est, & alterius dominus consentit in  
 acquisitionem 2. in Alluvione. 3. in ter-  
 ræ adjectione cum coalitione conjuncta.  
 Prior enim dominus aut ignoratur, aut  
 rem suam per tantum tempus dereliquit  
 se videtur. 4. in nativitate Insulæ 5. in al-  
 veo derelicto. Ubi tamen simul notan-  
 dum, omnino æquitatis naturalis esse, si  
 flumen per agrum alterius novum alve-  
 um effecerit eumque is postea rursus de-  
 reliquerit, ut priori domino, si hic appa-  
 reat, sit restituendus. 6. in thesauro, in  
 missilibus, in gemmis &c.

§. 32.

*De Domi-  
nio Agri in  
alienum A-  
grum  
translati.*

§. 32. Ita quæritur quoque: Ad quem spectet ager terræ motu in alienum agrum translatus? Huberus ei dominium adscribit, cujus agro accessit. Sed æquitati magis convenire videtur, agrum fieri communem: Nam alias unus solus sentire deberet damnum.

Confer. Huber. in Digress. P. I. tit. 4. c. 22.

*Dominium  
rei princi-  
palis & ac-  
cessoria  
conjugen-  
dum.*

§. 33. In his autem omnibus semper præcipue considerandum est, quisnam sit dominus rei principalis. Si enim ejus dominium ad privatum spectat, & ei etiam acquiritur res accessoria; si spectat ad Principem, s. ad rempubl. tum & ei res accessoria acquiritur.

*Modus  
transfe-  
rendi deri-  
vativus  
quid &  
quotuplex?*

§. 34. Non vero tantum res occupamus, sed etiam jam occupatas in alios iterum transferimus. Qua de causa nunc de modis transferendi derivativis agamus. Consistit hic modus in declaratione voluntatis domini; quæ est vel expressa, vel tacita.

*Voluntatis  
Declaratio  
expressa  
quot modis  
fiat?*

§. 35. Expressa vel solis verbis declaratur, vel verbis quidem, sed accedente traditione simul.

*Traditio-  
nis Defini-  
tio ac re-  
quisita.*

§. 36. Est vero traditio rei corporalis ac possessionis translatio ad dominium in alterum transferendum. Hæc ut effectum habeat, requiritur titulus ad transferendum dominium habilis. Justus titulus est

con-

consensus de dominio transferendo & acquirendo ferius ac verus. Ex quo sequitur: quod personæ quoque habiles adesse debeant, prætereaque, vacua ut sit possessio, exigitur.

§. 37. Traditione hac dominium de Jure Naturæ in alterum transferri possibile est; quod autem ad omnem domini translationem traditio necessario requiratur, ignorat Jus Naturæ, ac solo consensu dominia transferri posse declarat. a) Quare necessitas traditionis & regula L. 20. C. de Pactis Juris est positivi; atque hinc est, quod longæ manus, brevis manus & symbolica traditio in Jure Naturæ nullum locum in veniant.

a) Dissentit Kulpifius in Colleg. Grot. Exerc. V. §. 38. Satis de Translatione domini expressis verbis facta: jam porro agendum de tacita, quæ consistit in usucapione. Hæc est acquisitio domini per possessionem diu quietam & non interruptam facta, eum in finem, ut publica tranquillitas conservetur.

§. 39. An detur usucapio. Juris Gentium, varie dissentiunt DD. alii a) hoc plane negant merumque inventum Juris positivi esse autumant. Alii b) rem quidem ipsam non negant, sed saltem nomen. Concedunt enim pristinum Regni possessio-

*Traditionis necessitas non est Juris naturæ.*

*Translatio tacita in quonam consistat.*

*Diverse Sententia de usucapione inter Gentes.*

forem Jus vindicandi Regnum ab altero actu possessum non habere; negant vero, præscriptione Regnum acquiri posse. Alii omnino & Præscriptionem inter Gentes locum habere defendunt.

a) Quod faciunt omnes Scriptores Gallici ob prætensionem inanem Regis Galliarum in Imperium Roman. stabiliendam. Vid. Cassani Tract. Gall. La Recherche des Droits du Roi & de la Couronne de France Paris. 1646. Aubertus in Tract. Gall. des justes prétensions du Roi sur l' Empire, & Puteani Diss. Si la Præscription a lieu entre les Princes souverains in Operibus ejus sub tit. les Droits du Roi tres-chretien inserta. Prodiit hoc opus Paris. 1635. & postea Rothomagii 1667. Verum hanc solide refutavit doctissimus Werthofius in Diss. de Præscriptione inter Gentes liberas 1696.

b) Vid. Joh. Frid. Hornius de Civitate lib. 2. c. 9. n. 10. & 11. Sed doctrinam hanc non coherere ostendit ejus commentator Achilles Epstenius.

*Ipfus existens ac fundamentum.*

§. 40. Dari Usucupionem inter Gentes, non dubito: alias enim quies ac felicitas externa rerum publ. haud posset conservari. Nam quomodo hanc tibi formares sine certitudine dominiorum? & quidem hæc se fundat in sola derelictione prioris domini intuitu sui domini, quod habuit, aut etiam in natura Imperii, intuitu hujus juris.

*De Præsumptione derelictionis ubi ad Obligationem resp.*

§. 41. Nam qui conscius est rem suam ab altero s; bona s; mala fide possideri, eum-

eamque non aufert, cum tamen commode possit, aut saltem non contradicit, is præsumtionem contra se habet, rem suam voluisse derelinquere. Sed dicis: forte metus majoris potentiaë eum deterruit. Verum & potentia rerum humanarum varians atque instabilis est, ita, ut moraliter quasi impossibile sit, talem metum per tam longi temporis spatium durare posse. Necessario itaque sequitur: res immemorabili tempore possessas fuisse derelictas. Dico: immemorabili tempore, non, quia hoc tempus præcise requiritur, sed & breviori tempore, tacita saltem derelictione probata, præscribi potest.

Consentit quidem nobiscum Grotius de Jure B. & P. L. 2. c. 4. §. 9. ac Pufend. in J. N. & G. lib. 2. c. 3. §. 23. sed mirandum, quod uterque ad consensum s. Jus Gent. voluntarium provocet, quod tamen supra ut inane quid rejecimus.

§. 42. His præsuppositis frustra ab aliis quoque justus titulus in medium profer-  
 tur: nam hoc plane non indigemus. Cum  
 vero hanc Gentium præscriptionem Jus  
 Naturæ stricte sic dictum non præcipiat,  
 sed saltem permittat, s. ut melius dicam,  
 illa ex Jure Naturæ lato s. regulis decori  
 fluat, hinc nullum superest dubium, quod  
 Leges civiles huic præscriptioni inter

*Addita-  
menta Lo-  
gum civil.  
ad usura-  
pionem in-  
ter Gentes.*

B b

pri-

privatos locum habenti plura adjicere possint.

*Bona fides non est necessaria in usucapione.*

§. 43. Hic simul notandum: bonam fidem, quam Jus Canon. exigit, etiam in præscriptione longissimi temporis, pi- am quidem videri, sed si accuratius inspicatur, omnino humani generis tur- bat tranquillitatem. Valde enim inter- est reipubl. ut lites aliquando finiantur & dominia certa reddantur.

Vid. omnino /B. Cocceji Diff. de finibus bona fidei in Præscriptionibus Juris Canon.

*Debita pecuniaria præscribi nequeunt*

§. 44. Majoris adhuc indaginis est quæ- stio: utrum debita pecuniaria possint præscribi? quam recte negat Ill. Tho- masius; a) cum literarum atque instru- mentorum possessio derelictionis præ- sumptionem prorsus elidat. Licet & alii obijcere soleant: cur instrumenti pos- sessor tanto temporis spatio instrumen- ta non produxerit? Anne ergo hoc in casu præsumtio locum invenit, debitum a me meisque esse derelictum? Vix cre- do.

a) In Diff. de Perpetuitate debitorum pecuni- ariorum.

*Diversa Sententia de Præscri- ptione Regalium.*

§. 45. Nec sicco pede prætereunda est quæstio inter Dd. ventilata: An subditi regalia præscribere possint contra suum Principem? In diversas rursus abeunt sententias. Alii facultatem subditis

con-

concedunt omnia regalia præscribendi, s. sint majora s. minora, modo tam longi temporis spatio fuerint possessa, cuius initii memoria non extat. Alii præscriptionem in cæteris quidem admittunt, sed negant eam tamen in istis regalibus, quæ in signum supremæ potestatis & recognitionem subjectionis Principi debentur. Alii distinguunt inter regalia majora & minora putantes, in his locum habere præscriptionem, non vero in illis. Alii & majorum Regalium præscriptionem defendunt, non tamen quoad ipsum jus, sed saltem quoad exercitium, s. quoad redditus ac emolumenta percipienda.

§. 46. Verum nunquam a subditis regalium præscriptionem contra suum Principem allegari posse sentio. *Antoris Sententia* Nam quomodo allegare vellent tacitam Principis derelictionem, cum omnia a Principe non aliter, quam jure privilegii habere queant? Privilegia autem gratiosa semper a Principe tolli ac revocari possunt.

Vid. III. Thomasi Diss. de Præscriptione Regalium ad Jura subditorum non pertinente. Contrarium defendit Ockel in Tract. de Præscriptione immemoriali. *An Accessio in d-*

§. 47. Occupatione igitur, traditione *strialis sit* & usucapione acquiri jure Gentium so- *Modus acquirendi?* lent

B b 2

lent dominia. Sed vulgo plures adhuc alii modi, & quidem sub generali nomine accessionis industrialis adjici ac comprehendi solent, scil. specificatio, adjunctio, confusio, commixtio, inædificatio; fatio, plantatio, pictura, scriptura, similesque.

*Responsio  
negativa.*

§. 48. Verum cum Titio hic sentire non erubesco, quod nimirum hæc accessio plane non pertineat ad modos acquirendi, sed quod sit saltem occasio acquisitionis, ex qua interdum vel voluntate partium, vel legis positivæ auctoritate, translatio dominii oriatur.

*Negationis  
ratio.*

§. 49. Nam accessione tali facta tam diu manet communio, quamdiu voluntas dominii transferendi nondum adest; a) cum sine suo consensu nemo dominium, vel rerum vel operarum suarum, amittere queat. Non vero intelligimus sub communiione illam proprie sic dictam, qua scil. omnes & singulæ partes sint communicatæ, sed impropriam illam, s. duorum vel plurium dominium combinatum.

a) Vid. Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 8.

*Communio  
quatenus  
mutet Do-  
minium,  
vel non.*

§. 50. Quando itaque hi in communiione hac persistere nolunt, res aliquando separantur ac unicuique suum restituitur, quo tamen casu nulla adest mu-



mutatio domini; aliquando autem præbet occasionem domini transferendi, quando nimirum tota res s. totum corpus alteri adjudicatur, præstita alteri satisfactione. Si vero dissentiant suaque voluntate hanc communionem dirimere nequeant, lex positiva modum definire solet ac potest. Videamus igitur de singulis in specie.

Vid. Gottlieb Gerhard Titius in Jure privato Romano-Germ. L. 3. c. 5. & in Diss. de Dominio in rebus occupatis ultra possessionem durante.

§. 51. Specificatio est novæ speciei constructio ex materia vel in totum, vel pro parte aliena, sine consensu Domini perfecta. Nota est de hac materia controversia inter Sabianos & Proculianos agitata, & quomodo postea a Triboniano fuerit decisa. Sed non opus est his subtilitatibus; in genere potius dicimus: quod res maneat communis, quæ si non placeat, dominium rei fungibilis acquirat specificans, præstito materiæ pretio.

*Specificatio-  
tionis Defi-  
nitio ac re-  
quisita.*

§. 52. In adjunctione s. in textura regulam formare solet Jus Roman: quod accessorium sequatur suum principale. Sed & hic Canon non est universalis. Rectius itaque est distinguendum: utrum res commode possint separari, tum uni-

*Adjunctio-  
nis requisita.*

cuique sua restituitur; utrum vero separari nequeant, & tum aut totum cedit domino rei principalis, aut manet aliquando utriusque æquale, donec vel forte, vel conventionem, vel auctoritate Judicis communio dissolvatur, pretio materiæ alteri restituito.

*Confusio  
quid &  
quos modis  
fiat?*

§. 53. Confusio consistit in conjunctione materialium liquidarum; quæ fit vel utriusque voluntate, & tunc oritur communio propria, vel sine mutuo consensu, ubi videndum, an nova existat species, & tunc specificanti adjudicari debet; an vero saltem simplex adsit confusio, & tunc oritur communio impropria, ac confundens alteri verum rei pretium præstare tenetur.

*Comixtio  
quid ac  
quotuplex?*

§. 54. Comixtio est conjunctio rerum aridarum; quæ iterum fit vel consensu dominorum, & tunc oritur communio propria, vel sine horum consensu, tuncque impropria existit, ac alteri verum rei pretium refunditur.

*Ædificatio  
quod modo  
fiat?*

§. 55. Circa ædificationem distingui solet. Nam ædificavit quis vel ex aliena materia in suo solo, quo casu secundum æquitatem naturalem domino materiæ iusta solvitur æstimatio; vel ædificavit 2) ex materia sua in solo alieno: & tunc rursus distinguendum esse videtur, utrum

trum ædificaverit in Territorio alieno, vel infundo alieno (auf des andren seiner wüsten Stätte:) Priori casu dominus Territorii acquirit ædificium; posteriori autem casu regulariter cum pretii solutione contentus esse debet; vel ædificavit 3) ex materia aliena in solo alieno, & tum fundi dominus consequitur quidem ædificium, domino autem materiæ satisfacere tenetur.

§. 56. Plantationem quod concernit, *De modis Plantationis.* omnino duo casus sunt separandi, nempe si quis 1) alienam plantam vel arborem posuerit in suo solo, tum domino pretium solvendum esse, nunquam dubito. 2) si quis plantam suam posuit in solo alieno, & tunc etiam dominus plantæ nihil aliud exigere poterit, quam aut verum rei pretium, aut aliud ejusdem generis individuum. Ratione arboris in confinio positæ non respicitur ad radices, sed ramos, ita, ut ramorum & fructuum communio saltem defendi queat; cum quo consentit quoque Jus Saxon. Landr. L. 2. art. 52. Weichb. art. 126.

§. 57. Quoad sationem rursus duo casus sunt discernendi. Aut enim quis 1) *De Modis Sationis.* semine alieno agrum suum conserit, & tunc domino seminis pretiumolvere tenetur; aut quis 2) semen suum serit in a-

lieno fundo, quod tum domino agri acquiratur, præstita tamen serenti æstimatione.

*De Scri-  
tura & Pi-  
ctura ac  
quisitione.*

§. 58. Si quis in aliena charta aliquid scripserit, æquum est, ut Charta, tanquam res fungibilis, scribenti acquiratur, pretio eius soluto. Quod omnino quoque de Pictura dicendum esse videtur.

Confer. ad hanc materiam hætenus de accessione pertractatam III. Thomafius in Diss. de Pretio affectionis in res fungibiles non cadente.

*De Trans-  
latione Do-  
minii per  
ultimam  
volunta-  
tem.*

§. 59. Jam de modis transferendi domini per ultimam voluntatem quam ideo hucusque prætermisimus, quia Jus Naturæ hunc modum plane ignorat. Ut autem opinionem vulgarem sequamur, connexio ita instituenda, quod Testamentum spectet ad translationem domini expressam; successio vero ab intestato ad tacitam.

*Testamenti  
Definitio.*

§. 60. Denotamus autem per Testamentum declarationem nostræ voluntatis circa successionem in Bona nostra post mortem nostram, quæ tamen ante mortem mutabilis ac revocabilis manet, ita, ut hæredi saltem jus nascatur a nostro obitu.

*Grotii De-  
finitio. rejicitur.*

§. 61. Fallit ergo Grotius a) definiens Testamentum per alienationem in eventum mortis, retento jure interim possidendi ac retinendi, recte hanc ob causam

no-

notatus ab Ill. Thomasio, Coccejo aliisque.

\*) de Jur. B. & P. lib. 2. c. 6. §. 14.

§. 62. Neque nobis obstant dispositiones Parentum inter liberos Bona dividendum, neque donationes M. C. Hærenim revera sunt donationes inter vivos; uti iterum observavit Ill. Thomasius in *diff. de origine successionis testamentariae ac Coccejus: in diff. de testamentis principum neque distributio Bonorum ab ægrotante facta: vera enim est donatio inter vivos.*

*De Donationibus ac Dispositionibus inter vivos.*

§. 63. Quæritur igitur: An Testamenta sint Juris naturalis? Nemo quidem dicere potest: ea in Jure Naturæ esse prohibita, non tamen etiam potest affirmari, illa ortum suum ducere ex Jure naturali; cum potius sint mere Juris positivi.

*Testamenta Jus Nat. ignorat.*

§. 64. Nam certum quidem est, unumquemque vi dominii sibi competentis universa sua Bona in alios posse transferre; durat tamen hæc potestas transferendi tamdiu saltem, quamdiu durat dominium ipsum. Absolum itaque esset dicere: naturam dominii se eo extendere, ut potestas illa transferendi post mortem domini initium capiat. Nam res inserviunt hominibus vi-

*Per Testamenta non fit Translatio Testatore vivente.*

vis, mortuis vero nihil amplius est negotii cum rebus humanis. Jam vero si consideremus Testamenta, vivo testatore nihil transfertur in hæredem, sed omnia sua jure retinet plenissimo. Alienare sua bona potest, aliis donare, Testamentum mutare, alium hæredem scribere, verbo: pro lubitu Testamento jam condito non obstante de omnibus suis Bonis disponere.

*Jus Testamenti con-*  
*dendi an ex*  
*Anima im-*  
*mortalita-*  
*te sequa-*  
*tur?*

§. 65. Vult quidem auctor novæ methodi Jurisprudentiæ p. 56. Jus Testamenti faciendi ex immortalitate animæ deducere dicens: *Testamenta nullius essent momenti, nisi anima esset immortalis; sed quia mortui revera adhuc vivunt, ideo manent domini rerum, quos vero hæredes reliquerunt, concipiendi sunt procuratores in rem suam.* Ast svavia hæc saltem sunt somnia nullaque responsione digna.

*Testamen-*  
*ta an a*  
*Consuetu-*  
*dine Genti-*  
*um tora?*

§. 66. Neque validior est ratio, quam alii, originem Testamentorum ex Jure Naturæ probantes, ab eo sumunt, quod apud plerasque gentes Testamenta fuissent recepta ac commendata. Nam exempla non probant, nec illa, quæ proferruntur de Testamentis, testantur, sed sunt modo exempla assignationis hæreditatis paternæ, aut Regnorum inter liberos factæ, aut donationis inter vivos. Imo ad oculum demonstravit docuitque Ill.

The-

Thomasius: in cit. diff. Testamenta apud nullas gentes, quam apud Romanos atque Athenienses fuisse recepta.

§. 67. Hinc quoque inter gentes, quæ *Testamen-* solo Jure Naturæ reguntur, nulla *to quate-* dantur Testamenta, nullumque jus *nus obli-* ac obligatio ex illis oritur. Licet ita *gens, vel* que aliquis successione s. alio quodam ju- *non?* re per Testamentum sit exclusus, hoc ei non obstat, sed jus tamen suum persequi potest. Porro inde fluit, quod Princeps filium suum ne quidem ob gravissimam injuriam exhæredare possit: Imo si Princeps in Testamento ratione Bonorum suorum proximiorum excludit, nec hic quoque ex regulis justæ hac dispositione stare tenetur; Item, quod nulla detur legitima, a) sed quod & hæc sit juris mere positivi; quod Princeps Testamenta plane tollere, aut modum testandi circumscribere possit, aliaque plura.

a) Vid. Ill. Thomasi Diff. de legitima viventis. *De vera O-*

§. 68. Quod introductio Testamento- *rigine U-* rum expediat reipubl. affirmat Pufendorf. *suque Te-* Lib. IV. J. N. & G. c. 10. §. 6. Sed certe *stamento-* tantum abest, ut multum expediant reip. *rum.* ut potius sint noxia atque unice avaritiæ Cleri Pontificii adscribenda; uti fusius demonstravit Ill. Thomasius in Diff. de origine Successionis Testamentariæ.

Spestat ad hanc materiam de Testamentis cit. *B. Coc*

B. Cocceji Diff. de Testamentis Principum, & Buddei selecta Juris Nat. & Gent. c. 1. §. 3. sqq. qui Testamenti introductionem ex Jure Naturæ deducere conatur, cui adstipulatur Barbeyrac ad Pufend. de J. N. & G. lib. 4. c. 10 §. 4.

*De Successione ab intestato ejusque origine.*

§. 69. Si quis nullum reliquit Testamentum, tum successio ab intestato invenit locum. In statu naturali, in quo proprietates rerum adhuc fuit incognita, sed omnes res fuerunt nullius, nulla quoque successio reperit locum. Postquam vero dominia particularia fuerunt introducta, etiam successio ortum sumit, ita, ut quisque Bona sua propria in alios per pacta successoria transferre potuerit: & licet hæc Pacta improbent leges Romanæ, talem tamen conventionem juri naturali haud contrariari, imo certius jus succedendi tribuere, extra dubium positum videtur.

*Ea non est Juris naturalis strictæ talis.*

§. 70. Si autem quis nihil disposuerit de suis rebus, successio ab intestato locum habere videtur. Sed hanc Juris naturalis strictæ sic dicti esse, nequaquam defendi potest, & potius asserere licet, omnem successionem a moribus ac LL. civilium dispositione dependere. Nam Jure naturali res in dominio existentes morte domini statim incipiunt esse nullius ceduntque occupanti.

§. 71a



§. 71. Unicum, quod adduci potest *De ipſius* pro ſucceſſione ab inteſtato, nititur *fundamen-* conjectura voluntatis, qua ſcil. aliquis malit<sup>to.</sup> descendentes atque propinquos ſuis, quam extraneo cuidam relinquere ſua bona: alias omnes controverſiæ circa ſucceſſionem obvenientes citra Legum civilium diſpoſitionem vix poſſunt determinari. Ignorat itaque Jus naturæ: utrum liberi illegitimi etiam debeant ſucceſſere, an agnatis æque, ac cognatis, deferri debeat ſucceſſio? an Jus repræſentationis inter collaterales habeat locum? an fratres cum Parentibus debeant admitti? an ſoli maſculi, an etiam fæminæ? ad quem gradum ſucceſſio collateralium poſſit reſtringi? an ad 6. ad 10. aut ulteriorem gradum? an unilateralis frater, aut patruus, Patris defuncti filio ſit preferendus? atque quæ ſunt infinitiæ aliæ ſimiles quæſtiones.

§. 72. Ita & exhæredatio liberorum *An libero-* Juris Naturæ haud quidem repugnat, & ſine *rum Exhe-* ratione illam damnat Andr. van de Mue- *redatio ſit* len de jure poli p. 3. qu. 39. nec tamen *Juris na-* fuit ipſa ex Jure naturæ. Facile tamen *tur.?* concedo, aliquando & iſta contra decorum a Parentibus delinqui poſſe, ſi nimirum nihil prorsus liberis relinquatur.

§. 73.

*An Legiti-  
ma sit Ju-  
ris natur.?*

§. 73. Imo & legitimam, quam alii quoque Juris naturalis esse autumant, ignorat Jus Naturæ, sed quantitatem ejus ac reliqua omnia circa illam obvenientia voluntati legislatoris relinquit. Haud tamen negandum, regulas decori interdum exigere, ut etiam post mortem liberis, Parentibus aliisque, si id fieri possit, aliquid relinquatur.

Vid. Ill. Thomasti Diff. de legitima viventis.

*De mediis  
fieriendi  
controver-  
fias circa  
Successio-  
nes.*

§. 74. Recte igitur in controversiis Successionum commendat Ill. Thomastus, a) ut Princeps de forti milite sibi magis prospiciat, quam de subtili causæ deductione; cum non difficile sit, invenire rationes pro utraque parte haud improbabiles.

a) Vid. Ejus fundam. J.N. & G. lib. 2. c. 10. §. 15.

*De Officiis  
aliorum re-  
spectu Do-  
mini.*

§. 75. Jam ad officia, quæ vel dominum vel alios respiciunt, deveniamus. Illa, quæ ad dominum spectant, jam absolvimus. Officia vero aliorum quod concernit, si res apud dominum existat, ab omni læsione debent abstinere. Si autem est apud alium, omnino inspiciendum, utrum consentiente domino, an vero eo invito sit penes alium. Priori casu ad rem domino restituendam damnumque resarciendum ex regulis justitiae tenetur. Posteriori vero casu non solum rem, sed etiam fructus domino impensas præstanti restituere est obli-

obligatus. Quia autem hoc officium diversas exigit præstationes, prout aliquis est possessor vel bonæ, vel malæ, fidei; hinc & de hoc specialius agendum est.

§. 76. Exigunt igitur regulæ justæ restitutionem rei cum fructibus, quos recte dividis in civiles ac naturales, & hos in naturales in specietales atque industriales, 2) in natos, & nascituros: Et hi rursus sunt vel pendentibus vel percepti? ac hos iterum in extantes atque consumptos dividere licet.

*De Restitutione rei cum fructibus horumque Divisione.*

§. 77. Uterque scilicet, tam bonæ, quam malæ fidei possessor ad fructus extantes & consumptos restituendos tenetur; ita tamen, ut quoad consumptos bonæ fidei possessor in tantum sit obligatus, in quantum factus est locupletior. Malæ fidei possessor vero in genere ad omnem restitutionem tenetur.

*De fructibus restituendis a possessore bonæ malæque fidei.*

§. 78. Sicut autem possessor & rem, & fructus præstare obligatum se videt: ita dominus vice versa & ratione impensarum alteri tenetur, nullo respectu habito, s. sint impensæ necessariæ, s. utiles s. sit bonæ, s. malæ fidei possessor. Voluptuariæ vero ut tollantur, æquum omnino esse videtur.

*Obligatio Domini ratione impensarum.*

§. 79. Sed quid si rem alienam bona fide a tertio emerim, nonne etiam dominus rem suam vindicans ad pretium solutum

*Res aliena contra quam tenens sit restituenda?*

TUM

tum restituendum tenetur? quod quidem æquum Barbeyrac judicat, statuens, etiam verum dominum ad illud solvendum obligari. Verum sine omni ratione id sibi persuasit. Absurdum enim esset, rem suam propriam emere, pretiumque illius, quod meum jam est, solvere. Imputet sibi alter, quod rem hanc emerit, & licet dicat, se bona fide id fecisse, nihil tamen inde sibi acquirit, quam ut suum a contrahente suo recipiat. Aliud autem esse, si rem alias perituram mihi servaverit, extra omnem dubitationis aleam est positum.

*Restitutio-  
nem dene-  
gans per-  
cat contra  
J.N. stricte  
vale.*

§. 80. Si quis igitur rem fructusque mihi restituere detrectat, omnino violat regulas justitiæ, ita, ut non necesse sit statuere cum Pufendorffio: a) quod necessitas restituendi solum ex universalis aliquo generis humani pacto debeat deduci, a) Vid. Ejus J. N. & G, lib. 4. c. 13. §. 2. sqq.

## CAP. XI.

De

### Officiis circa rerum

Pretia.

§. I.

*De Origine  
& causa  
Pretii re-  
rum.*

**P**ostquam Dominia fuerunt introdu-  
cta,



sta, non potuit aliter evenire, quam quod homines decerto etiam pretio rerum inveniendi debuerint esse solliciti. Nam Dominiorum introductio peperit indigentiam atque alimenta quasi præbuit tam luxui, quam avaritiæ. Hæc vitia produxerunt infinita commercia, quibus frustra operam dedissent homines pretio certo haud introducto, quo res invicem æstimari potuerunt. Nullum itaque extat præceptum ad inveniendum hoc pretium obligans, sed potius ex solis regulis decori debet derivari.

§. 2. Est vero pretium valor rerum in commercio existentium, quatenus usum delectationemque hominibus afferunt. *Pretii Descriptio.*

§. 3. Sicut autem conditio ac corruptio hominum multum variat, ita non potuit non varium quoque dari rerum pretium; quod præcipue distingui solet in vulgare atque eminentius. *De causa Varietatis Pretii.*

§. 4. Illud est, quo omnes res inter se conferuntur ac æstimantur; hoc ad quod omnia pretia vulgaria exiguntur inque eo virtualiter continentur, atque vocatur nummus. Falso autem asserunt Titius in Jur. priv. L. 3. c. 10. aliique, quod pretium rei ipsi insit; cum omne pretium saltem a nostra dependeat comparatione. *Pretium vulgare & eminentius quid sit.*

C c

§. 5.

*De Necessitate Pretii eminentis.*

§. 5. Erat vero hoc pretium eminentissimum tanto magis necessarium, quod dominio rerum introducto facile evenire poterat, ut aliqua re indigerem, quam alter possidebat, ego vero nil haberem, quo alteri vicissim opus esset. Cui accedit, quod propter commoditatem & luxuriam civis in varios dividantur status, quorum multi se conservare non possent. Inveniri igitur utique ac eligi debuit aliqua materia, cujus perpetua atque publica foret æstimatio, qua alias res mihi comparare, easque æstimare possem.

*Cur aurum ut Argentum constitutum Pretium eminentissimum?*

§. 6. Huic autem fini obtinendo non quævis sufficiebat materia, sed necesse erat talem eligere, quæ rara, tractationi ac custodiæ apta, nec non substantiæ valde compactæ esset; quæ omnia in auro atque argento reperiebantur. Et quamvis dentur gentes viliori aliqua materia utentes; hoc tamen saltem aut stupiditati, aut auri argentique defectui, aut necessitati adscribendum est.

Vid. Hertius de Prudentia civili P. I. p. 113.

*Hujus Pretii fundamentum falsum.*

§. 7. Cum itaque pretium rebus ipsis non in sit, non sine ratione alii hætenus solliciti fuerunt de ejus fundamento indicando: quod aliqui frustra in rerum indigentia, a) alii in aptitudine ad usum vitæ humanæ præstandum b) quæsi-

runt;

runt; Cum quotidiana experientia teste-  
 dentur res, neque ad indigentiam, neque  
 ad commoditatem quid facientes v. g.  
 gemmæ, uniones &c. & in majori tamen  
 habentur pretio, quam res vitæ huma-  
 næ utilissimæ.

a) Vid. Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 12. §. 14.

b) Pufendorf. de Offic. Hom. & Civ. lib. 1. c. 14.

§. 3. item in J. N. & G. lib. 5. c. 1. §. 6.

§. 8. Rectius pretii fundamentum in i-<sup>De ipsius</sup>  
 p̄sa ponimus raritate. Confirmat enim <sup>fundameta-</sup>  
 hoc commune Proverbium: omne ra-<sup>to vero.</sup>  
 rum carum. Non tamen hæc raritas so-  
 lum atque immediatum pretii est fun-  
 damentum, sed quatenus id cum homi-  
 num convenit passionibus. Sic enim  
 accidit, ut Titius immenso pretio sol-  
 vat id, quod Sempronius parvi aut ni-  
 hili æstimat; ut Cajus librum vel MStum  
 aliquod magno pretio sibi comparet,  
 gemmam vero, unionem, aut his simile  
 quid ne pretio quidem digna censeat.  
 Ex quo patet, quod pretium certis re-  
 gulis includi ac determinari nequeat,  
 sed tantum ab uniuscujusque passione  
 dominante dependeat.

§. 9. Inde fit, quod nulla specialia cir-<sup>De officiis</sup>  
 ca pretium occurrant officia, quam ea, <sup>circa id ob</sup>  
 quæ in conventionibus ipsis locum in-<sup>æstimatio-</sup>  
 veniunt. Hinc quoque non peccat <sup>nem re-</sup>  
 Cc A con-<sup>rum.</sup>

contra regulas justitiæ. qui res suas pro lubitu æstimat; cum alterius relictum sit arbitrio, rem meam pro hoc pretio accipere.

*Specialis  
circa re-  
rum æsti-  
mationem  
Sciæ;*

§. 10. Separandus tamen est status naturalis a statu civili. Lædimus enim in statu naturali regulas decori, si rem nostram ad alterius comparatam majoris æstimamus, quam rem alterius ejusdem qualitatis. Imo hoc maximum adferret damnum commerciis; hinc quoque receptum est inter gentes, ut singuli ratione pretii se accommodent plurimum judicio, eamque æstimationem pro justa ac æqua habeant, quam alii in suis negotiis adhibere solent. In statu vero civili aliter comparatum esse videtur. Eo ipso enim dum pretium rebus non inest, libertatem hanc rem suam pro lubitu æstimandi recte potest restringere Magistratus.

*Res fungi-  
biles &  
non fungi-  
biles qua-  
nam dicen-  
tur.*

§. 11. Dependet inde etiam quæstio inter Dd. ventilata: An in res fungibiles cadere possit affectio? Scil. dividuntur res in fungibiles & non fungibiles. Illæ sunt, quibus consumtis si aliæ res ejusdem bonitatis ac quantitatis restituantur, perinde sit, ac si eadem in specie fuissent restitutæ: hæ vero, quæ non sunt ita æqualis naturæ, conditionis at-  
que



que æstimationis, ut idem possit dici restitutum, si aliud ejusdem generis individuum præstetur.

§. 12. Pretium autem affectionis ipsum nominamus, quando res non secundum communem hominum æstimationem, sed ex affectu aliquo speciali æstimatur. Recte igitur ad quæstionem illam respondemus: quod in res fungibiles nullum cadat pretium affectionis. Cum vero hoc pretium dependeat ab affectu uniuscujusque & interdum Titius majori in pretio habeat lucernam Diogenis, quam pretiosissimam gemmam, difficile est determinare, ubi pretium affectionis locum inveniat. Melius ergo dicimus: quod in statu naturali pretium affectionis locum habeat in rebus plane singularibus, ita, ut tale pretium exigens non peccet contra regulas justitiae; licet evenire facile possit, ut violet regulas decori. In statu autem civili hoc omne relinquatur arbitrio Magistratus.

*Pretium affectionis quid? & quod non cadat in res fungibiles.*

§. 13. Sequitur exinde, quod læsio ultra dimidium non habeat locum in statu naturali, dummodo metus, dolus atque error efficax absit. Nam antequam cum aliquo conventionem inii, neque pretium, neque merces adsunt; quare salvis regulis justitiæ rem majori pretio

*De læsione ultra dimidium.*

emere, vendere ac locare possum, quamvis semper, ut sæpius fuit monitum, simul respici debeat ad regulas decori. Quomodo enim eum lædere possum, a cuius arbitrio dependet, an rem meam emere velit, nec ne? sed nihilominus non injustum est, rem viliori pretio emere, & magno iterum pretio postea distrahere.

Vid. Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 12. §. 26.

*An Pretium a Magistratu possit determinari?*

§. 14. Statum civilem quod concernit, & in hoc tamdiu libertas illa mihi competit, quamdiu a Magistratu non est restricta, certumque rerum pretium determinatum. Sed & in hoc statu difficile est determinare pretium, quia hoc quoque plurimum dependet a circumstantiis, neque in hoc statu aliquis ad rem emendam ab altero potest cogi. Sæpius etiam evenit, ut aliquis in necessitate constitutus rem aliquam viliori vendat pretio, quam cessante hoc casu, vel non vendidisset, vel multo majori pretio; quid itaque imputare potest emptori, qui occasione oblata utilitatem suam promovit? Recte itaque Ill. Thomasius; a) restitutionem illam ex capite læsionis ultra dimidium cerebrinam, magisque reip. noxiam, quam utilem, pronunciat.

a) Vid.

a) Vid. Ejus Diss. de æquitate cerebrina L. 2. c. de rescind. vendit:

§. 15. Cum autem & circa valorem pecuniae facile læsio oriri possit; ideo merito quæritur: An Princeps pro lubitu illum determinare possit? quod secundum regulas justæ licitum esse omnino videtur. Verum ex regulis decori unumquemque Magistratum obligatum profiteor, talem nummo imponere valorem, ut ejus sit pretii apud nos, cujus est extra civitatem: nam impediuntur alias commercia ad utilitatem rerum publ. plurimum facientia.

*Pecunie valor quatenus determinandus?*

§. 16. Exigunt itaque regulæ decori, ne nummorum pretium ultra rationem materiae aut minuatur, aut augeatur. Augmentum enim ejus magnam horum nummorum copiam ex aliis terris attrahit, res pretiosissimas suo lucro, subditorum autem maximo damno, coëmendando. Si vero nimis diminuatur, facile ab exteris nostræ pecuniæ insidiæ struuntur: Ubi tamen simul notandum, & Principi competere jus prohibendi, ne ab exteris nummi possint exportari; utrum vero talis prohibitio semper conducatur ad regulas Prudentiæ spectat. Ad fraudem autem evitandam maxime expedit, si & nomen & signum Principis nummo imprimatur.

*De ejus augmento, diminutione ac fraudibus evitandis.*

*De ius  
Emendati-  
one.*

§. 17. Ita & emendatio pecuniæ quoad regulas iusti dependet ab arbitrio Principis. Exigunt tamen regulæ decori, ut res monetaria ita sit comparata, ne indigeat emendatione: atque si contingat, ut evitari haud possit, caveat tamen Princeps, ne cum læsione subditorum sit, conjuncta.

Vid. Bernard in republ. literaria mense Mart. 1704. p. 345. sqq. & Clerici Bibl. select. Tom. VI. p. 384. sq.

*De rerum  
determi-  
natione per  
Pacta.*

§. 18. Determinatur vero non tantum pretium, sed res ipsæ in commercium venientes per pacta, quæ ab aliis contractus nominari solent. Operæ igitur erit pretium naturam contractuum s. Pactorum non nihil illustrare.

*Pacta &  
contractus  
an diffe-  
rant inter  
se?*

§. 19. Ignorat Jus Naturæ distinctionem inter Pacta & contractus, eamque pro mero commento Juris civilis habet; merito hinc refutatur ab aliis Gvil: Grotius a) omnes divisiones Pactorum & contractuum, ut principia Juris naturalis, recensens. Imo errat & Kulpisius b) per suus, Philosophiam Romanorum circa contractus ad naturalem accedere rationem.

a) in Enchirid. c. 20.

b) in Colleg. Grotian L. 2. c. 12. p. 97. lit. a.

*De contra-  
ctuum  
divisione  
inutili ac  
obligatione  
ex consen-  
su.*

§. 20. Non igitur opus est stipulationibus, neque ut adhibeamus divisionem in contractus nominatos & innominatos, literales, verbales, reales, consensuales, bonæ fidei & stricti juris, veros & quasi contractus. Nam innominati contractus

ni-

nihil aliud sunt, quam pacta nuda, quibus præstatio ab una parte accessit. Divisione Contractuum nominatorum in reales &c. hanc ob causam carere' possu-  
mus, quia omnes conventiones serio in-  
itæ validam producant obligationem.  
Distinctio in contractus bonæ fidei & stri-  
cti juris solum ex diversitate judiciorum  
& Judicum pedaneorum, nempe Rom.  
profluxit. Literales, ut literales, ne qui-  
dem apud Romanos locum invenisse a  
multis affirmatur Quasi contractus autem  
sunt merum commentum. Juris Roman.  
cum omni eorum obligatio naturaliter  
fluat ex regulis justitiae, quod scilicet nemo sit  
lædendus, promissaque alteri s. expresse s.  
tacite facta non sint violanda. Rectius er-  
go dicendum: quod omnes contractus  
quoque Jure Naturæ sint consensuales,  
i. e. quod eorum obligatio ex consensu se-  
rio profluat.

Confer. Brenneisen in Diss. de inutilibus Pacto-  
rum divisionibus.

*Eorum Di-  
visiones*

§. 21. Non tamen incongrue nos factu-  
ros arbitror, si paucis perlustremus, quid  
in contractibus Jus Naturæ sibi vindicet.  
Ut vero ordine procedamus, arridet no-  
bis divisio in contractus principales &  
accessorios, in onerosos & beneficos, item  
in simplices ac compositos.

*quoniam a-  
sum præ-  
sent?*

*Permuta-  
tionis Defi-  
nitio & re-  
quisita.*

§. 22. Primum locum inter contractus  
onerosos sibi vindicat Permutatio, tan-

Cc 5 quam

quam contractus antiquissimus; a) quæ talis est contractus, quo agitur de rei alicujus fungibilis dominio in alterum pro re aliqua æqualis pretii transferendo. Requiritur itaque res in commercio existentes, s. sint mobiles, s. immobiles, sive corporales, s. incorporales. Ut æqualitas rerum adsit, solum dependet ab arbitrio partium. Consensus mutuus ut accedat, necesse est, haud vero traditio, quo consensu interposito nemo contrahentium invito, altero potest recedere. Qui prior rem præstitit, etiam alterum ad præstandum cogere potest. Periculum casuale rerum non traditarum est apud contrahentes, ita, ut licet res mea casu aliquo sine mea culpa perierit, alter ad rem mihi præstandam tamen teneatur.

g) Quod alii sine ratione negant. Conf. Pufend. de Off. Hom. & Civ. lib. 5. c. 5. §. 1. ibique Barbeyrac.

*Emtio Venditio quid est qua circa eam officia?*

§. 23. Introducta pecunia emtio venditio exorta, quæ est contractus, quo dominium alicujus rei pro certo pretio a venditore in emtorem transfertur. Accipit hic contractus suam perfectionem a solo consensu de re & pretio interposito, licet traditio nondum accesserit; cum hæc ad executionem contractus saltem spectet. Eadem igitur officia circa hunc contractum obtinent, quæ in permutacione annotavimus. Re nondum tradita,

¶

si ipsa casu aliquo sine culpa venditoris perierit, periculum ejus ad emptorem pertinet; illud vero pretii non vicissim spectat ad venditorem; quantitatem enim nunquam perituram debet. Quid circa dispositionem Juris Rom. hic sentiendum sit, videri potest apud Grotium de J. B. & P. L. 2. c. 12. §. 15. & sine ratione ab eo dissentit Kulpif. in Colleg. Grot. p. 82. §. 4. lit. l. & m.

§. 24. Quod certa Pacta adjici possunt huic contractui, non necesse est, ut mentionemus. Evictionis præstatio fluit ex natura contractus, ita, ut omnino ex regulis justæ venditor ad illam præstandam teneatur. Arrhæ quoque juri naturæ haud repugnant. Utrum vero vel probationis gratia, vel facultatis pœnitendæ causa adjiciantur, ex eo quid egerint partes, dijudicandum est.

Vid. Ill. Thomasi Diss. de arrhis emtionum.

§. 25. Locatio conductio est contractus, quo usus rei aut opera pro certa mercede alteri conceditur. Solo consensu & hic contractus perficitur, ac traditio ad executionem spectat. Res igitur ad usum concessum habilis esse debet, imo & impensas necessarias in se suscipere, damnumque dolo ac culpa sua datum pariter in se suscipere locator tenetur. Vicissim

COU-

conductor debito modo re uti, finito tempore illam reddere damnumque datum restituere est obligatus. Casum solus dominus sentit, qui neque mercedem futuri temporis potest exigere. Ut ob sterilitatem ac similes casus pensio remittatur, regulæ justæ haud exigunt; cum nec ob improvisam ubertatem possit augeri.

a) Regulæ tamen decori svadent, ut interdum conductori aliquid remittatur, qui & operam suam alias esset perditurus. Operarum locator ut operas suas fideliter conductori præstet, regulæ justæ exigunt. Si casu fortuito impediatur, ut operas præstare nequeat, nec mercedem exigere potest. Et hic tamen jubent regulæ decori, ut neque mercedem diminuamus, neque alimenta denegemus. Quod & inter gentes locatio-conductio locum habeat, nemo negabit. Docet enim experientia, quod & militum operæ & naves locentur.

a) Grotius de J. B. & P. L. 2, c. 12. §. 19.

*De Societas sine ac officiis.*

§. 26. Societas initur de rebus operisque conferendis eum in finem, ut lucrum damnumve inter conferentes dividatur. Ut id, quod confertur, æquale sit, arbitrio contrahentium relictum est. Si unus omne damnum in se suscipiat, alter vero lucrum capiat, non quidem peccatur

COR-



contra regulas justī, repugnat tamen id naturæ contractus, qui non animo donandi inicitur. Qualis autem modus tam in lucro, quam damno dividendo adhibendus sit, conventionē partium determinari debet: hac cessante, jubet Jus naturæ stricte sic dictum, ut distributio pro rata tam ratione rerum, quam operarum fiat. Ut a Societate etiam invito altero recedere liceat, & ad hæredes ut ea haud transeat, hoc habet quidem suas rationes in Jure naturæ fundatas, magis tamen spectat ad Jus civile. Nec opus est admonere, quod & hic contractus inter Gentes habeat locum: nam testantur hoc tam Societates mercatoriarum, quam navales.

Vid. Grotius c. 1. §. 25. sqq. ibique Tesmarus & Loccenius de Jure maritimo L. 2. c. 2. §. 7.

§. 27. Sponsio est conventio, qua alter existentiam eventus alicujus negat, alter autem affirmat, certo ab utraque parte præmio definito, quod ei cedere debeat, cujus assertioni eventus sit responsurus. Non pugnat quidem contra Jus Naturæ strictum, nec tamen est præcepta sed inventum est hominum otiosorum luxurique ac voluptati deditorum. Requirit autem verum consensum, materiam habilem & personas ad paciscendum aptas. Quæritur jam: An Sponsio sit valida, si alter

*Sponsio  
quid ac  
que ipse  
requiritur*

alter eventum jam certo sciat? Puto omnino quod sic: imputet enim sibi alter, quod cum eo hanc inierit sponfionem, de quo ipsi erat ignotum, sciretne, an ignoraret rem controversam; quod multo magis obtinet, si alter alterum de Sponfione non ineunda admonuerit, seque rem certo scire sit professus. Sive vero alterum dolose ad Sponfionem allegerit, non valebit.

Vid. Becman. in Doctrin. moral. c. 2. §. fin.

*Ludi quatenus sint liciti, vel non.*

§. 28. Non immerito etiam ad contractus onerosos referuntur ludi, quorum varia sunt genera. In omnibus autem deprehenditur conventio, qua ludentes de certo pretio inter se conveniunt, quod victori debeat cedere. Licitos esse vix dubitatur, modo omnis metus, dolus, errorque prægnaans absit. Pugnant vero cum regulis decori ac honesti, si iis utamur non animi recreandi gratia, sed ut tempus perdamus, atque cupidini acquirendi satisfaciamus.

Vid. Barbeyrac in Tr. Gall. du Jeu, & Placette des Jeux de hazard.

*Lotteria quid? & quousque licita?*

§. 29. Lotteria est conventio, qua plures pecuniam conferunt, sorteque postea decernunt, quibus lucrum cedere debeat. Licitam esse, modo fraus absit, nullus dubito.

Vid.

## OFFICIIS CIRCA RERUM PRETIA. 415.

Vid. Clerici Tr. Gal. Reflexions sur les lotteries,  
Leti Discours sur les lotterics, & Barbeyrac.  
c. 1.

§. 30. Olla fortunæ est, quando certus *Olla fortunæ quid?*  
schedularum, tam inscriptarum, quam  
inanium, numerus in urnam deijcitur,  
ac facultatem certo pretio redimo illas  
extrahendi, ita, ut id accipiam, quod  
schedulæ inscriptum est. Neque hæc  
pugnat cum regulis justis.

§. 31. Contractus asssecurationis est, *Asssecurationis contractus quid?*  
quando quis pro certa pecuniæ summa  
periculum præstat eis, qui merces alio  
transportant, ita, ut, si hæc pereant, pre-  
tium earum domino ab asssecuratore de-  
beat restitui.

Vid. Grotius de J. B. & P. L. 2. Cap. 12. §. 3. n. 5.

§. 32. Inter contractus beneficis pri- *Donatio quid, quando & quatenus licita sit?*  
mum locum meretur donatio, quæ est  
conventio, qua quis mera libertate mo-  
tus rem aliquam gratis in alium trans-  
fert. Licitum esse cuivis, ut rem suam  
alteri donet, unicuique est obvium; i-  
mo & regulæ decori id interdum sua-  
dent. Promissione itaque facta ad rem  
præstandam regulæ justis donantem obli-  
gant, ita, ut nihil intersit, s. sit donatio  
simplex, s. remuneratoria. Regulæ ta-  
men decori ac honesti prohibent, ne huic  
nimis simus dediti, subtrahendo nobis  
par-

partim id, quo ad nostram conservatio-  
oem indigemus, partim occasionem aliis  
etiam benefaciendi. Dum vero Jus  
Naturæ donationes saltem permittit,  
non, ut necessario fieri debeant, præci-  
pit; hinc leges civiles eas aut plane pro-  
hibere, aut certis limitibus restringere  
possunt. Recte igitur Jus Romanum dis-  
posuit, ut insinuari debeant, si certam  
excedant summam, ne cives nimis lar-  
gitionibus ad paupertatem redigantur. Ut  
revocari possint donationes propter ani-  
mum ingratum, ignorat quidem Jus Na-  
turæ, sed recte tamen Legibus civilibus  
potest aut præcipi, aut prohiberi. Ne-  
que prohibet Jus Naturæ donationes in-  
ter Virum & Uxorem factas, quamvis  
& rationes legum civilium eas prohi-  
bentium non improbet. Id adhuc quæ-  
ritur: An etiam Principes exteris quid  
donare possint? Ubi distinguendum esse  
videtur: aut princeps aliquid donat de  
rebus plene sibi propriis, aut de rebus  
Regno propriis. Priori casu omnino  
valida est donatio; alias Princeps dete-  
rioris esset conditionis, quam quisque  
privatus. Posteriori autem casu omnem  
donationem illicitam atque injustam o-  
mnino pronunciamus. Nam nulla Re-  
gni ei competit alienatio, adeoque nec  
do-

donatio. Neque agnosco distinctionem Grotianam de J. B. & P. L. 2. c. 14. §. 12. sq.

§ 33. Mutuum est contractus, quo dominium certæ rei fungibilis ita in alium transfertur, ut certo tempore res ejusdem generis; quantitatis ac qualitatis restituatur. Traditio itaque & in hoc contractu ad executionem pertinet. Ut rem alteri mutuo dem, regulæ justitiæ me non exigunt, sed regulæ decori id sæpius suadent. Si igitur rem dederim, dominium ejus in alterum transtuli. Quia verò in hoc contractu nunquam donatio præsumitur, ideo alter necessario ad restituendum tenetur s. fructum ex re senserit, s. casu eam amiserit. Nulla culpa hic præstatur, res enim mea est; si illam igitur perdo, rem meam perdo.

*Mutui Definitio, requisita & officia circa ipsum;*

§. 34. Ut usuræ exigantur, neque regulis justitiæ, neque regulis decori contrariatur. Cum enim alter lucrum mea pecunia quærat suamque utilitatem promoveat, justum & æquum est, ut illud mecum dividat; quia alias salvis regulis justitiæ ei rem meam plane denegare potuissem. Neque repugnat ipsa S. Scriptura. Illa enim prohibitio Juris Mosaicæ ex speciali ratione reipubl. Judæos, non alios obligabat.

*Usuræ cur sint licite Jure Nat.*

D d G d

Canonistæ utuntur ad usuras impugnandas, & quas inde eliciunt, quod pecunia non ferat fructus, ejusque usus in eo consistat, ut expendatur, admodum sunt ineptæ; imo nil, nisi arcanum Papatus, sub eo occultum est. Nam quod Canones directo prohibent, per indirectum, alia scil. via, iterum permittunt. Conf. omnino Gerard. Noodt in doctissimo Tract. de scœnore & usuris.

e) Dissentit Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 12. §. 20. sqq.

*Ex quate-  
nus quoque  
illicitæ  
sunt.*

§. 35. Neque determinata est in Jure Nat. quantitas usurarum. Namque usurariam illam pravitatem, quam LL. civiles impugnant, ignorat Jus Naturæ illamque pro injusta haud agnoscit; cum ea a partium dependeat conventionibus: itaque Jure naturæ non solum centesimæ, sed & quantæcunque usuræ, si saltem fuerint promissæ, licitæ sunt, & ad eas præstandas alter tenetur. Quare nullæ usuræ sunt illicitæ. Quia tamen regulæ decori jubent, ut aliis beneficiam iisque gratis id præstem, quod a me exigunt, recte utique facio, si aliis mutuo dem pecuniam sine usuris, imo quamvis nihil recipiam; atque hoc ipsum Christus quoque docuit.

Agam in Discursu de montibus pietatis, & Lombardis. §. 37.

## OFFICIIS CIRCA RERUM PRETIA. 419

§. 36. Commodatum est contractus, *Commodatum quid est que circa id officia?*  
quo alicui usum rei meæ concedo, ita, ut finito usu rem in eadem specie mihi restituat. Quia in hoc contractu usus rei alteri saltem conceditur, hinc exigunt regulæ justæ a commodatario exactam diligentiam, nec, ut rem ad alios usus adhibeat, permittunt. Ignorat vero Jus Naturæ, quod in communi periculo res commodata propriæ præferri debeat: multo minus tempus restituendi aliquid mutationis infert, ita, ut de Jure Naturæ inter commodatum & precarium non detur differentia. a) Si res perierit casu, periculum spectat ad commodantem; erratque adeo Grotius, qui ad commodatarium id pertinere sibi perſvasit. b)

a) Vid. Ill. Thomasi Diff. de natura precum juridicarum.

b) Vid. Gribneri Diff. de æquitate Legum Roman. circa pericul. rei commodat. & Ill. Thomasi Diff. de usu præct. doctrinæ de culp. c. 1.

§. 38. Mandatum est conventio, qua *Mandatum quid est que circa id Negotiorumque gestiones officia?*  
quis alterius committentis negotia gerenda gratis suscipit. Mandatarius itaque negotium in propria persona expediendum in se suscipit: ad industriam enim personæ respicitur; hinc alterum sibi substituere nequit, imo mandatum ipsum

D d 2

morte

morte ejus extinguitur. Et quamvis ab initio saltem ex Regulis decori ad negotium in se suscipiendum obligetur, semel tamen in se suscepto regulis justitiae tenetur, non modo illud expedire, sed exactissimam etiam adhibere diligentiam. Non igitur potest fines Mandati transilire: alias omnino ad interesse mandanti praestandum tenetur. Haud tamen fines Mandati supergreditur, qui per æqui pollens id praestat, quod sibi commissum. Quod autem in Mandato efficit consensus expressus, id in negotiorum gestione operatur consensus tacitus. Non itaque necesse est statuere quasi contractum: nam qui inscio altero negotium in se suscipit, ex regulis justitiae tenetur, id ita gerere, ne domino damnum aliquod inde emergat, & eadem regulae obligant dominum, ne patiat, ut cum alterius damno locupletior fiat, sed omnia ea restituat, quae in suam utilitatem fuerunt versa.

*Depositum  
quid est  
qua Officia  
Depositarii?*

§. 39. Depositum est conventio, qua quis alterius rei, tam mobilis, quam immobilis, custodiam in se gratis suscipit. Quia igitur neque dominium rei transfertur, neque usus ejusdem conceditur, hinc deponens pro lubitu rem depositam revocare potest. Exigunt vero regulae





tymiseos, quo partes inter se conveniunt, ut, si emtor postea rem vicissim alienet, prior venditor omnibus aliis emptoribus præferatur, si easdem conditiones, quas alius obtulit, in se suscipere velit.

*De Contractu pignoratitio ac obligatione ex eo.*

§. 42. 5. Pignoratitius contractus, quo in securitatem crediti certæ res æstimabiles creditori obligantur, ut in subsidium, debitore in mora solvendi existente, ei satisfieri queat. Omnes itaque res pignori dari possunt, s. sint mobiles, s. immobiles, modo ejus sint naturæ, ut finis, qui intenditur, possit obtineri. Pignora igitur ordinarie majoris pretii esse debent, quam debitum ipsum. Si creditori res ipsa tradatur, pignus vocatur; si vero per conventionem ei saltem obligatur, nomen hypothecæ accipit. Haud quoque adversatur regulis justi pactum pignori adjectum, quod, si debitor certo tempore non solvat, res a creditore aut vendi, aut plane retineri possit; regulæ autem decori jubent, ut abundans lucrum debitori restituat. Periculum rei pignoratæ manet apud debitorem, ita, ut, si res casu perierit, tamen debitor ad restitutionem debiti maneat obligatus.

§. 42.

§. 43. 6. Si nulla pignora dantur, inter-  
 dum adhibetur fidejussio etiam in majo-  
 rem securitatem creditoris, qua scil. quis  
 in subsidium, si alter a debitore suum  
 consequi nequeat, se obligat. Accede-  
 re illa potest vel sciente, vel ignorante  
 creditore; & quamvis sit saltem obliga-  
 tio accessoria, arctius tamen obstringi  
 potest fidejussor. Quid inter gentes ra-  
 tione fidejussionis obtineat, infra fusius  
 dicetur. Interim nullum subest dubi-  
 um, quod inter Gentes etiam constitui  
 possint fidejussores eum in finem, ut, si  
 quisquam conditiones Pacis violaverit,  
 fidejussores ad certam pecuniæ summam  
 solvendam velint esse obligati.

§. 44. Jam de modis dissolvendi obli-  
 gationes dicendum: qua quidem mate-  
 ria facile supersedere possemus; cum in  
 Commentariis Juris civilis uberius tra-  
 ctetur. Non abs re tamen erit, & hic  
 pauca annotare. Diversi autem a DD.  
 recensentur modi; si vero naturalem æ-  
 quitatem sequamur, facile ad duo potis-  
 simum reduci possunt genera, quæ sunt  
 satisfactio & remissio.

§. 45. Pertinet autem ad Satisfactionem  
 1) Solutio i. e. præstatio naturalis ejus,  
 quod aliis debemus, animo tollendi ob-  
 ligationem facta. Solvete potest non  
 solum.

solum debitor ipse, si saltem administrationem suarum rerum habeat, sed etiam tertius, & nihil interest, s. hic sciente, s. ignorante vel invito debitore solvat: sufficit enim, quod creditor suum accepit. Solvi quoque potest non solum creditoribus ipsis, sed etiam tertio, Mandato creditoris solutionem accipienti. Solvenda est res ipsa debita; non vero aliud pro alio in debitum accipere creditor tenetur. Exigunt tamen regulæ decori, si res ipsa vel ob inopiam debitoris, vel aliam justam ob causam præstari nequeat, alias res in solutum accipere; & quamvis nonnulli velint, in obligatione faciendi non factum ipsum, sed interesse præstandum esse; falso tamen hoc niti fundamento, natura obligationis ostendit.

*Ejus alia,  
quædam  
requisita.*

§. 46. Tota etiam res est solvenda, nisi creditor in partis solutionem consenserit, aut regulæ decori id dissuadeant, puta si debitor sine sua culpa depauperatus sit. An vero in solutione pecuniæ ratio habenda sit, quamdiu contractus sit initus, aut quomodo solutio fieri debeat, disputant inter se DD. Mihi videtur, semper ad tempus contractus respiciendum esse, nisi pacto aliud sit conventum. Haud tamen potest negari, quod tales emerge-  
re

re possint circumstantiæ, ubi, ex regulis decori aut tempus ad solutionem destinatum, aut intermedium quoad bonitatem monetæ sit attendendum. Nam exigunt regulæ tam justæ quam decori, ut tantum restitui debeat, quantum acceptum, ita, ut neque creditor, neque debitor damnum patiatur.

§. 47. Quid? quod & debito tempore solutionem præstandam esse, æquum justumque jubeat. In debito puro itaque statim; in debito, hoc elapso; imo & loco convenienti fieri debet. Effectus solutionis est, ut obligatio tam principalis, quam accessoria, tollatur, nihilque interest, s. debitor, s. fidejussor solverit. Fidejussore autem solvente accessoria quidem illa obligatio tollitur, sed quoad principalem saltem creditor mutatur; quamvis communiter secundum LL. civiles contrarium statuatur.

§. 48. Accidit etiam interdum, ut debitor legitime quidem offerat solutionem, creditor vero illam acceptare recuset: tunc omnino fluit ex regulis justæ, quod oblatio, obsignatio & depositio pecuniæ, depositum juris pro reali debeat haberi præstatione; modo antea solutio debitori ipsi, & quidem tota in justâ qualitate & quantitate, tempore ac loco oportuno

*De eodem ac effectibus Solutionis.*  
*De Solutione invito creditore præstanda.*

D d s tunc

tuno fuerit oblata, ita, ut creditor nullam justam causam detrectandi eam habuerit.

*Compensationis Definitio & requisita.*

§. 49. 2. *Compensatio*, quæ est debiti ob aliud debitum creditoris sublatio statim ab eo tempore, quo utrumque existit. Ipso jure i. e. statim cum mutuum debitum existit, fieri compensationem, æquam est, fuitque hæc compensatio ex regulis justis: intererit enim nostra potius non solvere, quam solum repetere. Requiritur autem mutui debitor, nullo respectu habito, cujus sint conditionis. Locum ea habet 1) in rebus, non factis: nam hæc nullam accipiunt functionem, & quidem 2) ejusdem generis 3) ejusdem qualitatis vel bonitatis 4) in genere & simul debitis 5) debitum purum, verum & liquidum esse debet. Effectus ejus est, quod debitoribus mutuo debito existente statim liberentur: hinc usura desinunt, solvuntur pignora, liberantur fidejussores. Tunc autem saltem hic effectus sequitur, si illi velint, quorum intererit. Licet itaque compensatio omnino nitatur æquitate, non aliter tamen obtinet, quam positis circumstantiis; quæ vero vel lege positiva, vel consensu privatorum mutari possunt, ita, ut, licet omnia requisita adsint, tamen compensatio non habeat locum.

§. 49.

§. 50. 3) Novatio, quæ est actus, quo *Novationis*  
pristina obligatione vel sublata, vel salva, *Definitio,*  
nova constituitur obligatio. Solus con- *requisita &*  
sensus hic sufficit. Si idem debitor *effectus.*  
idemque creditor manet, vocatur no-  
vatio in specie dicta; si vero in prioris  
debitoris locum alius substituitur, dele-  
gatio appellatur: quod iterum fit illo vel  
sciente atque volente, vel ignorante aut  
invito. Priori casu ratione principalis  
debitoris, nomen accipit delegationis;  
posteriori autem expromissionis. Quod  
animus novandi requiratur, extra dubi-  
um est. Habet quoque Novatio locum  
in omnis generis obligationibus, & ab iis  
fieri potest, qui liberam rerum suarum ad-  
ministrationem habent. Effectus Nova-  
tionis in specie sic dictæ est; ut mora pur-  
getur, pignora liberentur, usuræ ac alia  
privilegia cessent, & poena non commit-  
tatur.

§. 51. In Delegatione prior debitor *In specie de*  
plane a sua obligatione absolvitur, quam- *Delegatio-*  
vis posterior invalida sit, ita, ut ne qui- *ne & Cessio-*  
dem contra eum amplius agi queat, licet *ne.*  
delegatus non solvendo existat; nisi hoc  
expresse fuerit reservatum. Novam eti-  
am delegatus contrahit obligationem, ita  
ut neque privilegiis, neque emolumentis  
prioris obligationis uti possit. Cessionem  
a De-

a Delegatione secundum principia Juris naturalis non differre, sed earum differentiam ex sola Jurisprudencia Romana fluere, omnino cum Pufendorffio a) persuasus sum, licet alii b) aliter sentiant.

a) de offic. Hom. & civ. lib. I. c. 16. §. 9. ibique Treuer, it. de J. N. & G. L. V. c. 11. §. 13.

b) Vid. Titius ad c. 1. de off. Hom. & Civ. it. Her-  
tius ad Pufend. Jus N. & G. cit. loc.

*Assignationis Definitio & effectus.*

§. 52. Non autem confundi debet cum Delegatione Assignatio, quando debitor suo creditori alium solutionis gratia assignat. Hæc debitorem plane non liberat, modo creditor, qui assignationem assumpsit, aut tempestive debitum exegerit, aut renunciaverit assignationi: alias enim periculum assignati debiti ad eum pertinet.

*Transactio-  
nis Definitio,  
requisita & effectus.*

§. 53. Merito quoque tanquam Species Novationis considerari potest Transactio, quæ est conventa & non gratuita rei dubiæ decisio. Efficacia ejus a solo consensu serio dependet; atque omnino Jus Naturæ illam approbat, tanquam medium non solum litis molestias, sed & dubium ejus eventum evitandi, & hinc plurimum facit ad externam felicitatem. Non autem de Jure Naturæ requiritur, ut sint Jura dubia, sed etiam de certis transigi posse videtur. Plane quoque ignorat Jus Na-



Naturæ hypothesin, quod non possit transigi contra matrimonium, de alimentis futuris ultima voluntate relictis, de causa controversa ex ultimis voluntatibus, quarum tenor nondum est cognitus, de delictis non capitalibus commissis; sed omnes has transactiones omnino pro validis agnoscit, licet & Jus privatum valide in his omnibus contrarium etiam statuere possit. Effectus ejus est, ut transigentes ad consummationem obliget, neque unius poenitentia possit rescindi.

§. 54. Dissolvuntur porro obligationes *Remissionis* Remissione, quæ est actus, quo negotia *Definitio* reciproca, vel re integra, vel in pristinum *et requisita.* statum restituta, dissolvuntur. Requirit ea utriusque consensum, nisi negotium ita sit comparatum, ut voluntate unius possit rescindi. Potest vero hæc condonatio fieri vel expresse, pacto scil. de nunquam petendo, vel tacite, redditione nimirum chirographi. Acceptilationem quod concernit, spectat hæc solum ad ritus Romanorum.

§. 55. Porro tollitur & obligatio perfidia alterius. Qui enim ipse contractum *De Perfidia alterius* implere recusat, & alteri implementum *us et Confusione et c.* remisisse censetur. Agnoscit etiam Jus Naturæ, ut modum tollendi obligationem, Confusionem, quæ est extinctio Juris

ris, eique respondentis obligationis, ex concursu utriusque, in eandem personam, oriens. Oritur autem hæc ex successione, si vel debitor creditoris, vel hic illius hæres existat.

*De aliis  
Modis obli-  
gationes  
dissolvendi.*

§. 56. Haud dubitari quoque potest, quod & rei interitu, si scil. species debeatur eaque sine culpa debitoris perierit, item temporis lapsu, conditionis existentia, morte, obligationes tollantur.

## CAP. XII.

De

### Interpretatione.

§. 1.

*Cur Caput  
de Inter-  
pretatione  
non præ-  
termitten-  
dam.*

**O**Mitti plane potuisset materia de Interpretatione, magis ad Logicam, quam ad Jus Naturæ spectans: cum tamen sæpius verba dubia arque obscura in Pactis aliisque negotiis humanis obvenire soleant, interpretationem expectantia; non male nos facturos esse arbitramur, si & hic illam paucis perlustremus.

*Ejus utili-  
tas ac ne-  
glectus a-  
pud anti-  
quos,*

§. 2. Ostendit se vero ejus utilitas in omnibus quatuor Facultatibus, ita, ut mirari liceat, cur tot Seculis plane incul-

ta fuerit relicta. Philosophi enim illam penitus neglexerunt, atque inter hos ipse Aristoteles, qui magis Lexicon particularum, quam interpretationem, tradidit. Icti eam admodum confuse pertractarunt, cum tamen variis ex causis ab his maxime ejus emendatio sperari potuerit. Neque Historia nos dubitare finit, Ictos Rom. primos fuisse interpretes. Sic enim Salvius Julianus de ambiguitatibus, & Ælius Gellius de Verborum significatione scripserunt.

§. 3. Apud Patres Ecclesiæ nihil hujus *De eodem* argumenti reperitur : hodierni autem *& Scriptu-* Theologi magis de mente S. Scripturæ, *ribus de* quam de interpretatione in genere, *Interpre-* fuerunt solliciti. Post pauca igitur Icto- *tatione.* rum Rom. Scripta hæc doctrina prorsus a DD. Juris neglecta fuit, donec Seculo XVI. Ann. scil: 1588. Spiræ Cynosura Juris auctore anonymo prodiit. Subsequentibus autem omnes fere recenset Vincentius Placcius in Systemate de Scriptis & Scriptoribus anonymis atque pseudonymis; & Sacrorum Interpretum Historiam tradidit Pfeiffer in Hermeneutica Sacra: quibus adjungi omnino debet Dn. August. Hermann. Franckii *Manu-* ductio ad lectionem Scripturæ S.

§. 4.

*Restaura-  
tores Capi-  
tis de Inter-  
pretat:*

§. 4. Restauravit itaque & hanc solidioris eruditionis partem Hugo Grotius in Tr. de J. B. & P. L. II. c. 16. quem secutus est Sam. Pufendorf. in opere majori L. V. c. 12. Reliqui enim omnes aut nimis sunt prolixi, a) aut sine iudicio scripserunt, magisque grammaticalia, rhetorica & dialectica pertractarunt. b) Novam verò periodum omnino auspicamur ab Ill. Thomasio: c) hic enim primus fuit, qui errores neque a Grotio, neque a Pufendorffio, neque ab ullo alio, cognitos detexit atque hanc doctrinam ad V. regulam felicissime deduxit.

a) Ita Placcius in cit. Tr. 60. genera Interpretationum, & 4. fere Centurias regularum cumulavit

b) Clarius hoc patescit, si inspicimus varias Auctorum classicorum Editiones. Nam omnes harum Editores aut contulerunt saltem Editiones cum Codicibus ipsis, aut varias annotarunt lectiones, aut Commentarios prolixiores scripserunt, aut ad quaedam vocabula digressiones instituerunt.

c) Vid. Ejusdem Jurisprud. div. L. II. c. 12. in primis quoque Praxis Logices Cap. 3.

*Præmonita  
quædam  
circa hoc  
Caput.*

§. 5. Quoad Interpretationem vero ipsam ante omnia fecerni debet Grammatica a Logica Interpretatione. De hac enim tantum, non de illa, sumus solliciti. Cum primis autem observandum: quod Interpretatio, non solum paucis includi  
de.

debeat regulis, nam multitudo regulatum rem magis obscurat, quam illustrat: ) Sed quod falsæ etiam regulæ a Ictis prolatae bene debeant separari.

§. 6. Quare Interpretatio ipsa est actus intellectus, judicans ex principiis conjectandi convenientibus de sensu sermonis vel signi haud distincte & clare ab altero prolata. *Interpretationis Definitio.*

§. 7. Quod dicatur actus intellectus, innuit: interpretem præjudicii non debere esse imbutum, sed omnino veræ Logices regulis opus habere. *Cur vocetur actus intellectus.*

§. 8. Porro dico: judicandum esse; nam interpres non dubitet. Dubitativa enim interpretatio non declarat sensum, sed potius indicium præbet ignorantiae. *judicans.*

§. 9. Addidi: ex Principiis conjectandi convenientibus. Interpretatio enim se fundat in verosimilibus, & quod jam clarum ac perspicuum est, non indiget interpretatione. Ex quo simul patet quod ea nunquam cognitionem philosophice certam atque demonstrativam patriat. *Et quid sit ex Principiis conjectandi convenientibus.*

§. 10. Denique dico: ab altero; nam proprium inquirere sensum est hominis stulti, imo interpretatio authentica est interpretatio improprie sic dicta, atque huc plane non spectat. *ab altero &c.*

*Quaestio:  
unde Ser-  
monis ob-  
scuritas o-  
riatur?  
Ad hanc  
Quaest. Re-  
sponso.*

§. 11. Quia autem Interpretatio circa sanctum alicujus sermonis obscurum versetur, merito quaeritur: unde Sermonis obscuritas ortum trahat?

§. 12. Oritur igitur obscuritas sermonis vel signi partim ex figura literarum externa, partim ex interno Verborum sensu. Priori casu existit 1) ex figura scribendi 2) ex abbreviaturis, quas hanc ob causam prohibuit Justinianus in L. I. §. 13. L. II. §. 22. & L. III. §. 22. C. de V. J. E. 3) ex errore in transcribendis verbis commisso L. 92. de R. J. L. 24. C. de Testam: 4) ex literarum inductionibus, ac superinductionibus 5) ex scriptura vel curia inscribentis, vel vicio temporis, mutilata 6) ex interpunctione aut omissa, aut non recte posita.

*Cause ob-  
scuritatis  
Sensus in-  
terni Ver-  
borum.*

§. 13. Ratione sensus verborum interni accidit obscuritas 1) ex verbis obsoletis 2) ex vocabulis noviter confictis 3) peregrinis 4) ambiguis 5) ex sermone perplexo 6) ex contrarietate & pugna duarum orationum.

*Gramma-  
tica Inter-  
pretatio  
quatenus  
requira-  
tur.*

§. 14. Quamvis vero dixerimus, Interpretationem Grammaticam huc non spectare, id tamen non ita intellectum esse volumus, ac si plane negligi debeat, cum omnino Interpretatio Logica Grammaticam supponat. Nam qui felici-

liciter in interpretatione procedere cupit, callere debet linguam. Ut autem quis rite illam sciat, requiritur 1) ut quorumcunque vocabulorum, de quibus quæritur, usum bene cognitum habeat 2) ut eorum usum diversum ab usumque noscat 3) ut genium linguæ atque idiotismos norit 4) ut verba obsoleta a novis, impura a puris, usitata ab inusitatis atque aliena a propriis probe discernat, & tandem 5) ubi Antiquitatis monumenta investiganda sunt, ut studium Calligraphiæ diversæ adhibeat.

Confer. Jo. Clerici doctiss. liber de Arte critica & Jo. Lockii Tr. de intellectu humano.

§. 15. His suppositis aggredi possumus Interpretationem Logicam V. inclusam regulis, quibus recte applicatis omnem obscuritatem (si saltem interpretationem admittat) transcendere licet.

§. 16. Regula I. desumitur a persona loquentis vel scribentis & ita se habet:

Ante omnia considera personam illius, qui aliquid locutus est aut scripsit i. e. perpende ejus mensuram ætatis, Judicii, ingenii memoriæque facultatem, sensum integritatem, Corporis sanitatem, affectus, tempus, locum, fortunam, vivendi conditionem &c.

*Ejus Ratio.*

§. 17. Nam aliter loquuntur inferiores, aliter superiores, aliter docti, aliter indocti, aliter voluptuosi, aliter ambiciosi ac avari, aliter ingeniosi, aliter memoria pollentes, aliter senes, aliter juvenes, aliter morbidi, aliter sani, aliter in affectu positi, aliter quieti: aliter Theologus, aliter Ictus, aliter Medicus, aliter Philosophus.

*Reg. secunda ejusque ratio.*

§. 18. Regula II. Examina id, de quo Auctor loqui vel scribere sibi proposuit. Nam multæ dantur locutiones ambiguarum vocesque diversorum significatum, in quibus omnibus neglecta regula progredi vix licet.

*Tertia Regula.*

§. 19. Regula III. Lege antecedentia & consequentia, imo non solum lege, sed & relege plus simplici vice, conferque alio loco ab eodem auctore de eadem materia scripta ac prolata evolviendo doctrinæ analogiam.

*Quarta Reg. ejusque causa.*

§. 20. Regula IV. Benignam & cum sana ratione convenientem explicationem semper præfer odiosæ & bonis moribus repugnanti. Nam cum omnes homines præditi sint ratiocinandi facultate, nemo absurda statuere voluisse præsumitur, nisi aperte suam prodat stultitiam. Quando vero homines sæpius suis indulgent

af.



affectibus, recte studium partium affectuumque præsumitur.

Conf. Jo. Clericus in Parrhasianis.

§. 21. Regula V. Illam interpretationem sequere, quæ rationi Legis ac principiis auctoris congruit, & eam rejice, quæ ab eadem discrepat. Atque cum ratio legis duplex esse possit, una, quæ Legislatorem ad legem condendam impulit, altera, quam in lege intendere voluit, hinc ad utramque respiciendum est. Quia vero tacitæ voluntatis conjecturas tradimus, ideo regula nostra cessat, quando verba expressa legis aliud docent. Imo si aliæ quoque circumstantiæ se offerant suadentes, præter intentionem auctoris aut Legislatoris interpretationem adornandam esse, neque hoc prætermitti debet.

§. 22. His V. Regulis feliciter in omni interpretatione nos progredi posse, extra omne dubium positum est. Cavendum ergo est a variis falsis regulis, quæ a Ictis nostris immisceri solent.

§. 23. Ita nullo plane nititur fundamento regula, qua utuntur Icti: quod favorabilia late, odiosa stricte sint explicanda, Unde postea deduxerunt: quod Statuta, LL. pœnales, Juramenta & stricte interpretanda sint. Nam est illa

E e 3

Q) inu-

1) inutilis ac superflua: quia jam hactenus recensitæ Regulæ sufficiunt 2) falsa est: nam v. g. Venatione concessa inferior tantummodo intelligitur 3) est non intelligibilis, uti fusius demonstravit Ill. Thomasius in Institut. Jur. div. L. II. c. 12. it. in Controversia cum Placcio & Logic. P. II. c. 3 §. 116. seqq.

*Item hæc:  
Beneficia  
Principis  
late expli-  
canda.*

§ 24. Æque infirmo nitur fundamento alia regula: quod beneficia Principis late explicanda sint. Nam & hujus falsitatem pluribus demonstravit Ill. Thomasius in peculiari Diss. de Interpretatione beneficiorum Principis.

*Regula falsa de Testamentis.*

§ 25. Multo minus se commendat illa: quod Testamenta ita exponenda sint, ut verba in significato propria sumantur. Nam universalitatem hujus regulæ aperte falsam esse, patet ex L. 44. §. 2. sq. L. 45. Pr. de leg. 1. L. 30. pr. L. 102. §. 1. de leg. 3. L. 1. de tritic. leg. L. 7. §. 12. de supell. leg.

*Quid: pro  
ro obser-  
vandum &  
cavendum.*

§ 26. Præterea sunt adhuc certæ regulæ Ictis saltem particulares, & quæ ad definiendas Controversias privatorum citra rationis dictamen in expressis legibus fundamentum habent, quibus omnino uti debemus; sed simul tamen cavere debet Ictus, ne eas pro regulis Logicis venditet, atque in controversiis Principum

cipum ac liberarum gentium iis utatur. e. g. quod in Testamentis impossibilis conditio habeatur pro non adjecta; quod verba contractuum contra eum debeant explicari, qui clarius loqui debuisset.

Vid. III, Thomassii Prax. Logic. C. 3. n. 133 158.

§. 27. Et quamvis hucusque regulæ interpretationis allegoricæ plane fuerint omissæ atque ne ab illis quidem traditæ, qui ubique tamen allegoricas interpretationes inculcare solent, & hæc sane debent attendi, quæ in his consistere videntur, ut 1) calleamus conditionem ac statum auctoris circumstantiasque loci, ubi legit 2) ut optime cognitam habeamus disciplinam, quam auctor sub sensu allegorico occultare ac proponere voluit.

*De Negulis Interpretationis Allegoricæ.*

§. 28. Non vero prætereundum est, aliud esse sensum mysticum, & ænigmati-  
cum vel occultum. Nam sensus mysticus proprie tantum dicitur de Scriptura S. & significat repræsentationem spiritualis Regni Christi in negotiis Mundi. Hic capitalis oritur quæstio: utrum unius ejusdemque dicti geminus detur sensus, literalis & mysticus? v. g. an Abraham exire jubens Hagar intenderit 1) exitum Hagaris naturalem, & 2) simul utriusque, novi & veteris Testamenti ad-

*De Sensu occulto mystico ac literalis.*

umbrationem. Pfeifferus certe in Critica sacra unicum saltem, unius dicti voluit esse sensum, & Jo. Spencerus in Tr. de LL. Ebræorum ritualibus non mystica, non Typos, sed rationes morales subfuisse ac latuisse contendit. a) Neque obstare videtur auctoritas Pauli. Hic enim modo docere voluit, quomodo meditationes piæ ac cœlestes a quovis eventu & quolibet verbo V. T. possint desumi, in gratiam Judæorum nimis, quam par est, sensui mystico inhaerentium.

- a) Confer. etiam auctor. Tract. Gallici du Christianisme eclaire sur les differents du tems en matiere du Quietisme, Amstel. 1700.

**LIB.**

## LIB. III.

## CAPUT I.

De

## Statu naturali.

## §. I.

**H**Actenus consideravimus officia, <sup>Quoniam</sup> quæ ex regulis justitiae, decori & <sup>præmittenda</sup> honesti singuli erga se ac erga <sup>officiis</sup> singulos observare debent, quatenus <sup>intuitu cer-</sup> uterque vitam suam feliciter transi- <sup>tatione So-</sup> gere intendit. Quia vero omnes homi- <sup>cietatum</sup> nes in certa cum aliis vivunt societate, necesse erit, ut quoque distinctius illustremus ea officia, quæ harum societatum intuitu oriuntur. Non vero incongruum erit, antea aliquid de statu naturali ipso præmittere.

§. 2. Est vero status naturalis conditio <sup>Definitio</sup> eorum hominum, qui vivunt extra rem- <sup>Status na-</sup> publ. ita, ut eo opponamus hunc statum <sup>turalis.</sup> statui civili. Hobbesius eum vocat statum libertatis.

E e §

Alm

Aliter definiunt Statum naturalem Iſti, Theologi & Politici; de quo in Diſcurſu.

*Huius Status Delineatio.*

§. 3. Nam orto humano genere nullæ fuerunt reſpl. nullæ Civitates, nullus Magiſtratus, ſed unusquisque vivebat pro libitu, ſui ipſius erat dominus, ac de ſiſis diſponendi pleniffima gaudebat libertate. Cum itaque in hoc ſtatu nullus eſſet Magiſtratus, nullæ quoque erant leges civiles, ſed ſana ratio, qua quisque erat præditus, tanquam regula, ei dictabat, quid facere, quidve omittere deberet ad vitam maxima cum felicitate peragendam.

*Ejus felicitas.*

§. 4. Et hæ Leges omnino fuiſſent ſufficientes, ſtatusque hic naturalis omnium feliciffimus. Unusquisque enim ſumma pollebat libertate, neque vitæ neque omnium ſuarum actionum agnoſcebat iudicem, omnes inter ſe erant æquales, non audiebatur vox prætoris, nullæ ſtatuebantur poenæ, omnis dominii in alios ac proprietatis expers fuerat hic ſtatus, atque facultas diſponendi de iis, quæ ſemel erant occupata, fuit liberrima.

*Falſus conceptus de illo Statu.*

§. 5. Perperam autem putas, in hoc ſtatu quemvis beſtiarum inſtar juxta affectuum ſuorum motum vivere potuiſſe, ſed potius ea lex naturalis, quæ in hoc ſtatu obtinebat, etiam jam præcipiebat, Deum velle, ut omnes homines & feliciter,

&c

& diu vivant, ac quod proinde unusquisque secundum regulas justæ, decori honestique suas debeat instituere actiones. Nemo igitur debebat lædi, cui libet præstanda erant officia humanitatis, nec officia erga se ipsum exulabant.

§. 6. Cum autem semper pauci reperiuntur sint sapientes i. e. veræ suæ felicitati intenti, sed plurimi potius affectibus suis indulgentes nil nisi suam aliorumque miseriam promoverint, cum quoque præterea homines a natura magis ad bellum, quam ad pacem inclinent, ipsa illa libertas fræna laxat improbis in omnia facinorosa ruendi, tantisque homines exponit periculis, ut neque respectu vitæ, neque Bonorum aliquam sibi promittere liceat securitatem, ipsa experientia optima hujus rei magistra. Econtra habemus in statu civili Magistratum, pœnas gravissimas, carceres squalidissimos, sed ubique tamen reperias latrones, fures, homicidas, verbo homines, qui omnibus viribus eo nituntur, ut turbent ac pessumdent felicitatem aliorum externam.

§. 7. Licet igitur nemo natura servitutem appetat, neque onera civitatis quis sponte subeat, imo falsum prorsus sit, homines esse animalia politica & hanc ob causam respubl. erexisse; tamen majora sunt

*Ejus comparatio cum Statu civili.*

*Prærogativa Status civilis præ naturali.*

funt commoda Civitatis, quam status naturalis & homines majori in republ. frui possunt felicitate, quam in statu illo libertatis.

*De hodierno Statu naturali inter gentes.*

§. 8. Nihilominus hoc in statu naturali adhuc hodie nonnullæ republ. ut personæ morales, vivere videntur. Hæ sane nullo vinculo, nisi Juris naturalis, continentur, nullum, nisi Deum, agnoscunt superiorem, sed omnis gens sui est juris, omnesque inter se sunt æquales, nulli in alium competit imperium aliquod, nullum agnoscunt Judicium, nisi solius Dei, neque ulli, quam soli Deo, ad rationes reddendas tenentur.

*Juxta hunc nullam resp. altera superior.*

§. 9. Hinc sequitur, quod sicut in statu naturali potentior nullum jus habet in infirmiore, neque salvis Justitiæ regulis illum suppressere potest: ita nec republica potentior nullo jure in infirmiores gaudet omnique jure destituitur, aliam hac ex causa opprimendi, ac bellum justum sibi arrogandi.

*De bello omnium in omnes Gentiumque latracinio,*

§. 10. Imo etiam absorbum est, statuere inter republ. bellum omnium contra omnes. Quamvis enim gentes quoque natura magis inclinent ad bellum, quam ad pacem, atque libertas illa infrænata ad arma contra alias gentes capeffenda facile incitet, exinde tamen nemo obtinebit,  
hoc



hoc esse justum ac Jus Naturæ id approbare. Nam aliud est, ad quod inclinamus & quod passiones vitiosæ dicitant, aliud vero, quid de jure facere debeamus, quidve ad nostram veram conservationem, quietem ac Pacem externam tuendam agere nos deceat. Explodendum igitur omnino est illud latrocinium gentium inter se, de quo veteres fabulati sunt, \*) illudque jus Hobbesianum omnium contra omnes.

\*) Vid. Jac. Thomasius de latrocinio gentium in observat. Hall. Tom. VII. observ. 6. 7.

## CAP. II.

De

# Officiis hominum intuitu Societatis conjugalis.

§. I.

**N**Ullum est dubium, quin Societas <sup>Societatis conjugalis</sup> conjugalis non alium in finem a Deo <sup>quisnam</sup> sit introducta ac permessa, quam quia multum ad nostram facit felicitatem atque quietem tam internam, quam externam. Quodnam enim remedium coercendi cœstrum illud libidinis aptius ac efficacius foret, quam hæc societas? Imo ipsa geni-

nitrix quasi est omnium reliquarum Societatum, ideoque etiam primum sibi inter omnes recte vindicat locum. Haud vero subsistere, neque eum, quem intendit, obtinere potest finem, nisi observatis regulis iusti, decori & honesti.

*Pontificiorum doctrina de Matrimonio.*

§. 2. In Præceptis autem circa hanc Societatem tradendis caute procedendum esse videtur. Cui enim ignotum est, quod Clerus papalis contra omnem rationem multa finxerit, atque præceptorum instar incautis laicis imposuerit, quæ finem illius plane evertunt ac ipsam ad felicitatem generis humani directam ad perniciem & miseriam ejus applicarunt? Ita enim finxerunt: Deum specialia præcepta circa hanc Societatem promulgasse omniaque, quæ hac de re in S. Scriptura memorantur, non esse Juris positivi, sed Juris naturalis & hinc non dubitarunt, ex matrimonio novum sibi fingere Sacramentum, ac proinde Clerus quoque sibi soli attribuit potestatem dispensandi atque tam de Principum, quam privatorum, disponendi matrimoniis.

*De impulsu naturali ad Matrimonium.*

§. 3. Matrimonium igitur ipsum quod concernit, facile unusquisque occultam quandam propensionem & instinctum naturalem ad diversi sexus conjunctionem in se deprehendet, imò inveniet, nullum affectum dari, cui difficilius resis-

nul-

sti frænumque, quam huic, injici queat. Quicquid tamen sit, falso certe illi omnes ratiocinantur, qui cæstrum illud libidinis pro indifferenti, aut plane pro licito agnoscunt, & hoc aliis persuadere fatagunt.

§. 4. Omnino enim illud est vitiosum eoque magis suppressendum, cum partim lædat regulas honesti ac animi tranquillitatem nobis auferat, qua solæ vadimus felices, partim violet etiam regulas decori & justii. Nam eo nos abducit atque abripit, ut actiones indecoras & scandalum tam gratum, quam ingratum, committere haud erubescamus, imo nihil vereamur, violare fidem conjugalem, & aliorum jura sibi competentia.

*Quatenus hic impulsus vitiosus reddatur.*

§. 5. Sane parum sibi est conscius, qui credit, viribus naturalibus cæstro huic non posse resisti. Nam homo etiam magis, quam bestiali libidinē deditus sentit, satiata libidine, spurcitiem atque stulticiam cum tali actu conjunctam, stimulos pœnitentiæ percipit, ac satis superque experitur, se magis malum, quam bonum aliquod, elegisse. His cogitationibus insistens statim deprehendit, uti in aliis affectibus, ita & in hoc nullum remedium promptius & efficacius suppeditari, quam ut regulis justii, decori atque honesti utatur, iisque libidinem hanc coërcere allaboret. Si quæras: quomodo

*Quomodo libido naturalibus mediis suppressenda?*

do ad hunc Sapientiæ gradum sit perveniendum, quæ media tibi sint adhibenda, statim repete ea modo, quæ jam libro primo suppeditavimus: nempe omnes affectus, tam ambitionis, quam avaritiæ & voluptatis supprimi atque coerceri posse Spe, metu, consilio, legibus, pœna, præmio, exemplo, experientia, meditatione; his si frueris, sine omni difficultate & hanc vinces libidinem, hujusque cœstri stultitiam supprimes ac quietus evades.

*Varia Sententia de Matrimonio ineundo.*

§. 6. His positis merito inquirimus: An detur Præceptum obligans ad Matrimonium ineundum? Jus Naturæ strictè sic dictum s. regulæ justæ tale præceptum ignorant; hinc decisio hujus quæstionis solum ex regulis decori atque honesti est expectanda. Variæ autem hic se offerunt responsiones. Quidam respondent futurum, ut te pœniteat, s. Uxorem duxeris, s. non duxeris. Alii tibi commendant Coelibatum, s) alii distinguunt. c) Quisque enim rem decidit secundum propriam inclinationem sapientem quendam sibi fingens in idea. u) ut Bion; Epicurus; Democritus. Vid. Laërtius de Vitæ & moribus Philosophorum. L. 4. n. 48. L. 6. n. 3. L. 10. n. 119. ibique Menagius, & Stobæus in fragment. moral. veter. philof. Serm. 66.

b) Ut Aristoteles. Vid. Menagius c. l. & Stobæus c. l. Serm. 67. r)

e) Ut Epicurus Stoici aliique. Vid. Laëtius c. 1. L. 10. n. 119. & ibi Menagius; it. Stobæus c. 1. Serm. 67.

§. 7. Mihi ante omnia id tenendum esse videtur; matrimonium haud obesse Sapientiæ; a) suis tamen & commodis gaudet & incommodis laborat. Recte facit; qui Uxorem ducit; melius autem; si prudenter ac quiete sine Uxore vivere possis: b) Quoniam vero variæ dantur hominum species; universalis regulâ formari nequit; sed id uniuscujusque relinquendum est iudicio; Nam sunt nonnulli; quibus expedit multumque ad ipsorum felicitatem facit, si Uxorem ducant; sed dantur & alii; quibus sit convenientius, vitam suam in Cœlibatu transigere. Possumus itaque salvo jure naturæ tam lato, quam stricto, Uxores ducere, atque ab omni etiam abstrahere matrimonio.

*An Matrimonium præstet Cœlibatu?*

a) Vid. Stobæus c. 1, Serm. 65. & Laëtius c. 1. L. 4. c. 48. it. L. 6. c. 3.

b) Vid. Bælius in Diction? histor. & critiq. sub voce: Bias

§. 8. Dicis: Non possum vivere in Cœlibatu; mihi quærenda est Uxor, sed nescio qualis; an pulchra aut deformis, dives an pauper; simplex, an prudens, an Virgo aut vidua; an juvencula; an vetula; an statu superior, an inferior &c.

*Uxor quidam ducenda?*

ff Opti-

Optime respondetur: Semper examinandum esse suum statum; diversitas enim status conditionisve diversam quoque exigit Uxorem. Si tamen tibi relinquatur libertas eligendi, semper prudentem, forma suavem, honestis Parentibus natam omnibus aliis præferendam esse arbitramur.

*An S. Scriptura præcipiat Matrimonium?*

§. 9. Convenit cum hætenus dictis ipsa quoque S. Scriptura. Nullum enim in hac de matrimonio ineundo extat Præceptum, sed id cujusque etiam relinquatur libertati. Nam verba, quæ in contrarium alii allegare volunt: Crescite & multiplicamini, non sunt verba præceptiva, sed Benedictionis divinæ. a) ac mera sibi somnia fingunt Rabbini, pro peccato mortali venditantes, si quis expleto vigesimo ætatis anno Uxorem ducere neglexerit. b)

a) Vid. Ill. Thomaf. cautel. circa Præcogn. Jurispr. Eccles. c. 4 & 10.

b) Vid. Seldenus de J. N. & G. juxta Disciplin. Ebræor. lib. 5. c. 3.

*Circa id quod possit dispo- nere Prin- cept.*

§. 10. Nullo igitur Præcepto existente Principis relictum est arbitrio, de Matrimonio ineundo disponere. Ita prohibere potest, ne Personis in certo officio constitutis liceat inire matrimonium, item ne liceat id sine illius consensu atque extra suum Territorium. Haud itaq; pugnat

**cum**

cum Jure Naturæ prohibitio Papæ, ne Clericis liceat ducere uxores, modo iis facultas sit relicta, deserere ordinem Ecclesiasticum, si natura jubente non honeste ac prudenter in Cœlibatu vivere queant.

Dicemus in Discursu de jure Hagenstolzionatus. Vid. quoque Baylius in Tr. Gall. Reponse aux quest. d'un Provincial Tom. I. p. m. 542. sqq.

§. 11. Matrimonium ipsum est Societas *Definitio* arctissima, eum in finem a mare & foemi- *Matrimo* na inita, ut honeste ac decore sobolem *nii.* procreare velint.

§. 12. Finis itaque primarius est Pro- *Ejus finis* creatio Sobolis, & quidem decora atque *primarius* honesta: non enim quivis vagus concu- *quis?* bitus omnisque congregatio libidinosa pro Societate conjugali est habenda; licet & exinde procreatio Sobolis sperari queat. Nam hanc ob causam Deus præ reliquis Creaturis homini sanam indidit rationem, non ut bestiarum instar vitam transigat, sed ut omnibus suis actionibus veram suam intendat ac promoveat felicitatem.

§. 13. Quamvis autem primarius hujus *Hunc fi-* Societatis finis in illa, quam diximus, *nem obti-* Sobolis consistat procreatione, nullum *nendi* tamen est dubium, cæstro libidinis semel *quodnam* a Creatore O, M. naturæ humanæ im- *fit mediant* plan-

Ff 2

plan-

plantato, simul ab illo concessam esse facultatem restringendi hanc libidinem atque instinctum naturalem. Ad hunc vero finem obtinendum non quivis vagus concubitus est sufficiens, sed decorus ac honestus. Nam illo non extinguitur, sed excitatur libido ad eum modum, sicut esuriens cupiditatem vorandi frustra ciborum variorum multitudine pellere conatur. Quod & ipsum S. Scriptura inculcat, nempe ob scortationem cujusvis esse, propriam habere Uxorem, non ut inhoneste ac indecore cum propria Uxore vivere debeamus, sed ut hoc medio libido reprimatur.

*Consecrari-  
um.*

§. 14. Concludimus igitur: quod illa saltem Societas mereatur nomen matrimonii s. Societatis conjugalis, quæ honeste & decore procreandæ Sobolis gratia initur. Hinc omnino illa Societas, qua hoc modo finis is non intenditur, nomen istius haud meretur.

*Matrimonium requirit 1) Pactum.*

§. 15. Cum dixerimus: esse Societatem, fuit inde, quod licet non sit contractus more Romanorum, quia non est res in commercium veniens, tamen requirat pactum; non enim homines ut bestię se conjungunt, sed ut decoram honestamque intendere Sobolis procreationem



nem ac veram amicitiam invicem inire velint.

§. 16. Pactum Præsupponit consensum : *& hinc 2) Consensum.*  
 non ergo fingi potest hæc Societas sine consensu. Nam quamvis Concubitus fieri queat sine consensu ; haud tamen ex eo constat, anne saltem libidinis, explendæ gratia fuerit factus, & ideo recte se habet assertio communis Ictorum : quod non concubitus, sed consensus faciat nuptias. Quod itaque consensum impedit, illud etiam efficit, ut nullum adesse queat matrimonium.

§. 17. Debet igitur abesse metus ab alterutra parte injuste incussus ; imo & dolus malus alterutrius partis invalidam reddit hanc Societatem. Et recte ab aliis notatur, ineptam esse distinctionem inter dolum circa essentialia & accidentalia matrimonii commissum : quicumque enim dolus sit, vitiat tamen consensum efficitque, ut alter vel plane recedere, vel ad interesse tamen agere possit. *3) Absentiam metus injusti doli.*

§. 18. Errorem quod attinet, ille, uti alios contractus, ita hunc quoque haud vitiat, nisi conditionis instar fuerit : imputet enim quisque sibi, quod in ineundo matrimonio regulas Prudentiæ non adhibuerit. Et licet error circa virginitatem *An Error impediatur Matrimonium?*

tem commissus invalidum matrimonium reddere aliis videatur, quia tacita hæc conditio promissioni hujusmodi subesse putatur, tamen ex principiis naturalibus ne hoc quidem admittendum esse existimo; cum nihil faciat ad Sobolem procreandam. Aliud vero est, si expresse aliqua pro Virgine se vendiderit.

*An. quoque  
consensus  
Parentum  
requira-  
tur?*

§. 19. Accedere quoque potest consensus Parentum. Utrum vero necessitatis sit, varie disputatur. Mihi dispiciendum esse videtur, utrum filius aliquam ducat in matrimonium, ita, ut sibi suæque familiæ alimenta præstare nequeat, sed hoc onus Patri imponere velit; quo in casu omnino regulæ justi Parentum exigunt consensum. Citra hunc casum consensum Parentum ex regulis decori saltem fluere, omnino autumo. Nullum igitur ideo matrimonium haud est, neque consummatum ob Parentum dissensum potest rescindi. Non tamen improbat Jus naturæ dispositionem LL. civilium, qua ejusmodi matrimonium pro nullo ac invalido declaratur.

*Pactis de  
futuris  
Sponsalibus  
sunt Juris  
Nat.*

§. 20. Ignorat alias Jus naturæ distinctionem inter Sponsalia & matrimonium ipsum; quamvis & illam LL. civilibus introductam haud improbet. Omnia

autem agnoscit Pacta defuturis Sponsali-  
 bus. Si enim ulla Societas, certe hæc cau-  
 te est instituenda, & cum mores nullam  
 licentiam divertendi concedant, ante o-  
 mnia ratione morum justa instituenda est  
 inquisitio, maximeque cavendum, ne a-  
 lienis videamus oculis. Nam occultum  
 sæpius latet interesse, ac tertius ignorat  
 nostrum temperamentum. Conversati-  
 onibus igitur pluribus hic opus est. Ut  
 autem hæc inquisitio de moribus decore  
 fiat, optime consultum erit, ut ipsa pacta  
 præcedat.

§. 21. Nullum quoque superest dubi *De accessu*  
 um circa hanc Societatem, quod varia ei *riis circa*  
 adjici possint pacta, quæ omnia ut valida *Pacta ma-*  
 haberi debent, quatenus fini Matrimonii *trimonia-*  
 haud repugnant. Haud itaque regulæ ju-  
 sti denegant validitatem pacto, quo inter  
 se conveniunt conjuges, quod infantes  
 solum spectare debeant ad feminam. Pa-  
 riter haud abhorret ab iisdem Justitiæ re-  
 gulis conventio, quod Uxor facultate gau-  
 dere possit usum corporis sui & aliis con-  
 cedendi. Nam licet dicas: maritum sibi  
 quærere Uxorem, & ex hac sobolem pro-  
 priam, non verò adulterinam, aut suppo-  
 sititiam; Verum cuivis obvium est, hoc  
 moribus solum esse adscribendum, &  
 quamvis etiam indoli sexus hoc indulge-  
 amus

amus, tamen certum manet, quod pactis mutari possit, hisque existentibus nemo Conjugum de læsione aliqua alterum accusare possit. Imo & hanc conventionem Juri Naturæ stricto haud adversari valde sum persuasus, qua conjuges inter se conveniunt, quod unus alteri ad individuum cohabitationem non teneatur. Certe quidem parum consulturus est familiæ liberorumque educationi vagam ac desultoriam gerens vitam: sufficit tamen, quod talis sibi saltem noceat, non aliis, & quod quisque pacto id etiam, quod sibi noxium atque injucundum est, in se possit suscipere.

Vid Ill. Thomasi Jurispr. div. L. 3. c. 2. §. 98. usque

§. 104. & Pufend. in J. N. & G. lib. 6. c. 8. §. 10.

§. 22. Verum hæc omnia rite se habent

*Quid hic  
dicent re-  
gulæ Deco-  
ri Honesti-  
que?*

quoad regulas Justi. Cum vero Jus Naturæ etiam ad regulas decori se extendat, ita, ut haud sufficiat juste transigere vitam; hinc utique repugnat regulis tam honesti, quam decori, conventio non solum, quod aliis Uxor usum corporis sui præbere possit, sed ut & invito marito peregre abire, vel secubare queat. Bene itaque consulit Princeps suæ reipubl. tales conventiones non modo prohibens, sed pœna etiam puniens graviori. Evertent enim ejusmodi pacta salutem & quietem

tem reipubl. externam omnesque famili-  
as ad incitas redigerent, a quarum tamen  
conservatione ac splendore utilitas rei-  
publ. primario dependet.

Vid. Ill. Thomasi fundam. J. N. & G. libr. 9.  
c. 2. §. 15.

§. 23. Sicut vero hæc Societas sola niti-  
tur amicitia & absque imperio aliquo vi-  
plento subsistere potest, imo & natura o-  
mnes homines produxit æquales: ita Ju-  
re Naturæ strictè dicto nullum marito in  
suam Uxorem competit imperium, &  
multo minus, uti alii inconcinne allegant,  
jus vitæ ac necis aliquod. Nam conces-  
sio divina, ad quam nonnulli a) provo-  
cant, ignoratur a Jure Naturæ stricto. Nec  
consensus, quem alii b) sibi fingunt, Ju-  
ris naturalis strictè sic dicti Præceptum  
probat, sed saltem indicat tunc a marito  
imperium pacto cum Uxore, s. expresso  
s. tacito sibi esse quæsitum. Neque po-  
tencia aut præstantia naturalis imperium  
aliquod in regulis justii fundatum marito  
assignat, c) Quare extra dubium positum  
esse videtur, quod pactum, quo maritus  
hoc imperium plane remittit juriq; suo  
renunciat, neque illicitum, neque regu-  
lis Justitiæ contrarium sit. Patet etiam  
exinde, quod regina non peccet contra  
Jus naturæ, si in maritum ex subditis suis

*Imperium  
quatenus  
competat  
marito?*

F f 5

ele-

electum imperium in rebus quoque domesticis sibi sumat.

a) Vid. Hennig. ad Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 5. §. 6. sqq.

b) Vid. Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 5 §. 8. ibique Bœclerus & Kulpifius in Colleg. Grot.

c) Vid. Kulpif. c. 1. p. 54. lit. a.

*Cur ex  
Regg. De-  
cori Mari-  
to competat  
Imperium?*

§. 24. Quicquid autem sit, competit tamen marito imperium aliquod in suam Uxorem ex regulis decori, s. ex Jure Naturæ late sic dicto; atque omnino eadem regulæ indécorum pronunciant pactum, quo maritus aut huic suo juri renunciat, aut illud plane in Uxorem transfert. Maritus enim sustinet onera Matrimonii opeque acquirit. Cui accedit, quod sexus fæmineus tam ratione corporis, quam voluntatis imbecillior sit, imo varium ac mutabile animal, ita, ut fæminæ regulariter haud sint aptæ ad imperium gerendum suasque actiones dirigendas; licet non sit negandum, quod ad earum corruptionem non solum educatio, sed & masculorum adoratio multum contribuat.

*Quale Im-  
perium SS.  
concedat  
Marito.*

§. 25. Eodem quoque modo ratiocinatur S. Scriptura. Lex enim de imperio mariti in Uxorem non involvit imperativum, sed futurum, scil. dominabitur tibi. Non itaque præceptum Deus dedit, ut imperare debeant mariti Uxoribus, ceu

cap.

carnifices earum, uti nonnulli putant, a) sed ostendit saltem, quod propter imbecillitatem voluntatis fæminarum non aliter fieri queat, si feliciter & sine familiæ interitu vitam conjuges transigere cupiant. Vid. Observ. Hall. Tom. VI, Obs. 27. §. 55. sq.

a) Vid. Friedlibius de modestia Ictorum.

§. 26. Quamvis autem regulæ decori *Hoc Imperium in* permittant marito, imperium sibi arrogare *in uxorem* in Uxorem; id tamen non extendit se *quoniam consistat* ad jus vitæ & necis. Possunt & LL. civiles imperium aliquod concedere, uti olim apud Romanos; nondum tamen satis est expeditum: utrum potestas aliqua castigandi ac coërcendi Uxorem etiam marito debeat adscribi. Videtur igitur juxta regulas decori hoc modo maritum uti debere suo imperio, ut scil. semper cogitet, se quidem esse caput familiæ, quæsi-  
visse tamen Uxorem sibi ut sit socia, atque familiam simul dirigat. Dictitant ergo regulæ decori, quod imperium mariti magis in libertate, quam in actu imperandi consistere debeat, ut tamen, si imprudens Uxor tibi contigerit, & coërcere eam, & imperio in ordinem redigere liceat.

§. 27. Bona Uxoris quod concernit, *Quatenus Jus in Bona Uxoris Marito test competat.* Jure Naturæ nullum Jus in ea marito potest competere.

test attribui. Omne vero Jus circa Bona illius marito competens vel ex pacto cum Uxore inito, vel ex LL. civilium dispositione est petendum. Inde fit, quod in singulis Provinciis ac regnis singulares etiam circa ea deprehendamus dispositiones. Interim non est negandum, maxime cum regulis decori convenire communionem Bonorum veram inter Conjuges. Nam signum est intimioris amicitiae, quam præprimis inter Conjuges exigit decorum. Potest itaque & inter Conjuges Principes pactum de communionem Bonorum iniri, quod tamen ad Imperii communionem haud potest extendi. Illa vero communio Bonorum, quæ in nonnullis Germaniæ locis inter privatos locum habet, nomen communionis non meretur.

*An Matrimonium  
debeat esse  
perpetuum?*

§. 28. Ut in perpetuum hæc ineatur Societas, nullum Juris naturalis stricti deprehendimus præceptum. Nam Societas ad certum etiam breve tempus inita neque injusta, neque invalida est. a) Si vero rem secundum regulas decori atque honesti examinemus, hoc non admittendum videtur. Nam inimus Conjugium, ut tam externe quam interne vitam agere velimus felicem: quem finem vix obtinere licebit, si ad breve vitæ tempus ma-  
tri-



trimonium inire in animum inducas. Quis enim neget, animi esse nimis vagi, libidinosi & ad veram amicitiam prorsus inepti, tantum ad tempus unius sobolis procreandæ se conjungere cum Uxore? Quale inde damnum metuendum esset in familia? quam misera sobolis educatio? cum & ipsæ bestię tamdiu conjunctæ manent, quamdiu pulli sustentatione Parentum adhuc opus habent. Quid? quod nullum medium aptius est coercendi libidinem, veram stabiliendi amicitiam, atque salutem liberorum promovendi, quam Conjugium ad dies vitæ initum. Et licet objicias: quid si Parentes ante Sobolis educationem vitam finiant, aut divortio solvatur matrimonium? Facile tamen potest reponi: Non inspiciendum esse, quid casu improvise fieri possit, sed quo animo quave intentione Conjuges honesti sibi invicem uniri debeant. Sed dicis: quid vero si pactum ineant, perseverandi in hac Societate, donec Soboles sit educata eoque perducta, ut sibi prospicere, suæque vitæ alimenta quærere possit? Enimvero ejusmodi pactum non plane inhonestum quidem & indecorum est censendum, perfectius tamen honestiusque ac ad promovendam felicitatem aptius est Conjugium perpetuum, & hinc  
omni

omnino ab homine prudente omnibus aliis præferendum. Satis superque inde apparet ratio, cur S. Scriptura hanc Societatem jubeat esse perpetuam, tanquam nimirum meliorem, honestiorem atque perfectiorem.

e) Vid. Titius in Diss. de Polyg. incest: & divortio c. 3. Exemplum matrimonii ad breve vitæ tempus initi vid. in Valesianis p. 96. sqq.

*Divortium  
quousque  
licitum sit.*

§. 29. Multo minus Jus Naturæ stricte dictum damnat divortia, s. mutuo consensu, s. aliis ex causis sint facta; quarum sunt plures eæque ita comparatæ, ut propter ipsas non tantum maritus, sed & Uxor a matrimonio discedere, ac vinculum hujus societatis rumpere queat. Duo autem nobis cavenda sunt extrema, nempe ne licentiam divortiorum ulterius, quam par est, extendamus, atque cum nonnullis illimitatam contra omnem rationem faciamus; turbat enim hoc omnino rempubl. & causam præbet frangendi sine justa causa fidem conjugalem adeoque ipsas justas regulas violandi; & deinde, ne plus, quam par est, illas restringamus.

Huc referenda est controversia inter Ochinum & Bezam de divortii licentia agitata, quam postea de novo Miltonus resuscitavit. Vid. Baylius in Diction. historiq. & crit. sub voce Miltonus.

*De casibus  
justis dissol-  
vendi Ma-  
rimonium.*

§. 30. Justam igitur causam exigunt regulæ justæ ad Matrimonium dissolven-  
dum

dum; quo spectare videtur adulterium, item malitiosa desertio, pertinax debiti conjugalis denegatio, insidiæ vitæ stru-ctæ, perpetua abortus procuratio, relegatio Uxoris perpetua, animorum disparitas, mores intolerabiles, odium & inimicitæ irreconciliabiles, morbus son-ticus, sterilitas &c. Hæresin autem at-que atheismum pro justa causa haud a-gnosco. Nec minus nullum est dubium, quod in statu naturali & gentium pro-prio judicio discedere liceat. Nam i-norat Jus Naturæ & Sacerdotum & alio-rum hac in causa auctoritatem.

§. 31. In his tamen omnibus regulæ *Gautela*  
 decori ac honesti non sunt negligendæ. *circa Di-*  
 Nam ita divortium bona ex gratia fa- *vortium.*  
 ctum plerumque honesto & decoro re-pugnat; cum indicium præbeat ani-mi inconstantis parumque sociabi-lis. Cui accedit, quod, licet jure no-  
 stro sæpius salvis justis regulis uti quea-mus eoque nulli hominum faciamus in-juriam, melius tamen agamus ei renun-ciendo ac plura patienter in hac quoque  
 Societate tolerando, tam in gratiam li-berorum, ne ipsorum maculetur fama, quam propter propriam nostram felici-tatem consequendam & ignominiam a-moliendam. Tentanda ergo antea om-nia

omnia remedia ac extrema quæque. Ita si mores intolerabiles Conjux habeat, utere frigusculo vel tolerantia, vel alias adhibe cautelas: Ita & subtrahere ei potes media vitiorum. Si adultera est; cogita tuum honorem non a voluntate aliena dependere; Conjugis est ignominia atque imprudentia, non tua. Aut si aliud tibi se non offert medium; separate quoad thorum & mensam. Quod si vero hæc omnia sint insufficientia, tunc & prudenter & honeste facis, si te sepires prorsus.

*Obiectio  
quoad causas  
Divor-  
tiii.*

§. 32. Haud minor tamen se offert dubitatio circa sensum S. Scripturæ; cum communi quasi tam Theologorum, quam Ictorum ore defendatur: Nullam aliam divortii causam admittendam esse, quam adulterium. Christum enim expresse dicere Matth. V. 32. & XIX, 9. qui dimittit Uxorem, præterquam ex causa adulterii; eum adulterium committere. Afferunt autem Salvatorem hic exclusive loqui; ita, ut ejus sensus ex his duobus consistat membris 1) Matrimonium esse indissolubile 2) nullam aliam causam ad illud dissolvendum admitti debere; quam adulterium.

*Adhanc  
Obiect. Respon-  
sio.*

§. 33. Verum ex supra jam dictis constat; Christum non fuisse Legis latorem; sed

sed doctorem atque restauratorem depravatæ doctrinæ moralis. Nimirum quoniam inter judæos ex falsa interpretatione Legis Mosaicæ de divortiiis illimitata quasilicentia se ab Uxore separandi erat introducta, Christus saltem ostendit, se quidem non increpare divortia, sed Mo- sen recte ea ex regulis justæ concessisse, monet tamen simul, eos, qui ad perfectiorem gradum & summam tolerantiam vitæ Christianæ pervenire vellent, a divortiiis abstinere debere.

§. 34. Maxime vero controversum est: *De sensu*  
 An voce *πορνείας* solum adulterii delictum, vel illicitus concubitus, an autem *ad sensu quo*  
 & alia delicta majora, aliæve causæ simili- *Vocis*  
 les intelligantur? Certe per hoc vocabulum *πορνείας* tam in S. Scriptura, quam apud Hebræos alia quoque delicta denotantur per metaphoram. a) Nam in diversas sectas apud Judæos abierunt Dd. Schammæorum scil. & Hillelianorum; quorum illi non nisi causam gravem, hi vero quamcunque displicentiam admittebant. Cum igitur Pharisei opinioni Hillelianorum adhærerent, factum est, ut Christus de hac quæstione ab illis fuerit interrogatus, qui Schammai opinionem sine omni dubio approbavit. b)  
 Hinc mirum non est, quod etiam tem-

Gg

po

pore Constantini M. de aliis causis gravioribus sensum Christi plurimi fuerint interpretati. c) Augustinus autem hanc quæstionem habuit pro abstrusissima propter suam Studii moralis ignorantiam. d)

a) Vid. Buxtorf de Sponsal. & divort. P. 2. p. 128. & Ill. Thomasius in Jurispr. div. L. 3. c. 3. ibique in fundament. J. N. & G. it. in Disp. Lips. de crim. Bigam.

b) Vid. Seldenus de Uxore Hebr. L. 9. c. 23. & Lightfooti Hor. Ebr. p. 275. & 278. Dissentit DN. Buddeus in Theol. mor. P. 2. c. 3. sect. 6. §. 10. & nova format dubia. Sed vid. & Ill. Thomasius in fund. J. N. & G. c. 1. p. 262.

c) Vid. L. I. Cod. Theodos. de repnd.

d) Vid. Barbeyrac in Præfat. Gall. ad Pufend. J. N. & G. it. Observ. Hall. Tom. 2. Obs. 8.

*De vaga libidine ejusque speciebus.*

§. 35. Huic Societati conjugali contrariatur vaga libido. Hæc enim aut plane non intendit Sobolis procreationem, aut tamen nec decore, neque honeste. Et quidem libido est vel simplex, vel cum injustitia conjuncta. Illa in tres iterum abit gradus: scortationem, stuprum ac bestialitatem, cum affinibus vitiiis aliis.

*Stuprum quid & quatenus injustum?*

§. 36. Stuprum est concubitus vagus cum vidua vel virgine, alias honeste vivente. Quod contra regulas justitiae non esse, nemo sanæ mentis in dubium vocare potest; nisi stuprator vi utatur, aut  
do.

dolosa persuasione. Neque violantur eo regulæ decori, si ita fiat occulte, ut neque gratum, neque ingratum scandalum aliis præbeatur. Neque natura sibi relicta ullo argumento evincere potest, quod illud cum regulis honesti pugnet, si nimirum ita perpetretur, ut nec sanitatem Corporis destruas, nec animum reddam inquietum. Cum vero raro hoc eveniat difficillimumque sit passiones suppressere, quibus frænum laxavimus; ideo sane melius est atque honestius, ab omni stupro abstinere.

§. 37. Scortatio est concubitus vagus cum fæmina quæstum Corporis faciente. *Scortationis Definitio ac turpitudine.*  
 a) Quam frustra ex regulis justimpugnabis; peccat tamen omnino contra decorum honestumque. Regulas decori violat, dum scandalum aliis præbet, instrumentum est libidinis bestialis, aliosque irritat. Contra honestum impingit, cum indicium sit hominis libidinosissimi, & corporis & animi rationem vix habentis. Quid enim inhonestius, quam cuique solius lucri causa corpus suum porrigere, quibuscunque personis se miscere, morbos pestilentissimos sibi contrahere, seque adeo ad omnem Societatem reddere inutilem? Certe sola hujus rei appellatio sufficere potest ad hominem

nem honestum suæque felicitatis studiosum ab hoc vicio deterrendum. Quid enim est meretrix aliud, quam latrina publica.

\*) In hoc sensu sumitur id vocabulum apud omnes Scriptores, tam Græcos, quam Latines: quamvis Clerus Pontificius omnem concubitus extra benedictionem Sacerdotalem vocet scortationem s. fornicationem.

*Concubitus quid sit & an licitus sit?*

§. 38. Conubinatum quod attinet, denotat ille conjunctionem cum fœmina honesta, Sobolis procreandæ vagæque libidinis honeste ac decore vitandæ, gratia institutam ita tamen, ut fœmina non dignitate Uxoris justæ, neque liberi jure justæ Sobolis gaudeant, & viro libertas divortii, quodocunque libet, sit relicta. Hic regulis justis plane non est contrarius, neque repugnat regulis decori ac honesti. Namque Jure Naturæ plane non est determinatum, quod Uxor debeat splendescere dignitate mariti, neque quod liberis certa jura conveniant, neque quod Matrimonium debeat esse perpetuum, sed melius saltem atque honestius declarat Matrimonium ad perpetuum vitæ tempus initum.

*Quatenus sit prohibitus, vel non.*

§. 39. Neque pugnat cum moribus gentium, & multo minus cum ipsa S. Scriptura. Nam erat licitus apud Hebræos ante legem. \*) Neque Lege Mosaica po-



postea fuit prohibitus; licet rariora ejus in S. Scriptura exempla occurrant. Neque omnis Concubinatus a Christo atque Apostolis fuit interdictus: neque contrarium per rationes & textus Sacros potest probari. Interim nemo dubitabit, quod Princeps illum possit prohibere, imo & prohibitionem in nostris rebus publ. institutam svadent rationes politicæ.

a) Vid. omnino Seldenus de J. N. & G. sec. Disc. Hebr. & in Tr. de Successionibus, it. III. Thomasi Diff. de Concubinato. Uberius differemus in Discursu de controversiis circa hanc materiam motis.

§. 40. Non confundi autem debet cum *De Matrimonio ad Morganicam.* Concubinato Matrimonium ad Morganicam. Est enim hoc verum Matrimonium, & consistit in vera conjunctione maris & fœminæ, eâ intentione, ut honeste ac decore Sobolem procreare, perpetuoque cohabitare velint. Differt saltem in eo a Matrimonio vero, quod neque Uxor, neque liberi gaudeant dignitate mariti & Patris, nec jure successionis.

Vid. Cocceji Diff. de hac materia.

§. 41. Sub bestialitate illud intelligimus vitium, quo homines vel cum personis sui sexus, vel cum brutis ipsis libidine magis quam bestiali congregantur. Hæc bestialitas licet haud contra-

*Bestialitatis Definitio & turpitudine.*

rietur regulis justis, evidentissime tamen pugnat cum regulis decori atque honesti. Nam est indicium hominis omni sana ratione privati, pravis suis affectibus mancipati & libidinosisissimi.

*De Personis ad Matrimonium habilibus.*

§. 42. Cum vero præter finem Matrimonii & personarum habenda sit ratio, disquirendum nunc erit: A quibusnam Personis iniri possit Matrimonium? Sed hujus quoque quæstionis decisionem jam nobis suppeditat finis Matrimonii ipse, quod scilicet illæ saltem personæ inire possint hanc Societatem conjugalem, quæ honeste ac decore Sobolis generationem obtinere possunt.

§. 43. Hinc requiritur mas & fœmina ejus ætatis, ut habilitate generandi jam polleant. Excluduntur itaque infantes, eynuchi, spadones, steriles, fœminæ nimis arctæ, senes atque vetulæ. Operæ tamen pretium erit, ut & hanc rem accuratiori adhuc oculo perlustremus.

*Cur Matrimonium eynuchorum sit turpe.*

§. 44. Eynuchorum Matrimonium non quidem illicitum atque prohibitum nominari potest, si Jus Naturæ ex solis regulis Justitiæ metiaris; licet haud negari queat, tale matrimonium facile præbere occasionem & illas lædendi. Repugnat vero e diametro regulis honesti & decori. Nulla enim procreatio Sobolis

bolis potest sperari, nec libido reprimi-  
tur, sed magis irritatur. Quid? quod  
tales ne libidine quidem aliqua impelli  
possint, sed potius fluit id omne ex mo-  
ribus lascivis, & quia eo maximum aliis  
scandalum datur, omnino talis conjun-  
ctio in republ. tolerari nequit.

Vid, Hieronym. Delphini Conjugium evnuchi.

§. 45. Spadones & steriles quod addi-  
net, Jus Naturæ tam late quam stricte di-  
ctum circa eorum Matrimonium nil po-  
test determinare. Quis enim de iis ali-  
quid certi determinare posset? cum non  
solum ex eventu saltem dijudicari debe-  
at, utrum quis sterilis sit, vel non sit, sed  
& difficillimæ determinationis sit, num  
marito, an vero Uxori id debeat imputa-  
ri; quinimo constat & adsunt exempla,  
quod tales procreaverint liberos.

*De Matri-  
monio Spa-  
donum &  
sterilium.*

§. 46. Quoad Senes & vetulas diversi  
casus non immerito videntur esse sepa-  
randi. Vel enim init hanc Societatem  
Senex aut vetula non libidinis, sed mutui  
adjutorii causa intendens Matrimonium,  
quo casu utique tolerari potest; nam ex-  
pectat Senectus curam atque assistentiam  
omnium optime hac in Societate speran-  
dam: vel intendit illam Senex cum ju-  
vencula, aut vetula cum juvene. Talis  
Societas licet nomen bestialitatis non me-  
rea-

*De Matri-  
monio Se-  
num ac ve-  
tularium.*

reatur, tamen pro inhonesta & maxime indecora est habenda. Irritat enim acerbius libidinem inflammatque ignem, haud tamen extingvit. Quamobrem tolerantia ejusmodi Matrimoniorum ad mores Seculi depravatos ac rerum publ. corruptionem refertur.

*An Polygamia licita sit, nec ne?*

§. 47. Quod Polygamiam attinet, distinguitur ea in virilem & muliebrem. Maximos haecenus motus excitavit contentio de illius moralitate. Nam ejus licentiam alii strenue semper defenderunt, a) quam tamen alii non sine maximo fervore negarunt & adhuc pernegant. b)

a) Patrocinium ejus in se suscepit Bernhard Ochinus, de quo vid. Bayle in Diction. sub. voce. Ochinus, Observ. Hall. Tom. IV. Obs. 20, Sandius in Bibliothec. Antitrinit. p. 5. & Theodorus Beza in Tract. de Polygamia. Postea idem tentavit Theophil. Alethæus, qui se etiam nominas Vincentium Athanasium, it. Gottlieb Wahrenmund. Latet autem sub his nominibus Joh. Lyferus (de quo vid. Baylii republ. doctorum literaria Tom. 3. mens. April. 1685. p. 358. sqq. in Polygamia triumphatrice, quæ Londini Scavorum, uti rubrum tradit, An. 1682. prodiit, & Germanice sub titul. Das Königliche Marck aller Landen. Vid. Vicent. Placcii Theatrum Pseudonymorum n. 97. 277. & 2867. Inprimis vero Polygamiae defensionem in se suscepit Daphnæus Arcuarius, sub quo Laurent. Begerum latere doctet Kulpis in Colleg. Grot. p. 56. & Nicol. Molterus de Polygamia c. 1. §. 37. Vid. & Veit Ludwig

wig von Seckendorf in Histor. Lutheranismi L. 3. sect. 25. §. 79. & c. 1. Placcius n. 277. & 277. Prodiit ejus libellus sub. tit. Kurze, doch unpartheysche Betrachtung des heil. Ehestandes 2c. Novissime quoque Polygamiam defendit Willenbergius in Præsidis Juris divini. cui Schelwigius ac Weickmanns se opposuerunt moventes Cælum Terramque, Papam atque diabolum, & horum Zelum, tanquam divinum, approbat *γνησιως* orthodoxus Wernsdorf. in Sum. fan. Doctrin. de Polygam.

- b) Quod præcipue fecerunt Joh. Musæus in Diff. contra Lyserum, & Diecman in brevi examine, it. in Vindiciis iteratis; novissime etiam Titius in Diff. de Polygam. &c. c. 1. Pagenstecherus Aphor. 29. ad Inst. L. I. Nicol. Mollerus de Polygam. Huber. in Digress. L. 2. c. 16. Bœcler ad Grot. Obs. 3. alique plures.

§. 48. Polygamiam haud pugnare cum *Autoris* regulis justis est verissimum atque jam sa- *Sententia* tis ab aliis ostensum. Neque contrariatur regulis decori, nempe iis in locis, ubi semel est recepta: nam nullum exinde metuendum est scandalum, s. gratum, s. non gratum. Neque in genere potest affirmari, eam regulis honesti repugnare. Sicut enim natura hujus vel illius hominis plus exigit ratione cibi ac potus, quam natura alterius: ita eodem modo in libidine procreandi comparatum esse, nemo in dubium vocare potest, nisi naturæ humanæ plane ignarus; quod & B. Lu-

therus in Landgravii Hassiæ Polygamia cum Margaretha de Sala agnovit. *a)* Nam coram Deo, inquit, causam Landgravii, ex secreto confessionis & necessitate, defendi a se posse, sed coram Mundo & Jure nunc usitato nec posse se, nec velle eam defendere. Nihil igitur secundum Jus Naturæ tam strictè quam late sumtum ad strui posse videtur, quam quod melius sit atque honestius, ut unus uni fæminæ jungatur.

*a)* Vid. Seckendorf in Histor. Lutheran. L. 3. sect. 22. §. 79. addit. 3.

*An ea repugnet Juri div. posit. univers. soli?*

§. 49. Impugnare illam alii ex Jure divino positivo universalis annisi sunt: *a)* sed & hoc Jure illam haud prohiberi plures contenderunt. *b)* Nos verò de eo haud sumus solliciti, cum existentiam ejusmodi LL. positivarum universalium jam supra plane destruxerimus.

*a)* Ut olim. Ill. Thomasius in Jurisprud. div. L. 3. c. 3.

*b)* Ut Brückner in Decis. matrimon. c. 14. Struv. in Synt. Jur. civ. Ex. 29. th. § 2. Hopp. ad Inst. §. 6. de Nupt.

*De consensu S.S. & Polygamia non introducenda.*

§. 50. Conspirat autem in omnibus revelatio tam Vet. quam Nov. Test. cum Jure Naturæ, ita, ut ne unicus quidem textus in contrarium allegari queat; imo si qui sint, qui adversus Polygamiam impugnare videantur, nihil tamen reapse invol-

volvunt aliud, quam quod Monogamia Polygamiae sit praeferenda, & quod multo felicius cum una, quam cum pluribus Uxoribus queamus transigere vitam. Interim Principi haud est svadendum, ut Polygamiam introducat, propter varias rationes, quas unusquisque facile potest palpare.

§. 51. De Polygamia muliebri f. Poly- *De Polyga-*  
andria eo minus conveniunt DD. Eam Ju- *mia mulie-*  
ri Naturae non repugnare, olim defendit *bris turpi-*  
Ill. Thomafius: alii vero negarunt. Mi- *tudine.*  
hi ea regulis iustitiae nequaquam contra-  
rari videtur; ex aliis autem rationibus  
pro parum decora atque honesta habenda  
esse puto. Utrum vero nunquam  
talis Polygamia extiterit, non sine ratio-  
ne ab aliis in dubium vocatur.

§. 52. Ratione Polygamiae successivae,  
quae per secundas contrahitur nuptias  
nullum suberit dubium quin pro licita de-  
beat haberi. Haud tamen negandum,  
quod regulae honesti nostram felicitatem  
intendentes svadeant, ne properemus ad  
secunda vota. Considerandi enim sunt  
liberi praepriis, imo saepe fit, ut vel U-  
xori secundae, vel liberis tali matrimonio  
male consulatur; quo ipso non potest  
non tua simul tranquillitas ac felicitas tur-  
bari. Praesertim vero svadere videntur  
regu-

regulæ decori, ut a tertiis vel quartis nuptiis abstineas.

Jam olim quoque secundæ & tertiæ Nuptiæ valde fuerunt exosæ, & quartæ prorsus prohibitæ. Vid. Nov. Leon. 90. Rationem inquiramus in Discursu. Confer. quoque Beckmann. medit. c. 7. §. 10.

*De Adulterii turpitudine ac pœna.*

§. 53. Libido cum injustitia conjuncta vocatur adulterium. Utrum hoc contra Jus Naturæ strictum s. regulas Justitiæ peccet, varie Dd. sentiunt. Mihi hic ante omnia respiciendum esse videtur ad mores, pacta legumque civilium dispositionem. Iis in locis, ubi Polygamia est recepta aut ubi adulterium nihil est aliud quam violatio juris thori, ibi maritus cum soluta concumbens non committit adulterium, neque violat regulas Justitiæ, sed sola Uxor. Cum vero adulterium hodie fit violatio fidei Conjugalis sibi invicem datæ, inde nullum est dubium, quin & maritus & Uxor committat adulterium, hocque omnino regulis Justitiæ repugnet. Optimi itaque instituti est, ut in republ. haud toleretur, sed quocunque modo ei obviam eatur; utrum vero pœna præcise capitali plecti debeat, aliorum judicio relinquo.

*Lenocinium cur turpiter & an luxuriosa toleranda?*

§. 54. Lenocinium maxime pro tali habendum est vitio, quod omnem honestatem atque decorum aufert, omniumque



que minime in republ. tolerandum. Seducit enim juventutem incautam, occasionem præbet libidini magis quam bestiali, evertit omnem pudorem, morborum gravissimorum, & quorum vel nomina horrorem incutiunt, est genetrix. Lenocina igitur merito pro peste reipubl. habendus. Cavendum tamen, ne statim illas respubl. damnes, quæ tolerant lupanaria. Sunt enim interdum toleranda ad majus malum evitandum. Dices: Minoris mali electionem saltem valere in naturalibus, non vero in moralibus. Sed sicut plura de hoc dicenda discursu nobis reservamus: ita jamjam nonnulla huc spectantia Parte I. annotavimus.

Vid. Ill. Thomasius in fund. J. N. & G. L. §. c.

§. §. 38.

§. 55. Major adhuc se offert controversia circa Personas, inter quas est necessitudo sanguinis, vel alia huic affinis, ita, ut quæstio ventiletur inter Dd: utrum incestus Juri naturali adversetur? Hic ante omnia erit separandum Jus Naturæ strictum ab illo late sic dicto. Nam si quæstionem propositam jam consideremus, Jus Naturæ strictè dictum ignorat incestus prohibitionem, neque rationem invenit alicujus injustitiæ eum accusandi. Neque unquam primi hominis, scil. Adami

*Incestus an pugnet cum regulis Justitiae?*

mi liberi se invicem conjungere, ac Sobolis procreationem intendere debuissent, si affirmes, incestum juxta regulas justi pro illicito esse habendum. Neque rationes, quæ vulgo ad ejus injustitiam ac prohibitionem demonstrandam afferuntur, sunt sufficientes. Plurima enim sunt, quæ regei possunt contra pudorem naturalem, confusionem nominum atque officiorum, unitatem Personarum, largius spargendas amicitias. Evidentissimum etiam est, id Jure naturali stricto non posse esse prohibitum, cujus ratio ex regulis justici petita dari nequit.

*Cur repugnet regulis  
Decori ac  
Honesti.*

§. 56. Omnis itaque prohibitio ex regulis decori atque honesti erit petenda. Nam sane est certum, quod incestus lineæ rectæ tam in Consanguinitate, quam Affinitate regulis decori honestique repugnet. Quis enim dubitare quin diversitas ætatum, reverentia Parentibus debita ac Conjugalitatis familiaritas satis superque indicent, Conjugium harum personarum imprudens, indecorum atque inhonestum esse, ac magis criterium bestialis libidinis, quam veræ amicitie.

*Cur incestus lineæ  
collateralis  
prohibendus.*

§. 57. Incestus lineæ collateralis non quidem directo propositis regulis adversatur, satius tamen est, ut ab eo etiam abstinemus. Nam jubent regulæ honesti omnem

omnem evitare occasionem, qua nostri iritantur affectus & qua inveniunt ipsi alimenta. Non datur vero occasio periculosa & cui difficilius resistere possumus, quam conversatio domestica atque quotidiana. Facile enim spe Matrimonii ad concubitus incitari possumus libidinosos. Quousque autem hæc prohibitio extendi debeat, non potest determinari, sed hoc merito relinquitur arbitrio ac Prudentiæ Magistratus.

§. 58. Major vero se exerit difficultas quoad S. Scripturam. Nam notum est, quod hætenus communi Scholæ sententia gradus Levit. 18. prohibiti inter L.L. universales fuerint relati. Ast sicut claris argumentis supra demonstravimus, quod plane non dentur leges positivæ universales: ita patet, quod omnes illæ prohibitiones in Levitico recensitæ pertineant saltem ad Leges Mosaicæ forenses. Quamvis enim objiciant: Deum appellare ista vitia abominationes, propter quas gentes exterminaverit, constat tamen jam ex superius dictis, quod in S. Scriptura illa vitia vocentur abominationes, in quæ nulla pœna humana erat statuta, item, quod extirpare a populo suo non semper denotet pœnam capitalem; uti ex alijs S. Scripturæ textibus

*Quid censendum de gradibus prohibitis in S.S.*

tibus planissime ostendi potest. Accedit, quod Deus non dicat, gentes se contaminasse propter unum vel alterum vitium ab ipsis commissum, sed propter omnia, adeo, ut eorum exterminatio ex rationibus moralibus atque physicis factis superque possit demonstrari.

Vid. III. Thomasius in fund. J. N. & G. lib. 3. c. 3. §. 32. sqq. & in Observat. Hall. Tom. VI. Obs. 26. §. 51. sqq.

*An in gradibus prohibitis Princeps dispensare possit?*

§. 59. Non igitur negamus, quod Principi in omnibus illis gradibus Levit. 18. prohibitis omnino competat Jus dispensandi, sed tamen ita, ut semper ante oculos habeat differentiam regularum justi, honesti ac decori. Nam licet sint LL. forenses, obligant tamen alios etiam ex regulis decori & honesti. Et alia est questio: quid in his casibus Princeps de Jure s. ex regulis justi facere queat, alia autem quid conducat, quidve ex regulis Prudentiæ constituere teneatur. Esset vero res pessimi exempli ac quæ omne honestum naturale decorumque tolleret, si Princeps Matrimonia Parentum & liberorum permittere, atque reliquos incestus gradus promiscue approbare vellet.

*De mutuis Conjugum officiis.*

§. 60. Officia Conjugum consistunt in eo, ut secundum regulas justi fidem sibi datam sancte servant nulloque modo violent:

ent; quoad regulas decori ac honesti vero, ut in vera & sincera amicitia invicem vivant, alter alteri solatium atque auxilium præstet, mores invicem conforment, & omnia adversa patienter ferant, in rebus domesticis sibi invicem assistant ac omnem operam adhibeant implendi cuncta, quæ ad felicitatem hujus vitæ promovendam aliquid contribuunt.

CAP. III.

De

Officiis Parentum & liberorum,

§. I.

**E**X matrimonio procreantur liberi, *Connexio*  
 quorum educatio incumbit Paren- *bujus Capituli*  
 tibus. Hanc autem frustra expectares, *is cum*  
 si & liberi ad ad certa officia erga Parentes *preceden-*  
 essent obligati. Quare nunc de officii *te.*  
 Parentum ac liberorum erit dispicien-  
 dum. Commodissime vero totius hujus  
 materiæ tractationem ad tria hæc redu-  
 cimur, nempe acturi primo de Paren-  
 tum in liberos potestate, deinde de eo-  
 rum officio, & denique de obsequio at-  
 que

H h

que

que reverentia liberorum erga Parentes.

*Cur Liberi Parentibus sint maxime obligati?*

§. 2. Hæc Officia ex diuturna ac felici vita fluere, cognitu erit facillimum. Sumus enim natura corruptissimi ita, ut neque animi neque corporis ratione aliquid valeamus, sed nobis reliæti aut perituri, aut miserrime vitam essemus transacturi. Et quamvis alii nobis succurrere nosque emendare ac ad veram felicitatem adipiscendam instruere queant; neminem tamen latet, quam pauci deprehendantur homines, Officiorum Humanitatis erga alios memores. A nemine itaque majora officia ad nostram felicitatem spectantia expectare possumus, quam a Parentibus, quibus, si his officiis, uti par est, satisfaciant, omnem debemus reverentiam maximamque obligationem. Et recte sapiens ille dicere consuevit: Tria a nobis deberi Parentibus, vitam, educationem ac divitias; educationem vero præstare reliquis duobus.

*Sententia diversa de fundamento Potestatis patriæ.*

§. 3. Unde autem Potestas Parentum in liberos originem ac fundamentum suum capiat, in eo Dd: haud consentiunt. Hobbesius a) eam in Jure victoriæ, Hornius b) in divina concessione, Pufendorfus c) in alimentione præsum-

sumtoque liberorum consensu, & Grotius d) cum aliis pluribus in generatione quærent.

a) Vid. Ejus Tr. de Civ. c. 9. §. 2.

b) In Polit. L. 1. c. 2. §. 3. cum quo consentit Henniges ad Grot. p. 432.

c) in J. N. & G. lib. 6. c. 2. §. 4.

d) de J. B. & P. lib. 2. c. 5 §. 1. Kulpif. in Colleg. Grot. p. 48. lit. e. & Becmann. medit. c. 8. §. 7.

§. 4. Verum hæc opinioniones omnes haud *Harum*  
 valido nituntur fundamento. Nam fuit *Sententiarum*  
 ex illa Hobbesii, quod patria Potestas *infra-*  
 obstetricibus quoque sit adscribenda, & *mitas.*  
 quia totum ejus Principium jam supra  
 destruximus, per se corruunt conclusio-  
 nes. Sententia Hornii plane non spe-  
 rat ad Jus Naturæ, de quo tamen solo  
 sumus solliciti. Pufendorffii sententia  
 fundatur in fictione consensus, quem i-  
 gnorat Jus Naturæ; & alimentatio ob-  
 ligat quidem liberos ad obsequium er-  
 ga Parentes, sed originem patriæ pote-  
 statis inde petendi nullam video ratio-  
 nem, nec connexionem. \*) Tandem ea,  
 quæ a Grotio de generatione afferuntur,  
 ostendunt quidem, quod & hanc ob  
 causam liberi maxime suis Parentibus  
 sint obligati, a quibus vitam acceperunt;  
 sed patria Potestas ex hac generatione  
 sola non potest deduci. Parum enim  
 quis esset obligatus Parentibus, si ab illis

quidem in hunc mundum esset editus, postea vero sibi soli, aut misericordiae aliarum relictus, uti jam ostendit Hobbes c. l. cap. 9. §. 1.

a) Vid. Ill. Thomasia Jurisprud. div. l. 3. c. 4. §. 6. sqq. & Kulpis cit. loc. p. 47 lit. e.

*Probabili-  
or Senten-  
tia.*

§. 5. Rectius igitur ac naturæ humanæ convenientius eam ex educatione repetere licebit. Nam hoc officium liberos educandi, quod natura omnesque regulæ justæ, honestæ ac decori imponunt Parentibus, exigit necessario aliquam potestatem; sine hac enim nunquam huic officio satisfacere possent; eo ipso igitur dum hic intenditur finis, adesse etiam debent media illum obtinendi.

*Quousque  
patria Po-  
testas ex-  
tendenda?*

§. 5. Inde jam facile poterit monstri, quousque patria Potestas se extendat. Nam nullum est dubium, eam in tantum extendi debere, in quantum id educatio liberorum exposcit. Non itaque jus liberos pro lubitu interficendi Parentibus tribuo, cum illi etiam sint homines, quorum violationem prohibent regulæ justæ. Illis vero omnino assentior, qui Parentibus jus vitæ & necis in Prolem suam adjudicant, si scil. sub eo nihil aliud intelligatur, quam potestas Parentibus competens liberos propter delicta commissa etiam capitaliter punien-  
di,



di. Nam Parens est caput familiæ nul-  
lumque imperium superius in statu na-  
turali adest. Ergo & Principi, si iustæ  
adsint rationes, eo magis id licebit. Ex-  
empla cape de Bruto, Manlio Torqua-  
to, Philippo II. aliisque.

Vid. Ill. Thomasius in fund. J. N. & G. lib. 3. c.  
4. §. ult. Pufend. in J. N. & G. 1. 6. c. 2. §. 11. Kul-  
pis in Colleg. Grot. p. 90. lit. p. Alii idem im-  
perium Parentibus tribuunt, quod Monarchæ,  
uti fusc hoc exstruere satagit Robertus Filmer  
in libro cui titulus: Patriarcha. Refutarunt  
autem hanc hypothesin Algernon Sidney, &  
Jo. Lockius de Regimine civili. Summa argu-  
mentorū videri potest apud Barbeyrac ad Pu-  
fend. J. N. & G. lib. 6. c. 2. §. 10. not. 2. Dicemus  
in Discursu de expositione infantum apud Ro-  
man. quam materiam doctissime illustravit Clar.  
Noodt in Julio Paulo.

§. 7. Jus vendendi liberos haud fuit ex *De Jure*  
regulis iusti: sed regulæ decori id eo sal- *Parentum*  
tem in casu admittere videntur, si alias *vendendi*  
aut Parentibus, aut liberis esset pereun- *liberos.*  
dum. Nam nullus dubito, quin tali ex-  
istente casu Parentes aliis in servitutum li-  
beros suos tradere queant, quod alias iis  
haud convenire persuasus sum.

§. 8. Neque dominium aliquod, ne- *De Paren-*  
que usum fructum in Bonis liberorum Pa- *tum Jure*  
rentibus ex regulis iusti asserendum esse *in Bonis li-*  
puto; sed indulget Jus Naturæ eis solum *berorum.*  
administrationem, donec liberi ad eam

Hh 3

per-

pervenerint ætatem, qua sibi ipsis prospicere resque suas ipsimet administrare possint. Quod itaque apud Romanos liberi nihil sibi acquirere potuerint, nec ea, quæ postea de peculiis, de adoptionibus, de jure substituendi atque alia, constituta sunt, regulis justis haud sunt determinata, elici tamen possunt ex regulis decori.

*De reliquis  
Parentum  
Juribus in  
liberos,*

§. 9. Competit autem Parentibus jus actiones liberorum dirigendi, mores eorum componendi, eos moderate castigandi, de persona ac rebus eorum disponendi, verbo, omnia illa faciendi, sine quibus finis educationis, prout jam monuimus, nequit obtineri. Quomodo vero castigatio atque omne Jus patriæ Potestatis secundum ætatem liberorum moderandum sit, id potius relinquit Jus Naturæ Prudentiæ Parentum, quam ut illud determinet. Sufficit enim, si Parentes in omni castigatione omnique alia sua potestate patriæ regulis justis, decori ac honesti ob oculos sibi ponant. adeoque supersedere possumus omnibus distinctionibus ab aliis hac in questione prolatis, quod scilicet distinguendum debeat inter liberos in potestate, & extra potestatem constitutos, a) inter pollentes ratione perfecta, aut judicio minus pleno, b) inter puberes & impuberes, c) multo minus cum Grotio, d) Pufendorf-

dorsio aliisque tria tempora constituere  
 necesse habemus.

a) Vid. Ill. Thomasi Jurispr. div. c. 1. §. 51. sqq.

b) Felden in notatis ad Grotium. p. 106.

c) Kestner in J. N. cap. 4. §. 16.

d) de J. N. & P. lib. 2 c. §. 4. sqq.

§. 10. Quæritur porro: Cuinam ex Pa-  
 rentibus patria hæc potestas competat?  
 Si Hobbesium sequimur, Matri solum ea  
 est adscribenda, a) & Patri competit sal-  
 tem ex concessione Matris. Ea nimirum  
 ratione ad hanc sententiam amplecten-  
 dam motus est Hobbesius, quod Mater li-  
 beros primum in potestate haberet.  
 Sed hoc ex jam dictis sponte corru-  
 it. Quare & Patri & Matri eam Potesta-  
 tem competere omnino sum persuasus:  
 nam utrisque Jus Naturæ injungit officii-  
 um liberos educandi; utrisque hinc etiam  
 concedere debet patriam potestatem.  
 Non tamen inficiandum, regulas decori  
 jubere, ut patri principales imperii par-  
 tes in liberos debeant competere. Nam  
 majorem omnino curam gerit Pater, ma-  
 jori quoque aptitudine est præditus edu-  
 candi liberos, eorumque actiones diri-  
 gendi.

*Quosque  
 Potestas  
 patria  
 competit  
 utrique Pa-  
 rentum.*

e) de Cive c. 9. §. 2. sqq. quem sequitur Leyserus  
 in Specim. 18. Medit. ad ff. med. i. Vid. & Ill.  
 Thomasi in fund. J. N. & G. hoc tit. §. 8.

*De Paren-  
tum officio.  
quoad Edu-  
cationem  
liberorum.*

§. 11. Educationem ipsam quod con-  
cernit, ea Parentibus tanquam officium  
incumbit, cui nullo modo possunt renun-  
ciare. Ex quo simul fuit, quod, licet Jus  
Naturæ facultatem matrimonii ineundi  
concedat omnibus iis, qui procreandæ  
Sobolis sunt capaces, simul tamen exigit,  
ut in eo etiam statu versentur, quo officiis  
educandi possint satisfacere atque tam  
præceptis quam exemplis præire liberis.

*Ad hoc offi-  
cium quo  
Jure Pa-  
rentes obli-  
gantur.*

§. 12. Fluunt vero hæc officia ex regu-  
lis tam honesti & decori, quam justis. E-  
quidem in statu naturali Parentes exter-  
ne haud obligati esse videntur; nam li-  
beri nullo jure gaudent illa a suis Parenti-  
bus exigendi, multo minus hos ad ea co-  
gendi; quod autem in statu civili plane  
aliter se habet. Hoc enim in statu inter-  
est reipubl. ut liberi recte educentur; cum  
alias vel respubl. ipsa, vel alii Concives,  
hoc onus in se suscipere deberent, quod  
sine læsione consistere nequit.

*Cur istud offi-  
cium Pa-  
rentibus  
incumbat.*

§. 13. Itaque regulæ honesti & decori  
injungunt Parentibus, ut strenue educa-  
tioni liberorum sint intenti. Magis enim  
quam bestialis hominis indicium foret,  
liberos sine alimentis relinquere, morti  
eos exponere, aut ita officia educationis  
negligere, ut liberi suis depravatis affecti-  
bus

bus relinquuntur, atque furiosorum instar vitam suam transigant.

§. 14. Consistunt autem Officia hæc <sup>De eo in specie 1)</sup> Parentum erga liberos in eo, ut ratione <sup>quoad corpus liberorum.</sup> corporis animique ipsis prospiciant. Quoad corpus requirunt regulæ decori, ut sanitatis eorum quoad esum, potum, vestimenta, omni modo habeatur ratio, maximeque cavendum, ne delicate educantur, sed laboribus assueant. Quæ omnia uberius deduxit Lock in Tr. Gall. de Educatione infantum.

§. 15. Ratione animi opera danda, ut <sup>2) quod Animam.</sup> mens sit sana in Corpore sano. A prima igitur ætate statim liberis est instillandum, quod singularem venerationem debeant Deo, imo sedulo curandum, ut in fanis de Deo instruantur principiis i. e. ut timorem erga eum foveant non servilem, sed filialem, non religionem cerebrinam, sed cordatam. Deinde illis, quantum fieri poterit, subtrahenda sunt omnia utrimenta passionum vitiosarum, imo & ebullitiones earum mox primis mensibus sunt supprimendæ. Porro allaborandum, ut assueant venerationi erga Senes ac Superiores, ut alios lædere vereantur atque deterreantur, sed potius inducantur data opera & occasione, ut quovis modo aliis benefaciant & officia humanitatis præstent.

H h §

stent.

stent. Disciplinis quoque talibus debent instrui, quibus intellectus a præjudiciis purgetur, atque ad recte ratiocinandum & verum a falso discernendum informetur. Et quia voluntas a primis statim incunabulis est prava, non modo tales disciplinæ iis sunt proponendæ, ex quibus suam & aliorum stultitiam cognoscant, juxtimque media amplectantur, se emendandi, sed & bonis exemplis ac sanis admonitionibus in via quasi illis præluceamus. Nam sane præprimis in liberis exempla Parentum utramque faciunt paginam. Tandem & eo summa opera Parentes anniti decet, ut aliquid discant liberi, quo sui sustentationem quærere atque reipubl. utilia ac salutaria præstare possint officia; præcipue autem temperamentum inquirendum, ingenii corporisque vires investigandæ; ex eo enim judicari debet, ad quodnam vitæ genus apti nati. Nam haud bene consultum erit liberis, si invita Minerva alicui vitæ generi se dedicent.

Plura non opus est addere, cum de hisce egerint pluribus Lockius c. I. Poiret, Croufaz alique; Cum primis etiam Ill. Thomasius in Prudent. consultat. c. 7. §. 48. sqq.

*De summa  
liberorum  
Obligatio-  
ne erga Pa-  
rentes.*

§. 16. Hanc educationem si Parentes in se suscipiunt, prudenterque ac debito modo ei satisfaciunt, maximum benefici-

ficium præstant suis liberis, Ob hanc etiam causam regulæ decori & honesti a liberis postulant, ut gratos, sese exhibeant erga suos Parentes. Cui enim majorem debeo gratiam, quam ei, qui alimenta mihi præstitit, qui vitam secundum Deum mihi largitus est, eamque curam in educatione mea adhibuit, a qua omnis mea felicitas tam interna quam externa originem suam trahit ac dependet, imo sine qua miserrime vitam degere & oberrare coactus fuisset.

§. 17. Igitur omnino obstricti tenentur liberi, ut quocumque modo potestatem Parentum vereantur ac venerentur, voluntati atque consiliis Parentum obsequantur, persuasi, quod Parentes nil nisi liberorum utilitatem & felicitatem intendant, & quod ideo non servilem, sed filialem amorem erga eos debeant testari. Inprimis vero cogitent firmiterque credant, se nunquam beneficia a Parentibus in se collata posse compensare. Porro efflagitant regulæ decori, ut vicissim alimenta subministrant Parentibus egestate laborantibus, hilarique ac sincero animo omnia illa exequantur & præstent, quæ Parentibus amœna sunt, utilia atque spectantia ad eorum felicitatem promovendam.

*De specialibus liberorum officiis erga Parentes.*

§. 18.

*Quid illi  
debeant  
jam fami-  
liam egres-  
si.*

§. 18. Extra dubium quoque est positum, quod hæc obedientia duret hæcque obligatio Parentibus debita stringat liberos tamdiu, quamdiu nondum familiam sunt egressi. Quodsi autem propriam instituerint Oeconomiam, non amplius alimenta a suis accipiant Parentibus, sibi que ipsis consulere queant, tunc non quidem eandem obedientiam ab illis regulæ decori exigunt, ad perpetuam tamen reverentiam, pietatem atque observantiam erga Parentes manent obligati.

*Quinam  
per liberos  
intelligan-  
tur.*

§. 19. Cuncta autem hæcenus observata omnes tangunt liberos, s. naturales, s. legitimos, s. adoptivos. Nam dum Jus Naturæ late sic dictum officia educandi liberos in genere inculcat, quæstionis hujus intuitu ignorat distinctionem inter legitimos atque illegitimos.

*Quando  
patria Po-  
testas de-  
finat?*

§. 20. Durat hæc patria Potestas, quamdiu Parentes suo officio educandi adhuc satisfaciunt. Quando itaque liberos sibi ipsis relinquunt, aut si seorsim agere suasque rationes separatas habere incipiunt, desinit etiam Jus alioqui Parentibus competens, ac nulla amplius obedientia, sed saltem reverentia locum invenit. Non igitur improbat Jus Na-  
tura



turæ solennem Romanorum emancipationem, nec tamen præcipit eam.

§. 21. Accidit vero sæpius, ut Parentes moriantur, antequam liberi ad eam pervenerint ætatem, ut actiones suas recte sciant moderari. Exigit ergo æquitas naturalis atque utilitas rerum publ. ut aliæ personæ hoc officium in se suscipiant, liberos educant & ipsorum Bonorum habeant rationem. Quare regulæ decori jubent tutelam: quomodo autem gerit ac formari debeat, aliorum relinquitur arbitrio, atque hinc nonnulla quidem in materia tutelarum sibi vindicat Jus Naturæ, plurima tamen pertinent ad Legum civilium dispositionem. Interest enim præcipue reipubl. ut cives ipsius bene educantur, ne inutilia evadant terræ pondera, sibi aliisve molesta. Et nullum est dubium, tutelam multum quoque facere ad vitam felicem, quietam ac diuturnam.

§. 22. Ignorat quoque Jus Naturæ distinctionem inter tutelam & curam: multo minus disponit, quod alia tutela debet esse Testamentaria, alia legitima, alia dativa, sed iis saltem tutelam deferendam esse docet, quibus pupillo ac reipubl. quam optime foret consultum. Non itaque locum habet tutela Testamentaria

in

*Tutelam  
quatenus  
jubeat Jus  
Nat.*

*Quid circa  
eam Jus N.  
dicat, vel  
non.*

in regnis & Principatibus, non tantum quod Testamenta ipsa nullum inveniunt in Jure Naturæ favorem, sed quod & pupillus statim post mortem Patris summæ gaudet potestate, cui Pater mortuus legem aliquam præscribere nequit. Quod tamen pactis & hæc tutela in Regnis introduci queat, exempla nonnullorum Regnorum satis superque ostendunt. Vid. Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 7. §. 18.

*Nec jubet  
Jus N. præ  
cise Tute  
lam legiti  
mam.*

§. 23. Haud quoque Jus Naturæ tutelam legitimam necessario adhibendam esse disponit. Licet enim adsint rationes pro Legibus Rom. proximis agnatis tutelam conferentibus, non tamen sine gravibus rationibus Solon illos rejecit ac remotiores ad tutelam vocavit. Ita cum in Scotiæ regno Hamiltonius genere proximus atque adeo hæres tutelam regis affectaret, ei Protectores Regni opponebant rem esse periculi plenam ei committere tutelam, qui spem succedendi haberet. Vid. Buchananus lib. 19. rer. Scot.

*De Tutela  
Matri con  
ferenda &  
nativa.*

§. 24. Neque in Jure Naturæ quidquam de tutela Matri conferenda dispositum reperimus, sed tam pro Matre, quam contra ipsam plures adferri possunt rationes, ita, ut solum a conventionibus pactisque Principum ac Populi hæc res dependeat; quamvis & hujus tutelæ non desint ubique

que in historiarum monumentis exempla. Tutelam dativam inter gentes hanc ob causam non quadrare existimo, quia populo in Regno successivo nulla potestas aliquid disponendi competit; sed & hoc tamen remanet dubium: cum Jus Naturæ personas non determinet, quibus conferri debeat imperium, omnino populo potestatem competere videri de persona sibi prospiciendi, cui & impubes Princeps, & regnum ipsum possit committi.

§. 25. Qualis vero Potestas tutori com- *De Potesta-*  
petere debeat, in Jure Naturæ pariter *te Tutoris,*  
haud reperitur dispositum, cum modo *in primis in*  
in genere doceat: Tutoris officium in eo *regulis &c.*  
consistere debere, ut omnia illa peragere  
queat, quæ ad salutem Personæ Pupilli e-  
jusque Bonorum spectant conservatio-  
nem. Qua de causa non sine maximo  
dissensu ventilatur quæstio: Qualem po-  
testatem in Regnis ac Principatibus ge-  
rant tutores? Grotium a) si audiamus,  
summam illis competere potestatem af-  
firmandum esset, hac ab eo adjecta restri-  
ctione, si ita sint constituti, ut neque po-  
pulo subsint, neque eorum Potestas ante  
legitimum tempus possit revocari. Sed  
hanc restrictionem parvi momenti esse,  
quisque facile deprehendet. Nam non  
pu.

pugnat esse summum, & simul tamen temporarium, neque convenit rebus moralibus, ipsarum naturam a tempore æstimare, cum ex operationibus cognoscatur. b)

a) Vid. Grot. de J. B. & P. lib. I. c. 4. §. II. n. 2.

b) Huberus de Jure Civit. p. 72. §. 47.

*Haec Potestas est restricta.*

§. 26. Ut mihi videtur, summa potestas de Jure Naturæ illis haud competit, sed sunt principis saltem vicarii atque ministri. Firmum enim manet; illos finito officio ad rationes reddendas esse obligatos. Et quamvis dentur exempla tutorum Regni, quibus rationum redditio plane est remissa, ex eis tamen haud potest formari regula. Nam constat tamen remissionem vel indulgentiam Principis, vel ex veneratione erga tutorem, vel LL. Regni dispositione esse factam.

Vid. Boeclerus ad Grot. p. 243. Ziegler de Jur. Majest. | L. I. c. 1. §. 42. Becmann. Disp. 12. Medit. Polit. §. 10. & Mertius de tutela regia sect. 2. §. 2.

*De Principis impuberis obligatione ex factis Tutoris sui.*

§. 27. Alia restat quæstio non minus inter tutores agitata: utrum impubes Princeps ex factis sui tutoris sit obligatus? Quod affirmandum esse minime dubito. Hoc enim non concessio minorennitas esset prætextus omnia jura gentium atque pacta subvertendi, præsidium esset omnia exequendi mala, terror esset omnibus vicinis, qui nil nisi bellum, invasionem Provin-

vinciarum ac totalem forsan rerumpubl. suarum interitum oculis quotidie obversantem haberent. Nihil itaque superest Principi, quam ut damni restitutionem ab ipso tutore exposcat.

§. 28. Et quamvis dicās: Competere tamen minorennibus restitutionem in integrum; hanc tamen inter gentes non esse usitatam, sed legibus civilibus saltem originem debere & inter privatos tantum locum habere; omnino persuasus sum, ad Principes vero minores illud Pauli L. 24. §. 1. ff. de minor: applicari posse videtur.

*Quatenus restitutio in integrum debeatur minorenni.*

Confer. Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 14. §. 13. n. 2. & §. 12. Pufend. de J. N. & G. L. 8. c. 10. §. 8. & Dissert. sub meo Præsidiō habita: An Princeps ex factis sui Tutoris possit obligari? Vid: etiam Bachovius ad Treutler. Vol. I. Disp. 2. th. 8. & Neuenhahn in Disp. de J. Reipubl. apud Fritsch: P. 2. Ex. J. P. p. 56. 199.

§. 29. Tutelā semel in se suscepta exi-  
gunt regulæ justī a tutore, ut Pupillum probe educet, ei in rebus administrandis negotiisque gerendis subveniat ac omnia bona fide peragat. Si vero expensas in utilitatem Pupilli fecerit, aut damnum aliquod ex tutelæ gestione senserit; eadem regulæ Justitiæ obligant Pupillum, indemnem præstare suum Tutorem, & omnia damna restituere.

*De Officiis mutuis Tutoris ac Pupilli.*

*Tutela Ad-  
ministratio  
quomdiu  
duret,*

§. 30. Quando autem finiatur tutela, difficulter potest definiri. Nam Jus Naturæ ne in hoc quidem aliquid disposuisse videtur. Optime itaque sibi consulit Populus, si & hoc determinet, atque litibus inde orituris causam tollat. Quin etiam nullum adest dubium, si Princeps administrationem Regni sui suscipere velit, ipsum invitum non posse detineri, nec cogi, ut tutelæ subsit, nisi Lex Regni peculiaris obstet; cujus rei quoque non desunt exempla. Vid. DN. Cocceji Diss. de Testament. Princip. §. ult.

## CAPUT IV.

De

# Officiis Dominorum & Servorum.

§. i.

*Servi Natura an-  
dentur?*

**N**atura nullos Dominos, nullosque Servos, sed omnes liberos ac æquales produxit. Et licet Aristoteles omnes Gentes barbaras natura servos nominaverit, supra tamen jam evicimus, hypothesein hanc regulis & justis &

& decori repugnare. Facile autem concedimus, unum præ altero aptiorem esse ad jugum, quam ad dominium.

§. 2. Jus Naturæ igitur stricte dictum ignorat omnem servitutem, non tamen illam prohibet, sed potius felicitate atque utilitate hominum sic exigente eam approbat & confirmat, imo post ipsius introductionem certa officia tam intuitu dominorum, quam servorum præscribit, ita, ut statu, in quo jam vivimus, considerato, nullum dubium supersit, & ipsam servitutem multum ad externam facere vitæ felicitatem.

*Quid Jus  
de Servitute  
te dicit.*

§. 3. Certum quidem est, quod nulla prorsus opus fuisset servitute, si homines sana ratione ducti veræ suæ felicitati serio incubuissent. Affectibus vero suis vitiosis indulgentes umbram pro re ipsa amplexi sunt, quo facto non potuit non multos avaritia & ambitio, plerimos voluptas, alios stupiditas, indigentia ac superstitio impellere, ut aliorum imperio se subjicerent, libertatemque cum servitute permutarent. Cui accessit bellorum frequentia. Cum enim omnes hostes occidere utile ac proficuum haud foret, hac cum conditione eis reliquerunt vitam, ut perpetuo se victo-

*Servitutis  
causa quæ  
nam?*

li a sum

rum subjicerent imperio, perpetuamque subirent servitatem.

*Ejus requisitum est Pactum.*

§. 4. Servitatem igitur considerantes facile animadvertimus, eam omnem ortam esse ex pacto & sine hoc ne fingi quidem posse. Sive enim statuas affectus, s. bellum fuisse causam servitutem, ubique tamen requiritur pactum. Meo enim relicto est arbitrio, utrum vitam, an vero mortem pro servitute, eligere velim, & quamdiu hoc non invero pactum, & victor & victus manent in statu naturali, & unicuique adhuc competunt omnia illa, quæ Jus belli concedit.

*Quale hoc debeat esse Pactum.*

§. 5. Atque hinc præprimis est attendendum, utrum hoc pactum libere, aut vi, & quidem vel justa vel injusta, initum sit. Nam vi injusta ad servitatem redactus, in ea ut permaneat, ex Regulis justæ haud est obligatus, sed omni modo ei se subtrahere atque vel fuga, vel armis etiam hostilibus, libertatem suam recuperare, salvo jure Naturæ strictè dicto, licite satagit. Jus enim Naturæ & vitæ & libertatis defensionem, etiam cum internecione aliorum mihi concedit; atque pactum injustum plane non est, ita, ut, etiamsi victor me invitum in servitatem, sine consensu dato, traheret,



ret, maneat meus hostis, mihi que erga hunc meum hostem omnia moliri liceat.

§. 6. Dum itaque pacto introductæ *Servitutis* fuerunt servitutes non potuit aliter eve- *diverse* nire, quam ut natura quoque servitutis *Species.* ipsius sola hæc pacta determinaret. Non igitur subit mirari, quod, licet apud omnes gentes usu receptæ fuerint servitutes & adhuc sint, ejus servitutis tamen natura apud omnes variet, imo quod apud unam eandemque gentem variæ ac diversæ servitutum species inveniantur. Pactum enim dat legem contractui. Ita habemus servitutes perpetuas & temporales, servos mercenarios ac alios pro solis alimentis operas præstantes. Operæ quoque variant: nam dantur aliæ determinatæ, aliæ indeterminatæ; atque ex hoc fundamento nonnulli servitutum dividunt in perfectam & imperfectam.

§. 7. Perfectam nominant, qua aliquis *De servitu-* alterius imperio in perpetuum ita est sub- *te perfecta* jectus, ut omnia in Domini utilitatem fa- *ac imperfe-* cere debeat: imperfectam autem, qua a- *cta.* liquis alteri solum vi contractus ad operas pro mercede præstandas tenetur, ita, ut finito tempore tam dominus, quam servus, a contractu recedere queat. Sed hæc distinctio est superflua; quia ultima

hæc servitus pertinet ad contractum locationis conductionis.

*Præceptum generale de Officiis Domini & Servi.* §. 8. Servitute constituta varia oriuntur officia tam intuitu domini, quam servi, quæ tamen utriusque officia in genere in hoc unico possunt includi præcepto: Quod uterque pactum invicem initum servare debeat.

*In specie de Officiis Domini.* §. 9. Obligatur autem Dominus vi huius officii ad alimenta servo præstanda mercedemque promissam solvendam: imo licet ex regulis iusti ad alimenta servo ægroto exhibenda haud teneatur, possunt tamen id regulæ decori atque omnino sine harum læsione illum aut negligere, aut expellere non licet. Requiritur porro eadem regulæ decori, ne Dominus servis suis plus oneris imponat, quam perferre possint.

*De iisdem.* §. 10. Exigit quidem hæc Societas timorem saltem servilem ac sufficit domino, si servus modo id exequatur, quod jubetur & domino præstet obsequium, s. amore erga Dominum ductus, s. metu plagarum: absque dubio tamen prudentis est Domini, amorem quoque servi sibi conciliare; quod vero haud felicius perficere poterit, quam si humanum se erga illum gerat, juribus suis interdum renunciet, ac moderate sua in servum utatur

potestate. Quamquam id etiam omne Prudentiæ dominorum sit relinquendum: dantur enim ingenia servilia, quæ benignitate facile abutuntur, & fiunt insolentia; dantur vero etiam alia, quæ duritie corrumpuntur.

§. 11. Quare cavenda erit maxime omnis barbaries & truculentia. Nam sunt servi etiam homines, & licet ex indigentia eos receperimus, adsistunt tamen nobis in Societate, quæ nullos fovet inimicos. Quid? quod regulæ quoque decori jubeant, ut Domini interdum servis beneficia exhibeant, aut si ipsi talia a servis acceperint, ut omnem erga eos observent gratitudinem. Licet autem alii dubitent: utrum servus beneficium præstare possit Domino, aut hic injurius esse erga servum, quod Hobbesius a) negat, utrumque tamen Seneca agnovit & demonstravit.

*Quanam Domino maxime vitanda ac facienda.*

a) De Cive c. 8. §. 7.

§. 12. Neque dubito servum propter nimiam Domini severitatem aufugere, aut si vitæ periculum ei immineat, se quocumque modo defendere posse; cui & Grotius a) adstipulatur.

*De fuga & defensione Servi.*

a) de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 29.

§. 13. Utrum Domino Jus vitæ & necis in servum competat, non absque dissenso inter Dd. ventilatur, Si sub illo in-

*Jus vitæ & necis in quatenus Domino non competit.*

telligis Jus pro lubitu servum interficiendi, illud plane Domino cum aliis denego. Non enim præsumitur servum in hoc Jus consensisse. Dicis: quid si tanquam hostem eum ceperim, nonne mihi statim competiit Jus eum interficiendi? Verum eo ipso, quo eum in vivis superstitem esse voluisti, renunciaisti huic Juri, & alter vitæ servandæ causa pactum hoc tecum inivit.

Confer. Hl. Thomassus in fundament. J. N. & G. lib. 3. c. 5.

3) quatenus  
ei competat  
in servum.

§. 14. Si vero sub Jure vitæ & necis id saltem denotes, quod Domino competere debeat Jus puniendi servum etiam capitaliter propter delictum commissum, nullus dubito Domino hoc Jus asserere. Nam si subditi vi Pacti Jus hoc vitæ & necis in Principem possunt transferre; quidni & servi? Si Princeps salvis regulis justi postea hoc Jure uti potest; cur non & Dominus? Recte igitur exigente utilitate publica Romani suis in Legibus idem Jus vitæ & necis Dominis in servos concedere potuerunt.

De Jure  
Domini  
servos ven-  
dendi.

§. 15. Jus vendendi servos an Domino competat, ex solo pacto debet judicari. Quod vero tali pacto existente Dominus jure vendendi uti queat, nescio cur alii dubitent. Possum enim omnia mea jura

in alterum transferre, vendere, permutare: quid ergo obstaret, quo minus idem jus circa servum mihi competat? Vendi itaque non solum potest, sed & in usum fructum dari, locari atque permutari, dummodo id fiat justis ac legitimis conditionibus: nam alias omnino peccaretur contra decorum.

§. 16. Potest etiam servitus subsistere, licet Dominus non omnia acquirat per servum, & certum est, regulam Romanorum: Quicquid acquirit servus, non sibi, sed Domino acquirit, esse saltem dispositionis civilis. Quoniam vero natura servitutis ex pacto solum juxta Jus Naturæ æstimari debet, ideo sine omni dubio & hæc Potestas in Dominum potest transferri.

*De Domini Jure acquirendi per servos.*

§. 17. Cæterum quæritur: An Dominus eandem Potestatem sibi in servorum liberos asserere queat? Quod sine causa alii a) negare videntur. Quid enim injusti inesse pacto quo nobis dominium quoque eorum, qui a servis nostris procreantur, stipulamur? Cur Pater liberiores procreare deberet, quam ipse est? Sane pacto Parentum libertatem liberorum circumscribi, a Jure Naturæ haud abhorret. Utrum vero liberi ex servo atque ancilla nati Patrem, an Matrem

*De Domini Potestate in liberos Servorum.*

trem sequantur? item, utrum servi jure Testamentorum, contractuum ac conubiorum gaudere queant? non determinat Jus Naturæ, sed relinquit arbitrio rerumpublic.

a) Vid. Proeleus ad Pufend. de Offic. Hom. & Civ. L. 2. c. 4. §. 6; & Buddeus in Philos. pract. c. 4. Sect. 12. §. 5. & c. 5. sect. 6. §. 12.

*De specia-  
libus Ser-  
vorum Offi-  
ciis.*

§. 18. Officia Servorum quod concernit, exigunt regulæ justæ, ut servus Domino præstet obedientiam, fidem illi datam servet, operas sibi impositas curet, imo quovis modo officio suo ac voluntati Domini satisfaciat, quin imo secundum regulas decori plus præstet, quam vi pacti præstare tenetur.

*De Modis  
dissolvendi  
Servitu-  
tem.*

§. 19. Circa modos solvendi servitutem, haud opus est, ut diu versemur; cum LL. civiles abunde eos exponant. Interim dubio caret, conveniens esse Juri naturali, ut servitus manumissione, quæ in sola Domini voluntatis declaratione consistit, ejectione e familia, morte Domini nullo hærede existente, morte servi & lapsu temporis dissolvatur.

§. 20. Porro adhuc notandum, quod, sicut singuli alterius se subicere possunt servituti: ita & totus Populus alterius Dominium agnoscere, seque ei in ditio-  
nem dare queat; cujus rei exempla af-  
fert

fert Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 15. §. 31.  
 Quale vero Jus Domino in univcrsum  
 hunc competat Populum, non nisi ex  
 Pacto dijudicari potest. An autem ille  
 Jus habeat eundem alienandi totumque  
 Populum alterius imperio subjiciendi,  
 jam non determinabimus; cum infra u-  
 berius hanc materiam pertractandi se of-  
 ferat occasio,

## CAP. V.

De

# Officiis viventium in Ci- vitate, inprimis vero de origi- ne rerumpubl.

### §. 1.

**E**Gimus hætenus de illis Societati-  
 bus, quæ sine omni republica in  
 Statu hominum naturali locum ob-  
 tinuerunt. Ex his postea ortæ & com-  
 positæ sunt Civitates, erectæ republ.  
 verbo, ortus fuit Status civilis. Quem  
 itaque perlustrare rei & utilitas, & ne-  
 cessitas jubet.

*De origine  
 Status ci-  
 vilis.*

§. 2. Nullum quidem extat Juris natu-  
 ralis striete dicti Præceptum, ex quo ne-

*Quid rati-  
 one hujus  
 Status di-  
 ctot Jus  
 Nat.*

cessitas extruendi republ. possit colligi. Postquam vero homines justo ac legitimo modo se consociaverant atque republ. formaverant, non solum id salvo Jure Naturæ stricto facere potuerunt, sed & Jus Naturæ hunc approbavit conatum simulque dictavit certa officia, ad quæ observanda singuli atque universi invicem essent obligati.

*Rerum-  
publ. utili-  
tas ac ne-  
cessitas.*

§. 3. Supra quidem demonstravimus, summa cum felicitate vitam potuisse transigi in Statu naturali sine republ. si homines juste, honeste ac decore vitam suam instituere annisi fuissent. Verum quia hoc suppositum non immerito ad fictiones inanes & ideas Platonicas referendum esse videtur, haud vereor affirmare, republ. quoque ad felicem atque diuturnam vitam pertinere, ita, ut sine iis neque feliciter neque diu vita possit consistere.

*Controver-  
sia de ori-  
gine Re-  
rum.*

§. 4. Originem rerum publ. quod attinet, eam determinare est difficile. Antiquitatum enim monumentis circa hanc rem haud extantibus non nisi per conjecturas rem assequi licet, atque eo minus asserere licet, quando fuerint exortæ, ita, ut non desint, qui ante diluvium nullas prorsus Civitates extitisse, defendere haud erubescant.

Vid.



Vid. Hertius in Element. Prud. civ. P. I. Sect.  
§. 5. 1.

§. 5. Conjecturant & alii, imperia im-  
mediate a Deo esse constituta. a) Sed  
frustra hoc asserunt. Nam hac felicita-  
te sola republ. Judaica est gavisa: reli-  
quæ vero Civitates nullum præceptum  
Juris naturalis allegare possunt; cum sal-  
tem dici queat, quod Juri Naturæ & vo-  
luntati Dei non repugnent.

b) Conf. Huberus de Jure Civit. L. I. sect. 2. c. 1.

§. 27.

§. 6. Alii naturalem sibi hominum fin-  
gunt impetum ad constituendas Civita-  
tes. a) Sed & hoc falsum esse, ipsa na-  
tura humana satis superque ostendit.  
Homines enim naturaliter ad Civitates  
non inclinant, sed potius ab oneribus  
Civitatum abhorrent, & hinc notum est,  
quod pauci dentur boni Cives. Neque  
perfectio ac præstantia rerumpubl. cau-  
sa earum esse potest: quia plurima in-  
statu civili etiam incommoda inveniun-  
tur. Neque mutuus metus, ad quem a-  
lii provocant, b) mihi arridet. Neque  
sola indigentia homines eo adigere po-  
tuit.

a) Ut Peripatetici. Vid. Aristoteles L. I. Polit. c. 1.  
& 2.

b) Quod defendit Hobbésius, Pufendorf. III. Tho-  
mas. in Jurispr. div. aliique.

§. 7.

*Probabili-  
or senten-  
tia de ortu  
Imperio-  
rum.*

§. 7. Mihi ita videtur, nempe Rerum publ. Originem non deberi hominibus probis, prudentibus, Deum vere colentibus suæque felicitati intentis, sed improbis, astutis, affectui ambitionis ac avaritiæ deditis. Hi simplici vita, qua ut Patres familias frui & vitam suam in verâ quiete atque felicitate transigere poterant, non contenti, latronum instar cum aliis improbis pessimique ingenii hominibus se conjunxerunt cum pessimo proposito, alios sibi subjugare, latrocinia exercere, rapere, necare ac alia nefanda facinora contra alios perpetrare.

*Decedens.*

§. 8. Non erat difficile pessimum hoc exequi consilium, eum alii Patres familias separatim cum sua familia nihil mali metuentes habitarent. Sine duce autem finem hunc obtinere difficillimum, imò plane impossibile esse, ex humana natura facile judicabant: tot enim dantur sensus, quot homines, & nullum aliud supererat medium alios subjugandi, quam ut omnium voluntates in una conjungantur. Nec defuerunt homines astuti præ omnibus in Ducem se erigentes, ad imperium atque ad persuadendum aliis, ut suum agnoscerent & sequerentur imperium, idonei. Inde facile liquet, ab initio nullum extitisse imperium absolutum, sed

pe

pedetentim saltem partim astutia, partim beneficiis, partim vi ac dolo, partim quoque superstitionis persuasionibus imperium absolutum fuit introductum.

§. 9. Natura ipsa docuit reliquos Patres *De eadem* familias probos, agriculturæ operam dan- *bar matta-* tes, quod de sua defensione debeant esse *ria.* solliciti, ad quam obtinendam nullum remedium aptius se offerebat, quam conjunctio ac societas plurium. Nam singuli facile vinci atque ad incitas redigi poterant; quod pluribus tamen haud erat metuendum: hinc se uniebant eum in finem, ut simul paribus viribus invasioni aliorum resistere vellent. Quia vero sine Duce non poterat felix sperari exitus, hinc factum videtur, ut nonnulli de Democratia, & rursus alii de Monarchia inter se convenerint. Quamvis negari nequeat, & alias adhuc Civitatum origines esse potuisse.

Confer. Ill. Thomasius in fundament. J. N. & G. l. 3. c. 6. & in Diss. de content. mor. cum jure script. Forstnerus ad Taciti Annal. p. m. 412. sq. Observat. Hall. Tom. VII. Obli 6. & Barbeyrac ad Pufend. de J. N. & G. lib. 7. c. f. §. 7. lib. 7. c. 1. §. 7.

§. 10. Patet autem ex jam dictis simul, *An Resp* quod ii somnia remque ineptissimam sibi *extiterint* forment, qui sibi persvadent, in Statu *in Statu* integritatis jam republ. extitisse: Nulla e- *Integritas* nim ibi erat vis, nullus metus, nulla po- *tis.* tet.

tentia. Defendit autem hanc sententiam Alberti in Compend. Jur. Nat. P. 2. §. 14. & Bœclerus ad Grot. L. I. c. 3.

*De Civitatum Consensu bujusque declaratione.* §. 11. Interim haud est inficiandum, quaecunque etiam ratione Civitates originem sumserint, plurimum tamen consensu opus fuisse; qui una ratione declarari non potuit. Inde controversiam sibi movent Dñ. Utrum unum Pactum an plura fuerint necessaria? Hobbesius unicum saltem pactum in constituenda republ. intervenisse putat. Alii duo sibi formant, alia tria, alii duo pacta & unum decretum.

*De Modis diversis constituendi Civitates.* §. 12. Verum hæc omnia frustra dicta esse videntur. Nam sicut omnes republ. non unam eandemque habent causam: ita nullum subest dubium, eas quoque non uno eodemque modo, sed omnino diverso fuisse constitutas. Quid enim e. g. opus esset uno decreto ac duobus pactis in republ. vi constituta, aut metu, vel astutia conflata? Imo deliberatio unien-dise in Civitate seque invicem conjungendi contra communes hostes nondum constituit republ.

*De Pacto Civitatum.* §. 13. Certum est, pacto opus fuisse; hoc veto, num fuerit expressum s. tacitum, nequit determinari. Haud enim nobis possumus concipere ullam Socie-  
ta

tatem, & multo minus multitudinem aliquam dissolutam sine pacto. Cum ergo unum Corpus constituere voluerunt, voluntatem suam declarare, imo & interdum determinare debuerunt, qua ratione illud regi debeat ac gubernari.

CAP. VI.

De

Majestate atque Officio  
imperantium & parentium.

§. I.

**E**Xortis resbuspubl. coorta etiam est *De orth*  
distinctio inter Magistratum ac sub- *Magistra-*  
ditos; quæ denotat homines ab æquali- *tus ac subu-*  
tate illa naturali, qua omnes atque singu- *ditatum.*  
li gavisi fuerunt, recessisse, juribus natu-  
ra sibi competentibus renunciaſſe ac cer-  
tum aliquod jus in imperantes tranſtulif-  
ſe. Hoc Jus vocamus Majestatem, & sub *Majestas*  
eanon tantum omnia Jura ad gubernan- *quid?*  
dam rempubl. atque felicitatem subdito-  
rum externam promovendam necessariã  
intelligimus, sed simul etiam summam in  
unaquaque republ. potestatem compre-  
hendimus. Nam frustra tibi concipis  
republ. sine Majestate, & hanc sine illa.

Kk

Actu

Asturi hic sumus in Discursu de Superioritate territoriali.

*Sententia  
diversa de  
modo ac-  
quirendi  
Majesta-  
tem.*

§. 2. Nunc quæritur: Quomodo Princeps hanc acquirat Majestatem? Occurrunt vero præcipue tres circa hanc quæstionem sententiæ. Una a) statuit: Populum conferre eam in imperantem, & Deum postea hoc salubre institutum approbare ac confirmare. Altera asserit c) Deum antecedenter hominibus præcepisse, ut rempubl. instituant. Tertia vero defendit: Deum non solum esse auctorem & originem Majestatis, sed & ejusdem causam immediatam.

a) Quam proponit Grotius de J. B. & P. L. l. c. 3. §. 6.

b) Hæc est Pufendorffii lib. 7. J. N. & G. c. 3. §. 2.

*An Deus sit  
causa im-  
mediata  
Majestatis?*

§. 3. Neque necessitatis est, neque ratio instituti nostri jubet Historiam controversiæ de Deo, tanquam causæ Majestatis immediatæ, quæ inter Theologos & Ictos fuit mota, recensere; cum pluribus id jam egerint Kulpis in Colleg. Grot. p. 21. Dñ. Böhmer in Introduct. in Jus publ. univers. L. I. c. 2. §. 24. sqq. Ill. Thomasius in Jurisprud: div. L. 3. c. 6. & in monatlichen Gesprächen mens. Decembr. Ann. 1688. p. 771. sqq. aliique.

*An Populo  
competas  
Majestas?*

§. 4. Primarium in hac Controversiâ argumentum est: Populo non compe-  
tere

MAJESTATE ATQUE OFFICIO. &c. 115

tere Majestatem, inde nec illum hanc in Principem posse transferre; a) suamque hanc hypothesein stabiliunt argumentis ex Jure Naturæ ac S. Scriptura petitis. b) Licet vero hæc sententia neque iusto nitatur fundamento, neque cum origine rerumpubl. connecti queat, hæud tamen assentior illis, qui eam aut tyrannidis, aut seditionis arguunt; neque contrarium sentientes hæreseos accusandos esse puto, sed potius suffragor Ill. Thomasio, c) quod quæstio hæc sit mere theoretica & quod nullum in definiendis Præceptis Juris Naturæ habeat usum, sed ad λογομαχίας Juris Naturæ pertineat.

a) Sed vid. Ill. Thomasius in monatlichen Gesprächen c. 1.

b) Vid Masius in Tract. de Interesse Principum Evangel. c. 4. §. 7. Horn. L. 2. c. 1. Ziegler. L. 1. Jur. Majestat. c. 1. §. 46. & ad Grotium L. 1. c. 3. aliique.

c) In Fundament. J. N. & G. lib. 3. c. 6. §. 9.

§. 5. Quodsi vero ex me quæris: a quo nam igitur imperans accipiat Majestatem? omnino hanc a populo in Principem transferri existimo; ab illo enim maxime dependet, qualia Jura velit Principi concedere, an debeat gaudere potestate absoluta, an certis limitibus Circumscripta, utrum imperium penes u-

*Quatenus  
Populus  
transferat  
Majest. in  
Principem.*

num, an penes plures, an denique penes omnes esse debeat.

*De Attributis Majestatis.*

§. 6. Habet autem Majestas suas proprietates, sine quibus alias nomen Majestatis non meretur. Nam debet esse summa, ita, ut nulli rationem reddere teneatur, neque actus ejus ab ullo alio pro nullis queant declarari. Porro debet esse perfecta, scil. ut habeat omnia illa Jura, quæ ad gerendam feliciter rempubl. sunt necessaria. Quia & hæc Majestas consistit in summo Jure necessario debet esse una: constituit enim respubl. unum Corpus, quod duobus aut pluribus capitibus præditum esse nequit, nisi monstri instar debeat haberi. Tandem, ut sit sancta atque inviolabilis, exigit felicitas ac utilitas rerumpubl.

*Quid de Majest. reali & personali censendum?*

§. 7. Hinc incongruum esse videtur, duplicem statuere Majestatem, realem & personalem, quam Monarchomachi sibi fingere haud erubescunt, ita, ut realem adscribant populo, quæ non solum apud eum perpetuo maneat, sed & cum personali, quæ penes imperantem sit, concurrat, atque potior sit illa personali. Verum hac ratione talis Majestas subjiceret imperantes imperio populi, ac ex populo faceret imperantes, ex imperantibus vero subditos,

*Vide*



Vid. Pufend. de J. N. & G. lib. 7. c. 2. sqq.

§. 8. Non tamen Princeps summam *De Majest.* amittere videtur Majestatem, licet cer- *absolute ac* tis Legibus ut vocantur, fundamentali- *limitata.* bus sit adstrictus. Nam sufficit, quod nulla rationum redditio ab eo exposci, neque pro arbitrio populi deponi & abdicari queat. Inde fit, ut Majestatem in absolutam ac limitatam s. restrictam distinguamus.

§. 9. Oritur etiam occasione summæ *Monarcha* Majestatis quæstio: Utrum dari possit *temporari-* Monarcha temporarius? Quod negat *us cur de-* Grotius. *a)* Verum temporarium at- *tur?*

que summum invicem haud pugnare videtur. Majestas enim non dependet a tempore, neque secundum dissentientium opinionem ipsam ei potest denegari Majestas se sponte imperio abdicandi. Sufficit itaque Principem temporarium imperio deposito neque ad rationes reddendas cogi, neque pœnæ subjici posse.

*a)* In J. N. & P. lib. 1. c. 3. §. 11. Vid. & Pufend. de J. N. & G. 1. 7. c. 6. §. 15. ibique Hertius.

§. 10. Aliam distinctionem Majestatis *Majestas* profert Grotius, *a)* scil. inter Majestatem *patrimoni-* patrimoniam & usufructuariam: illam *alis non* appellat, quando Princeps facultatem ha- *datur.* bet regnum abalienandi; hanc vero,

quando hoc jus Principi non competit, Quam distinctionem eum in finem adhibuisse videtur, ut decidere posset quaestionem: Utrum Principi competat Jus alienandi Regnum, idque dividendi? Hoc omne vero prorsus corrui, cum certum sit atque evidens, Principem hac potestate plane esse destitutum. Nam licet facile concedam, Regna ejus esse naturæ, ut in commercio esse possint, si Princeps ac Populus de alienatione inter se convenierint, tumque tale Regnum omnino existere patrimoniale; veruntamen cum de Pactis expressis hic non sit quaestio, & præter Regnum Ægyptiacum nulla alia exempla possint allegari, patet distinctionem illam nullius esse momenti vel usus. Et quamvis regeras: Dari adhuc alia exempla, deprehendes tamen, ea ita esse comparata, ut vel nullum effectum habuerint, vel populi consensus adfuerit, vel Principes id de facto vi prævalente effecerint.

\*) in J. B. & P. L. I. c. 3. §. 12. sqq. & L. 2. c. 6. Sed contrarium invincibilibus argumentis docuit Ill. Thomasius ad Huberum de Jur. Civ. L. I. Sect. 3. c. 2. p. 69. not. K. & Coccejus in Disp. de Testament. Princip. c. 2.

*Vasallo &  
Clienti  
competit  
Majestas*

§. II. Postquam igitur demonstravimus, quid sit Majestas, merito adhuc quaeritur: Utrum vasallo tributario & Clienti

ti competat majestas? Quod affirmare audeo. Licet enim vasallus ob nexum beneficiarium alteri ad fidem singularem sit obstrictus, hoc tamen nondum involvit, ut statim alterius fiat subditus. Cliens s. inæqualiter foederatus ad Majestatem Protectoris sui colendam ac reverendam quidem est obligatus; si tamen foedus ita est contractum, ut Jura majestatica non imminuat, nullam subjectionem involvere videtur. Imo potest aliquis alteri ad certum tributum annuatim solvendum teneri, sine tamen subjectionis nota.

Vid. Grotius de J. B. & P. L. I. c. 3. §. 23. L. 2. c. 6. §. 9. L. I. c. 3. §. 21. c. 15. §. 7. & Pufend. in J. N. & G. L. 8. c. 9. §. 4.

§. 12. Officium Principis ipsum quod *Duo extrema* concernit, duo præcipue circa hoc nobis *Monarchomachorum & Machiavellistarum vitanda.* vitanda sunt extrema, dogma nimirum *Monarchomachorum a)* & Machiavellistarum. *b)* Illi enim Principem subji-  
unt populo omnique licentiæ aperiunt fenestram; hi vero ex Principe faciunt tyrannum, reipubl. hostem ac intolerabilem parant servitutem. Mediam itaque ut eligamus viam, & finis rerumpubl. & regulæ justæ, decori atque honesti jubent & præcipiunt.

a) Præcipui auctores Monarchomachorum sunt Hottomannus in Franco-Gallia, Stephan. Jun. Brutus in Vindiciis contra tyrannos, Lambert.

Danzus in Politica Christiana, G. Guiel, Rossius de justa reipubl. Christianæ in reges impios & hæreticos auctoritate, (Verus auctor videtur Gilb. Genebrardus. Vid. Londorp. Tom. II. æst. publ. p. 276. col. 2.) Anonymus de Jure Magistratum, it. anti-Machiavellus.

h) Machiavellismus non cum Machiavello initium sumit, sed jam ante eum in praxi observatus, ab ipso autem saltem ad formam artis redactus, & quidem, ut probabile est, non cum in finem, ut Principes ita debeant ac possint vivere, sed ut saltem ostendere voluerit, quomodo revera vivant. Vid. Conring in Præfat. ad Machiavell. princ. & Bayle in Diction. Hist. & erit, sub voce Machiavellus. Præcipui hujus sectæ auctores & defensores allegantur in Observat. Hall. Tom. VI. Observ. 1. Vid. etiam Dn. Buddeus in Histor. Jur. Nat.

*Sensus Rei-  
publ. su-  
preme lex.*

§. 13. Deum in Creatione generis humani solum ejus intendisse felicitatem, supra a nobis demonstratum fuit. Hanc felicitatem duplicis generis esse, nempe internam, atq; externam simul a nobis evictum fuit. Cum itaque Deus permiserit, ut homines respubl. formarent, & imperantes sibi constituerent, voluit utique simul, ut Principes tantum salutem ac felicitatem populi externam, tanquam finem & scopum, respicerent; imo & populum ipsum in transferendo dominio haud alium intendisse finem, ex natura humana facile licet colligere. Quare Præceptum, quod Jus Naturæ, tam tale quam strictè dictum, di-

diestitat, est: Communis reipubl. salus ac felicitas suprema lex esto.

§. 14. Princeps enim, quamvis sit sum-  
mus, tamen manet homo adeoque etiam  
Legibus naturalibus, tam quoad officia  
erga se ipsum, quam erga alios  
obligatus; retinet humanam naturam  
ac hinc iisdem mediis, quibus alii,  
uti debet, perveniendi ad felicitatem &  
quiete vitam transigendi. Quod itaque  
vitii nomen meretur in persona subdito-  
rum, neque nomen neque naturam vitii  
mutat in persona Principis. Sicut ergo  
neque crudelitas, neque nimia ambitio-  
nis licentia, neque avaritia, neque bestia-  
litas hominem decet: sic quoque Prin-  
cipem dedecet; imo stolidæ adulationis  
quis arguendus esset, qui ista in Principe  
aut virtutis instar prædicare, aut pro re  
indifferenti venditare vellet.

*Quibus me-  
diis hunc  
finem Prin-  
ceps obti-  
neat.*

§. 15. Jubent igitur regulæ justæ, ne  
quem in ullo jure sibi cempetente læda-  
mus. Quare & hoc præcipiunt Principi  
atque ab eo efflagitant, ut neque tyran-  
num in corpora subditorum agat, cogi-  
tans, & hos esse homines, neque Bona e-  
orum rapiat ac deglutiat, ita ut subditi ad  
incitas redigantur, ad perpetuos atque  
humanam naturam everfuros labores  
quasi relegentur, misellam saltem ut con-  
seryent vitam suam. Imo & regulis de-

*De reliquis  
officiis  
Principis.*

cori subjectis est Princeps, vi quarum quoque juribus suis interdum renunciare, beneficium se erga subditos gerere, magnanimum se præstare, illos ut æquales quoad naturam humanam habere, quin imo in omnibus actionibus suis considerare debet, alios æque esse homines, nec unquam satis fidam potentiam, ubi nimia sit.

*Qualis  
Principi  
competat  
licentia.*

§. 16. Dicis: Non tamen peccari contra Jus Naturæ, si quis alterius fiat mancipium, & LL. domino Jus vitæ ac necis in servos concedere: si itaque Dominus pro lubitu servum occidere, instar bestię eum habere potest; quidni idem Jus sibi vindicare posset Princeps, præcipue iis in regnis, ubi populus Urbes, agros, delubra, divina humanaque omnia in Principis ditionem tradiderit? Certum quidem est, posse aliquem alterius fieri mancipium, posse Leges Domino permittere jus vitæ & necis, imo posse & totum populum suam vendere libertatem atque alterius se submittere servituti; sed quam absone quis inde colligeret, infrænata Principi ac Domino competere licentiam? Nam hunc in finem quis alterius se subjicit dominio, ut feliciter vivere vitamque conservare velit: hanc ob causam totus Populus se suæque alterius subditit potestati,

ti, non ut bestiarum instar velint haberi, intolerabili jugo ac sævitia premi atque subire conditionem morte etiam crudelissima deteriorem, sed ut quiete possint sub ejus imperio degere fruique externa felicitate, qua in statu suo ante deditio- nem privatos se conspiciebant. Quem- admodum itaque Dominus omnes violat regulas justi nimium in servos suos sævi- ens: ita Princeps etiam nimia sævitia er- ga suos subditos indignum se reddit no- mine Principis, nec meretur nomen Pa- tris Patriæ, sed tyrannum agit & pestis reipubl. evadit.

§. 17. Atque hoc rerum statu secundum Jus Naturæ stricte sic dictum eorum sen- tentia excusari posse videtur, qui Popu- lum a vinculo, quo suo Principi ob- stringitur, absolvunt eaque media illi suppeditant, quibus unusquisque etiam in statu naturali se suaque bona defen- dere ac amissam libertatem iterum sibi vindicare queat. Tyranno enim & cru- deli Principi nulla amplius debeo offi- cia, pactum mecum initum ipse viola- vit, finem quem intendi, ipse pessum- dedit, atque proinde jam non amplius me defendo & arma capeffo contra Principem, contra summam, quam re- vereri debeo, Majestatem, sed contra ho-

*Crudelitas  
Principe  
est indigna.*

hostem ac quietis publicæ perturbato-  
rem. Existimo tamen hæc omnia magis  
esse theoretica, quam practica. Confer.  
infra Cap. XVII. §. ult.

Conf. etiam Lock in elegantissimo Traæt. de Im-  
perio civili, & Noodti oratio de Potestate im-  
perantium, quæ in Gallicum sermonem a Bar-  
beyratio est translata.

*De Subdi-  
torum offi-  
ciis in ge-  
nere.*

§. 18. Nec minus subditi jure sunt ob-  
stricti ad omnia illa peragenda quæ felici-  
tatem totius reipubl. attinent, & ad ea  
evitanda, quæ illam turbant, ac publi-  
cam quietem evertunt. Præcipiunt ita-  
que regulæ justæ decorique, ut reveren-  
tiam atque obsequium præstent Princi-  
pi, multa adversa constanti ac mansve-  
to animo perferant, perpendentes, Prin-  
cipem pariter esse hominem obnoxium  
humanis imbecillitatibus. Exigunt ez-  
dem regulæ, ut considerent, hunc in fi-  
nem se coaluisse in unum Corpus, ut ve-  
lint communem promovere felicitatem  
& salutem, eademque nihil prius, nihil  
carius habere.

*De specia-  
libus re-  
quisitis Ju-  
rium Ma-  
jest.*

§. 19. Memoravimus supra, Majesta-  
tem ex certis consistere Juribus, quæ ad  
gerendam reipubl. ac ejus utilitatem  
promovendam maxime sint necessaria.  
Quænam autem in specie eo referri de-  
beant, ex instituto quidem ab aliis a)  
pertractatum est; sed si verum fateri li-  
ceat,



ceat, confuse & nullo ordine observato. Jubet autem materiæ dignitas, ut præcipua saltem perlustremus ostensuri, quæ potissimum requirantur ac qua inprimis ratione Majestas se exerat.

a) Ita prolixè de hisce Juribus egerunt Müllerus, Zieglerus, Hornius, aliique plures. A nonnullis vocantur Regalia; quod thema etiam aliqui, ut Sixtinus, Einsidel, de Jena ac alii pertractarunt. Sed vid. Hertius in Element. Prudent. civil. P. 1. Sect. 6. §. 17.

§. 20. Dividuntur hæc Jura majestati- *Eorum Di-*  
ca a communi Dd. Schola in majora & mi- *visio in ma-*  
nora. Quamvis autem hæc distinctio in *jura ac mi-*  
Jurisprudencia particulari adhiberi que- *nora inuti-*  
at, ad Jus Naturæ tamen, ex quo contro- *lis.*  
versæ gentium suam expectant decisio-  
nem, plane non quadrat atque inconcin-  
ne usurpatur. Nam est obscura, ita, ut  
Dd. ipsi tam in applicatione, quam recen-  
sione horum Jurium vacillent & dissen-  
tiant. Quid? quod re penitus inspecta  
nullum plane usum præbeat. Et licet in  
eo usum situm esse putes, ut non majora,  
sed minora saltem alienari ac in alios  
transferri queant; natura sane horum Ju-  
rium s. regalium ipsa satis superque do-  
cet omnia hæc Jura vel regalia, s. sint ma-  
jora s. minora, ita inter se esse connexa,  
ut sine damno reipubl. vix queant alie-  
nari.

**Sont.**

Conf. omnino Ill. Thomasi notæ ad Huberum  
de Jure Civitat. L. I. Sect. 3. c. 6. not. X. p. 91. sq.

*Quomodo  
rectius di-  
vidantur.*

§. 21. Melius ea ita dividimus, nempe:  
Jura Majestatica vel inserviunt & spectant  
ad dirigendam s. regendam atque guber-  
nandam rempubl. ipsam, ac subditorum  
Salutem promovendam, vel eo tendunt,  
ut extrinsece Respubl. segura reddatur.  
Ad illa spectant 1) potestas legislatoria 2)  
potestas pœnas irrogandi ac præmia di-  
stribuendi 3) Jus Ministros, Magistratus  
& Officiales constituendi 4) potestas ju-  
diciaria 5) Jus circa existimationem &  
honores Civium 6) jus circa Collegia Ci-  
vitatatis 7) jus circa Religionem atque Stu-  
dia 8) jus circa Bona Civium. Ad hæc  
pertinent 1) Jus Belli 2) Pacis 3) fœde-  
rum & 4) Legatorum.

## CAP. VII.

De

# Potestate legislatoria.

§. 1.

*Quid Pote-  
stas legisla-  
toria in-  
volvat?*

**C**UM hunc in finem subditi in impe-  
rantem transtulerint imperium, ut  
promoveat quietem atque salutem rei-  
publ. externam, ideoque ei omnia con-  
cess.

cesserint Jura, sine quibus Salus reipubl. neque intēdi, neque obtineri queat; per se sequitur: Principi omnino competere potestatem Leges ferendi, vi cujus subditi ex regulis justī sunt obligati illis legibus se subjiciendi omnesque actiones secundum eas, tanquam normam, instituendi. Et quidem tenentur subditi sequi voluntatem imperantis in LL. declaratam, licet ejus ratio illis non innotescat, dummodo ita sit comparata, ut Legibus divinis haud repugnet.

§. 2. Necessariam hanc esse potestatem, quisque facile assequi potest. Tam varia enim inter homines peraguntur negotia, tam diversæ ex diversis hominum affectibus existunt circumstantiæ, tam varia incommoda parit Status externus æque ac internus Reipubl. ut vix sit possibile, Jus Naturæ omnia hæc determinare potuisse. Cui accedit, quod maxima Civium pars haud rectæ rationis sequatur dictamen, & multo minus de vera sua felicitate proprio motu sit sollicita, sed privatam utilitatem affectibus suis indulgens præferat Saluti communi, eoque efficiat, ut utramque perdat ac velut canis umbram pro re ipsa captet. His vero incommodis omnibus non melius prævenire ac mederi licet, quam si Princeps ipse

*Hujus Potestatis necessitas quanto sit*

se & præcipiat & prohibeat, quid faciendum vel omittendum sit, simulque, quid licitum aut illicitum sit, determinet.

*Quatenus  
hac Pote-  
stas soli  
Majest.  
competat.*

§. 3. Fluit inde: Leges ferre solius esse Majestatis ac ei soli competere Jus eas mutandi, restringendi, abrogandi sponendi &c. In quantum autem Jure hoc imperans gaudeat, partim ex pactis, partim ex forma reipubl. ipsa debet dijudicari. Hinc in Monarchiis Princeps solus Leges condit, & vocantur Constitutiones Principis; in Aristocratiis Jus illud est penes Optimates, ac proinde pacta, Edicta Magistratus; in Democratiis id Populo competit, inde Plebiscita nominantur. In mixtis vero Rebuspubl. variæ oriri solent Legis species, quas vix possumus determinare, quia nimis varia mixtura hanc parit diversitatem.

*An ipsa  
quoque  
competat  
Magistra-  
sui inferiori?*

§. 4. Non quidem negari potest, etiam inferiores Magistratus interdum hac gaudere potestate, ita, ut Statuta condant, quæ Legum instar in Civitate valere solent. Verum hoc Jus eis vi sui officii haud competit, neque hanc ob causam in dubio præsumitur, sed quatenus eo fruuntur, tantum ex concessione Principis id habent; nam Principem in Statu Monarchico illis id concedere posse, extra dubium positum videtur. Inde etiam

etiam sivevim dicere : Statuta nullam  
 gignere obligationem, nisi aut expressa,  
 aut tacita Principis adsit voluntas. Imo  
 & id inde facile evincimus, neque Icto-  
 rum Collegiis, neque summorum Tribu-  
 naliū Decretis Jus Leges constituendi  
 competere, nisi illis quoque voluntas  
 Principis accedat.

§. 5. Cum autem Princeps hanc suam *Cur con-  
 suetudo  
 habeat vim  
 legis.*  
 voluntatem non tantum expresse, sed  
 etiam tacite declaret, inde fit, ut quo-  
 que mores ac Consuetudines naturam  
 Legum assumant. Vim enim eorum  
 frustra adscriberes subditorum usui, sed  
 potius Principis approbationi est vin-  
 dicanda. a) Imo patet ex hactenus  
 dictis, extraneas Leges nullam in  
 alterius Territorio vim habere ac pote-  
 statem, sed eam, quam in alterius Ter-  
 ra habent, a solo imperantis consensu &  
 confirmatione accipiunt. Nam posse  
 Principem, quoque extraneas Leges in  
 Terris suis recipere atque ex iis actiones  
 subditorum dijudicare, exigente reipubl.  
 Salute, omnibus obvium est; licet alia  
 sit quaestio : Utrum secundum Pruden-  
 tia Regulas recte faciat, & annon extra-  
 hearum Legum receptio Reipubl. magis  
 noceat, quam profit? b)

LI

§) CORR.

- a) Conf. Ill. Thomafii Diff. de Jure confvetudinis ac obferuantiz
- b) Vid Ill. Thomafius in nãvis Jurisprud. anti-Justinianez. Variã inde aliã moventur quãftiones e. g. Utrum in pugna Juris patrii atque extranei pro illius, an hujus vigore præfumentum fit? urrum Jus extraneum contra Leges domesticas allegans ejus debeat probare obferuantiam, an vero pro Jure patrio fit præfumptio? &c. De quibus plura in Difcurfu.

*Quinam  
Legibus ci-  
vil. fint  
fubjecti.*

§. 6. Legibus civilibus omnes illi fubjiciuntur, qui in Territorio degunt, licet animum ibi perpetuo manendi haud habeant, imo licet extraneus in alterius Territorio plane non habitet, Bona autem ibi poffideat ac fita habeat, circa hæc tamen illius Territorii legibus, quatenus de Bonis illis difponunt, eft fubjectus. Proinde præter omnem rationem & repugnante felicitate reipubl. externa Clerus Rom. fe Legibus civilibus cujuscunque Reipubl. exemit. Nam quoque Clerici vivunt in Reipubl. funtque adeo omnino fubditi, ac per confequens Legibus civilibus fe debent accommodare.

Vid. Dn. Cocceji Diff. de fundata in Territor. & plur: loc: concur Potestate.

*De abufu  
Potestatis  
legiflatõ-  
ria.*

§. 7. Quam neceffaria autem Reipubl. fit hæc Leges ferendi Potestas, tam noxia etiam fit, fi non eo, quo par eft modo Jura condantur ac formentur. Imo fi ullo in Jure vera principia moralia, cognitio naturæ humanæ & Reipubl.

Sta-

Status, veræque Politicæ scientia requiritur, certe in hoc opus est. Et dolendum, quod in Academiis prudentia hæc legislatoria prorsus negligatur. a) Non enim multitudo Legum felicem reddit Rempubl. sed potius eam evertit, turbat ac indicium præbet non Reipubl. felicitis, sed corruptæ. Hinc optime Plato: Ubi plurimæ Leges, ibi & lites & mores improbi. b)

a) Vid. Ill. Thomasi Prudentia legislativa in MSto. Optandum, ut ultimas huic Scripto tam necessario ac utili manus admoveret, atque expectationi tam auditorum suorum, quam aliorum, illius publicatione satisfaceret.

b) Vid. Ill. Thomasi Nævi Jurisprud. anti-Justinian: & Ejus Diss. de Contentione morum cum jure scripto.

§. 8. Et quamvis ea, quæ Juris naturalis sunt, unicuique sana ratio dicitur, ita, ut propria industria intelligere queat, quid ratione suæ felicitatis tam faciendum, quam omittendum sit; debet tamen Princeps & hæc in LL. civilibus inculcare; cum pravi hominum affectus sæpissime homines eo ducant, ut præcepta quoque Juris Naturæ simplicissima pervertant. Imo licet Princeps de externa saltem subditorum suorum felicitate sollicitus esse debeat, eique ut Principi non incumbat officium, neque in i-

*Quis scopus esse debeat Legum civilium.*

pius viribus positum sit, subditos red-  
dere sapientes; non tamen sana ratio  
dubitare nos sinit, Principem eo anniti  
debere, ut LL. civilibus affectus repri-  
mat, frænum iis injiciat, omnemque oc-  
casionem, qua irritantur, auferat. Qua-  
re ea etiam Princeps sedulo inculcabit,  
quæ subditos ad officia humanitatis sibi  
invicem exhibenda alliciunt, ac quæ ad  
internam felicitatem adipiscendam con-  
ducunt. Interim tamen & humanæ im-  
becillitatis semper est habenda ratio, ita,  
ut plura indulgeat, quæ Legibus tolli ne-  
queunt.

Exemplum nobis præbent LL. Reipubl. Israëliti-  
cæ.

*Quam  
Princeps  
præcipere  
nequeat.*

§. 9. Disponunt autem Leges civiles  
de actionibus externis, non de motibus  
animi, de actionibus voluntatis, non in-  
tellectus. Hinc non possunt injungi ab  
imperante ea, quæ ad credenda spectant,  
s. quales conceptus sibi quisque de hoc  
vel illo objecto formare debeat. Intel-  
lectus non potest cogi, sed persvaderi de-  
bet rationibus claris ac perspicuis. Imo  
nec disponunt LL. regulariter de actibus  
præteritis, sed de futuris, nisi Princeps  
expresse ad negotia adhuc pendentia eas  
extendat. a)

b) Exemplum hujus rei nobis suppeditat Proco-  
pitis



pius in Anecdotis p. 156. sq. Edit. Eichel. ratione centenariæ præscriptionis contra Ecclesiam.

§. 10. Omnes Leges forent frustraneæ *De Poena-* atque imperfectæ a), sicum nulla poena *rum neces-* essent conjunctæ. Nam nituntur homi- *sitate ac* nes in vetitum, magisque inclinant ad id, *gradibus.* quod facere haud licet; a quo itaque; retineri debent formidine poenæ. Nihil autem interest, s. imperans aliquid præcipiat, aut prohibeat sub poena proprie dicta, s. sub metu nullitatis, s. sub comminatione coactionis judicialis. Nam hæc poenæ omnes revera sunt tales, quæ differunt saltem gradu.

a) Tales LL. imperfectas impeditat Jurisprudencia Rom. v. g. lex Cincia &c. Confer. Brummerus ad L. Cinciam p. m. 34.

§. 11. Sicut vero hæc potestas leges ferendi Principi competit: ita & Jus habet *Jus dispensandi* easdem rursus tollendi, ac circa ipsas *in quoniam* dispensandi. Illud fieri potest vel expresse, *consistat.* lege scilicet contraria, vel tacite contraria, nempe consuetudine, vel status mutatione. Exemplum nobis præbet tam Respubl. Romana, quam nostra. Ita v. g. multa deprehendimus hodie circa Auream Bullam mutata. a)

a) Vid. Brunnemanni Diff. de mutatione aur. Bull. it. Hertii Diff. de L. clausula, ne abrogari possit, munita.

*Legum Publicatio cur & qualis requiratur.*

§. 12. Ut subditi actiones suas juxta Leges instituere queant, necesse est, ut promulgentur: nullum enim aliud adest medium, quo voluntas Principis subditis ipsius possit innotescere. Patet exinde, quod obligatio legis post ejus publicationem demum emergat. Non vero sufficit promulgasse, sed requiritur insuper, ut in tali lingua fiat promulgatio, quam intelligere possunt subditi. Nam absurdum est v. g. Germanos Legibus latina Lingua conscriptis obstringere.

*Quatenus Leges subditos obligent.*

§. 13. His positis subditi ex regulis juste obligati sunt secundum Leges Civitatis vivere, & licet circa indifferentia disponant, delinquimus tamen horum neglectu, qui necessario cum contemptu Principis conjunctus est. Imo obligat Lex subditos, quamvis dura & quodammodo iniqua sit. Lex autem injusta nullam plane parit obligationem. Oritur itaque quæstio: An dentur leges injustæ? quas negavit data opera Hobbesius de Civitate c. 14. §. 12. ab aliis hanc ob causam notatus, qui autem omnes bonam causam male defenderunt.

*De quonam Principe legibus disponere possit.*

§. 14. Scilicet supra jam evicimus: Principem nihil posse disponere contra Jus Naturæ & S. Scripturam. Quæ thesis recte quidem se habet: sed ante omnia tamen Jus Naturæ late tale a stricto sic dicto

dicto est discernendum. Certum itaque est, Principem nihil posse statuere, quod contra regulas justitiae directo pugnat. Regulas vero decori & honesti quod concernit, sicut hae certas requirunt circumstantias: ita procul dubio Princeps eas potest determinare, restringere atque extendere. Ita servitus LL. civilibus est introducta, ita dispositum est de ultimis voluntatibus. Ita multa cavent LL. civiles de incestu, Usucapione, successione ab intestato, rerum proprietate &c. Et ita etiam intelligi debet id, quod communiter dicitur: LL. civiles disponere posse circa ea, quae praeter Jus Naturae i. e. stricte dictum committuntur.

§. 15. Potestate hac legislativa felicitas reipubl. non plene obtineretur, si cuique facultas competere Jus sibi dicere privatamque sibi sumere vindictam. Cum enim homines natura magis inclinent ad bellum ac vindictam, quam ad Pacem, atque unusquisque sibi persuadeat summum jus sibi competere, & pauci percipiant injustitiam suarum actionum ac praetensionum, nec non quae felicitas atque securitas in republ. ipsa sibi esset promittenda; inde fit, ut Majestati quoque summa potestas judiciaria debeat competere, vi cujus subditis Potestatem jus sibi

*Soli Principi competit Potestas judiciaria.*

dicendi, quam in Statu naturali haberent, adimit, nullam amplius vindictam, sed solum defensionem permittit, Judices constituit ac ipsas controversias subditorum decedit.

*Eam. quomodo Princeps exercet.*

§. 16. Soli igitur Principi competit Potestas judiciaria, quam vel in persona propria, vel per alios administrare potest. Quia vero ipse huic officio præesse nequit, ideo constituit Judices, quippe qui haud judicant suo proprio, sed Principis nomine. a) Assumpti igitur saltem sunt in subsidium, ita, ut nullum sit dubium, quin Princeps, licet Judicem dederit, tamen controversias ipse possit dijudicare, imo & certas causas sibi soli reservare.

a) Frustra dissentiunt alii. Vid. Kulpifius in Col. leg. Grot. p. 29. lit. e.

*Jus appellandi ad Principem cur competit subditis.*

§. 17. Hinc etiam subditis semper relicta est potestas provocandi a Judice inferiori ad Principem ipsum. Imo licet & Princeps Jus provocandi restrinxerit, aut Judici alicui privilegium de non appellando concesserit, tamen cognitionem sibi reservasse atque recursum ad summam Majestatem subditis reliquisse omnino videtur. Nam hoc ut concedat, ex regulis justitiae Principem obligatum esse, persuasus sum; quia facile fieri potest, ut Judex inferior deneget Justitiam,

§. 18.

§. 18. Maxima tamen remanet inter Principem ac Judicem inferiorem differentia. Nam ipse Princeps nullum agnoscit forum, nulli subjectus est Judicio, coram nullo conveniri potest, nisi sponte se alterius Judicio in causis civilibus velit submittere. Judex inferior & alterius debet agnoscere forum & alterius subest Judicio, in quo conveniri potest. Princeps ad LL. ipsas non est adstrictus, sed omnino ejus relictum est arbitrio, ut causas subditorum, utilitate atque salute Reipubl. ita exigente, modo alio, quam in LL. præscripto, possit decidere: Judici vero non relicta est potestas recedendi a LL. sibi præscriptis, neque controversiam ex bono atque æquo decidendi. Princeps causas sibi reservatas alteri committere earumque decisionem relinquere potest: Judici autem non relicta est facultas mandandi alteri Jurisdictionem.

*De discrimine inter Principem & Judicem inferiorem.*

§. 19. Ex quo simul patet, quod subditi, hanc potestatem Principis judicariam agnoscere, ex regulis iusti sint obligati; hinc invito Principe aliunde jus petere, arbitros eligere & Jurisdictionem prorogare nullo modo illis competit, & multo minus, si extra Territorii finis jus petere velint.

*An liceat subditis aliunde Jus petere? &c.*

LI §

§. 20.

*De ordine  
Judici  
præscri-  
bendo a  
Principe.*

§. 20. Non solum vero constituere potest Princeps Judices, sed & ordinem præscribere, quem Judex observare debet: hic si determinatus ab imperante non est, Judex sequi debet ordinem naturalem. In præscribendo vero ordine Princeps præcipue ante oculos ponere debet felicitatem atque utilitatem suorum subditorum; ad quam plurimum facit, si præcaveat, ne Judicia prolongentur. Hoc facile evitari potest, si occasionem auferat, ne Judex & Advocati lucrum facere possint ex Processu. Nam citra omne dubium lites etiam gravissimæ brevi tempore decidi possunt. Quorsum plurimum quoque facit, si Princeps tollat incertitudinem Juris; hæc enim Processus efficit immortales.

*De facili-  
tando Pro-  
cessu*

§. 21. Porro operam dare debet, ut procedendi rationes reddantur faciles. Nam multitudo fatalium Juris, subtilitates, formulæ solennes ac fallaces gignunt rabulas, qui plebi ignorantibus pecuniam emungunt, atque ex foris, quæ asyllum præbere debent oppressis & læsis, efficiunt stabulum iniquitatis.

*De forma  
Processus.*

§. 22. Ut autem certa ratio procedendi adhibeatur, exigit ordo naturalis citationem, actoris responsionem, postea probationem, & rationibus ab utraque  
par-

parte propositis sententiam ejusque executionem. Hæc omnia ita debent determinari, ut brevi tempore lis ad finem possit perducī.

De Jure naturali Processuum pluribus egit Eiusenhardtus in Instit. Jur. naturalis c. 16. De modo abbreviandi processum multi scripserunt, sed plurima, quæ afferuntur, parvi sunt momenti. Præcipue autem commendari merentur Ill. Thomasi variæ Dissert. de hac materia, Ejusque Commentat. ad Testamentum DN. ab Offe. 3

## CAP. VIII.

De

# Officio Principis circa Pœnas.

§. I.

**S**Tatus naturalis ignorat tam præmia *De Necessitate Præ-* quam pœnas: utrumque enim ex-*miorum* postulat Principem, qui merita unius-*Penarum-* cujusque dijudicare potest; & loco pœ-*que in Rep* narum persecutio atque vindicta optinet. Bellum punitivum Grotii explodendum esse jam supra evicimus. In Republ. vero valde sunt necessariæ tam pœnæ, quam præmia. Nam supra quoque

que pluribus ostendimus, in unaquaque Republ. triplicis generis stultos reperiri; inter quos maximi non nisi pœnis externis possint coërceri, medii autem præmiis allici debeant ad bene agendum ac ad promovendam salutem atque utilitatem Reipubl.

*Pœna cur  
& quomodo  
irroganda.*

§. 2. Et quia stultorum in gradu maximus quoque datur numerus eo minus diffidendum, principi competere Jus puniendi certasque pœnas constituendi, Quis enim secure vivere posset in republ. quis ratione vitæ, membrorum Bonorum que suorum sibi promittere posset securitatem, nisi certis in delicta pœnis statutis? Summæ vero est Prudentiæ, pœnas ita formare & disponere, ne plus damni, quam utilitatis, adferant reipubl.

*Pœna Definitio.*

§. 3. Pœna est malum, quod ab imperante delinquentibus infligitur, eum in finem, ut cives omnes in illa Republ. similibus delictis deterreantur.

De Pœnarum definitione ab aliis diversimode suppeditata dicemus in Discursu.

*Pœna qui  
bus & quomodo  
irrogantur.*

§. 4. Nemo igitur in republ. Jure puniendi delinquentes pollet, quam solus Princeps. Eo ipso enim, dum subditi imperium transtulerunt felicitatis externæ obtinendæ causa, etiam quoad Jus vitæ & necis ei se subjecerunt, quatenus salus



lus Reipubl. cœrcitionem delictorum ex-  
 pōcit. Soli itaque subditi pœnis a Prin-  
 cipe constitutis se subjectos vident. Ni-  
 hil autem interest, utrum hoc Jus Prin-  
 ceps per se, an per alios, exercent: poste-  
 riori tamen casu oritur Jurisdictio crimi-  
 nalis.

§. 5. Pœnas ipsas Jus Naturæ non de-  
 terminat, sed arbitrio Principis relinquit,  
 qui eas statuit, quatenus utilitas reipubl.  
 & delictorum natura aut mitiores, aut  
 graviores postulat. Nam illa delicta po-  
 tissimum debent cœrceri, quæ publicam  
 turbant salutem. Ex hac etiam causa pœ-  
 næ in omnibus fere rebuspubl. vari-  
 ant; ita, ut hoc vel illud delictum  
 in una republ. severius, in altera mitius  
 puniatur.

§. 6. Disputant quidem Dd. utrum  
 proportio geometrica, an vero arithme-  
 tica in pœnis constituendis observari de-  
 beat? imo & Pufendorf: *o*) novam ex-  
 cogitavit speciem, quam vindicativam  
 nominavit. Sed verum ut fatear, tota  
 hæc quæstio merito inter inanes est refe-  
 renda; cum Princeps ad nullas regulas  
 hic sit restrictus, sed sufficit, secundum  
 regulas decore, si pœnas dicat æquas at-  
 que adæquatas, ac ejus naturæ, ut crimi-  
 na cœrceant & subditos ab omnibus, quæ  
 reipubl. turbant, deterreant. Præpri-  
 mis

*De Pœna-  
 rum causa  
 ac gradibus.*

*De Pœna-  
 rum qualitate.*

mis vero dicitur Jus Naturæ late sic dictum, ut Princeps omnem devitet crudelitatem. Satisfactum enim jam est Reipubl. quando pessimo Cive est liberata.

e) In Jur. N. & G. lib. 8 e. 3. §. 5.

*De Leg. criminalibus & capitalibus.*

§. 7. Patet quoque ex hætenus dictis, absone omnino eos ratiocinari, qui aliis persuadere conantur, Principem obstrictum esse, LL. criminales in republ. Israëlitica introductas sequi, aut, ut alii putant, omnes pœnas capitales esse injustas. Nam LL. criminales divinæ sunt LL. forenses ad conditionem Reipubl. & ipsius populi accommodatæ ita, ut plæræque earum ne quidem in aliis rebuspubl. locum invenire possint. Et licet Jus Naturæ non jubeat pœnas capitales, eas tamen neque prohibet neque damnat, sed potius ipsas exigente reipubl. Salute approbat, si scilicet alias delicta coercere haud liceat. Imò Princeps non peccare contra regulas justitiae omnino videtur, si in levissima quoque delicta capitales statuat pœnas, modo in subditorum potestate situm sit ea evitare. Certum enim est, omnes pœnas esse arbitrarías.

*Quinam actus puniendi, vel non?*

§. 8. Sunt autem illi saltem actus pœnis humanis subjecti, qui a nostro dependent arbitrio, ita, ut eos omittere iisdemque resistere, in viribus nostris positum sit

fit, ac imbecillitati humanæ semper aliquid indulgeatur. Non ergo poenæ imponi possunt actibus mere internis, & huc spectat vulgatum istud: quod poenam cogitationis nemo patiat. Neque poenis obnoxii sunt nævi omnibus hominibus communes: namque ita sunt comparati, ut coactionem externam respiciant, & potius eos persuasionibus, exemplis atque consiliis debeamus moderari. Quis enim ambigeret, vitiorum nomen mereri avaritiam, ambitionem, voluptatem &c.? quis temen crederet, hæc vitia poenis externis posse coerceri? Potest tamen & Princeps eo dare operam, ut Legibus civilibus iis occasionem majores vires sumendi auferat & fomenta eorum sub certa poena prohibeat. Ita quis dubitare posset, quod Princeps prohibere queat computationes, cibos delicatos, fastum vestimentorum ac ejusmodi alia? Licet de eo adhuc dubitare liceat: anne melius exemplis, quam pœnis, hæc omnia debeant impediri.

§. 9. Nec actus intellectus, qui solis *An actus* conceptibus nituntur, poenis humanis *intellectus* sunt subjiciendi. Intellectui enim ne *puniendi* que LL. præscribi, neque poenæ dictitari possunt. Accedit, quod meri conceptus neque turbent Rempubl. neque semper

per a nostro dependeant arbitrio. Bonâ enim fide quis errori potest esse immer- sus. Potest tamen Princeps impedire, imo sub pœna prohibere, ne hi vel illi conceptus promulgentur. Nam sæpius sub errore malitia voluntatis occulta est, qui inde non amplius retinet nomen meri erroris, sed omnino tanquam delictum publicum potest puniri. Fluit itaque ex hæcenus dictis, quod hæresis plane non sit crimen: a) est enim reverâ error solius intellectus, neque per se Rempubl. turbat, uti tolerantia nonnul- larum Rerumpubl. id satis superque o- stendit.

a) Vid. III. Thomasi Dispp. de crimine hæreseos, & an hæresis sit crimen?

*An solus delinquens possit puniri?*

§. 10. Quod nemo, juxta regulas justitiae, nisi delinquens puniendus sit, jam supra Part. I. demonstravimus. Et licet ob- jicere velis exemplum Dei posteris pro- pter peccata majorum pœnas minantis, recogitare tamen debes, nos haud esse lo- cutos de pœnis divinis, sed humanis. A- liter rem considerat Physicus, Philoso- phus, Ictus, aliter Theologus. Physicè recte dicitur: Virginem haud posse pa- tere sine marito; quod tamen in sensu Theologico nullam involvit contradi- ctionem:

f: in

§. 11. Est autem Princeps ex regulis ju-  
 sti ad puniendos delinquentes obligatus: *Jus aggra-*  
 hoc enim exigit Salus reipubl. quam ut *tiandi*  
 promoveat, vi pacti cum subditis initi- *quid? &*  
 peram navare debet. Omnia igitur cri- *quousque*  
 mina impunita præterire haud potest: at- *Principi*  
 tamen ut hunc vel illum delinquentem *competat.*  
 nulla pœna afficiat, regulæ justi non pro-  
 hibent. Nam competit Principi Jus ag-  
 gratiandi, uti vulgo vocatur, vi cujus ex  
 regulis decori delinquentes salvo illo pa-  
 cto subtrahere & eximere supplicio po-  
 test, etiam sine aliqua causa; quamvis re-  
 gulis decori convenientius sit, non nisi  
 ob justas ac Reip. utiles causas hoc jure  
 uti. Cum hoc igitur jure non confundi  
 debet officium Principis minuendi aut  
 remittendi pœnam ex interpretatione  
 LL. & æstimatione delictorum: nam hoc  
 cuivis Magistratui est commune.

§. 12. Et quidem consentiunt omnes: *Jus hoc se*  
 Jure Naturæ Principi hoc jus aggrati- *extendit*  
 di in omnibus delictis competere: quia *ad omnia*  
 Legibus naturalibus omnes pœnæ sunt *delicta.*  
 arbitrariæ. Denegant verò alii hanc po-  
 testatem Principi in delictis, quorum  
 pœna in Jure divino universali sit defi-  
 nita; a) atque huc referunt homicidium  
 dolosum. Verum cessante Jure illo di-  
 vino universali, sicut supra P. I. a nobis

M m

est

est evictum, etiam in homicidio doloso Principi omnino aggratiare licet.

a) Quod defendit D. Rechenberg in diff. de Jure aggratiandi circa homicid. Lips. 1702. habita, Beyer in Posit. Jur. nat. c. 31. §. 42. & Bodinus in spec. Diff. aliique plures. Contrarium autem defendit Ill. Thomafius in Diff. de Jur. aggrat. Princip. Evangel. in causis homicidii, ibique subjunctum Ordinis Istorum Hall. Responsum, Jo. Henichius in spec. Consilio de dispensatione circa pœnam homicidii, it. Phil. Lud. Hannekenius in Jure gratiæ Principis Christiani in re. os noxæ capitalis.

*Quomodo  
Princeps  
in homici-  
dio aggra-  
tiare possit.*

§. 13. Veritas hujus hypotheseos ut eo clarius elucescat, ante omnia notandum Jus licentiæ cum eo, quod conducit, non esse confundendum. Prius enim spectat ad Jus Naturæ strictum; posterius ad late sic dictum. Non igitur dicimus: Principem tenere ad remittendam pœnam homicidii, sed id saltem interdum facere posse. Porro monendum: hujus quæstionis decisionem ex solo Jure Naturæ petendam esse. Quare omnes objectiones ex aliis Juribus positivis, Justiniano & Canonico desumptæ plane ad rem haud quadrant.

*Cur Jus  
Nat. pœnas  
non deter-  
minat.*

§. 14. Hoc præsupposito facile facultatem hanc Principi competentem evincimus, quod nimirum secundum hætenus dicta omnes pœnæ proveniant ex Jure positivo. Nam Jus Naturæ non potest determinare pœnas: hæ enim, ut iustæ sint, proportionem cum delictis ha-

be-

## OFFICIO PRINCIPIS CIRCA POEN. §47

bere debent; delicta vero infinitis modis variant. Eadem adest ratio intuitu homicidii, quæ infinitis etiam modis variare potest.

§. 15. Non obstat dictum Genes. IX. 6. *Quicumque hominis sanguinem fundit, ipsius etiam sanguis fundetur per hominem. Nam Deus condidit hominem ad imaginem suam.* In allegato enim hoc textu non est imperativus, sed futurum, ita, ut de Judicio Dei occulto saltem sermo sit. Et licet dicant: futurum in multis locis id denotare, quod fieri debeat, sufficit; tamen, quod prior sensus magis fundatus & ordinarius sit, adeoque non nobis, sed illis probatio incumbat. Accedit, quod & nostra interpretatio conveniat cum Jure Naturæ, ac proinde regulariter sit præferenda alteri sententiæ. Urgent adhuc dictum Exod. XXI. 12. nempe homicidam vicissim esse interficiendum. Sed vel fugitivo oculo locum hunc inspicienti evidens erit, ibi saltem sermonem esse de Lege Populo Israëlitico a Mose data.

§. 16. Falso autem hujus sententiæ de sensoribus imputatur, ac si libertatem quosvis homicidas impunitos præstandi defendere velint. Omnino enim ipso-  
rum quoque tradit assertum, quod in genere ex causis ac rationibus prudentibus

*Quis sensus Dicit. Gen. v. 9. 6. Exod. 21. v. 12.*

*De modo dispensandi in homicidio dolo.*

bus Jus aggratiandi debeat exerceri, ita, ut optime faciat Princeps non plane impunitum dimittens homicidam dolosum, sed mitiorem tantum dicitans poenam. Nam mitigatio poenæ est etiam species dispensationis.

*Delinquens non obligatur ad poenam tolerantiam.*

§. 17. Jam quæritur: Utrum etiam officium adsit intuitu delinquentis ad poenam patiendam? a) quod omnino negandum esse putamus: Nam Regulæ honesti producant saltem obligationem internam, cui jam satisfecit delinquens, si poenitentiam delicti serio egerit, atque in posterum a delictis absteat. Neque regulæ decori id efflagitant, partim quod nulli hominum patienter ferendo poenam exhibeamus officium humanitatis, partim quod natura horum officiorum non exigat, ut cum nostro damno vitæque periculo aliis præstentur. Regulas justæ quod concernit, prohibent quidem hæc, ne aliquem lædam, postquam vero læsio facta est, non exigunt, ut poenam patiar eique voluntarie me subjiciam, sed ut saltem damnum alteri datum quocunque modo restituere satagam.

a) Vid. III: Thomasius in Jurisprud. div. L. 3. c. 7. §. 67. seq.

*Ad Object. resp.*

§. 18. Et quamvis dicas: Principi tamen competere Jus puniendi, cui necessario in subditis respondere debeat obligatio;

su-



supra tamen jam demonstravimus, regulariter quidem Jus & obligationem esse correlata, dari vero quoque obligationem internam sine jure, imo dari & jus sine obligatione v. g. in communi periculo &c. Imo licet concedamus, juri puniendi correspondere debere obligationem in delinquente; nihil tamen ex hoc etiam probabis, nisi quod regulæ justæ prohibeant, ne delinquens cum nova justitiæ violatione resistat fugamque capere conetur. Cui accedit, quod in casu necessitatis, qui in poenis perferendis semper adest, regula patiatur exceptionem.

Vid. Ill. Thomasius in fundam. Jur. Nat. & Gent. L. 3. c. 7. §. 12. sqq.

§. 19. Tandem exigunt etiam regulæ justæ, quod nemo nisi confessus aut convictus puniri debeat, & quod indicia, uti vocantur, non sint sufficientia ad aliquem condemnandum, sed ad inquisitionem saltem instituendam. Qualis autem probatio requiratur, haud determinat Jus Naturæ; duorum tamen testimonium, si exceptione majus, ut sufficiens admittit. Deficientibus probationibus non quidem jubet Jus Naturæ, ut quæstio per torturam instituatur, non tamen hanc impugnat, vel prohibet; quæ hinc, si nullus concurrat abusus, salvis regulis justæ ac decori in republ. toleratur. a)

*De Præ-  
quisitis ir-  
rogationis  
Poenarum.*

a) Dissentiunt alii. Vid. Diss. sub Præsidio Ill. Thomassii An. 1705. habita de Tortura ex foris Christianorum proscribenda.

*De Inqui-  
sitione ac  
Processu  
criminali.*

§. 20. Patet exinde, quod Principi jus competat inquirendi in delicta. Quomodo vero procedendum sit, utrum Processus accusatorius, an inquisitorius magis conducatur, aut quisnam alteri sit præferendus, non ita facile licet determinare; in utroque enim usus ab abusu debet separari. Interim non est dubitandum, illum in Criminalibus procedendi modum alteri esse præferendum, qui tot abusus, quot alter, non est subjectus.

Vid. Ill. Thomassii Diss. de origine Processus inquisitorij An. 1711. habita.

## CAP. IX.

De

# Officio Principis circa constituendos Magistratus & alios Officiales.

§. 1.

*De Necessitate Officialium.*

**I**ncumbit quidem Principi promovere Salutem reipubl. atque eo præcipue respicere, ut bene administraretur Justitia; non tamen ejus officium exigit, nec natura humana ipsa permittit, omnia negotia ab eo solo expediri; Necessitas igitur jubet

jubet & aliorum uti auxilio ac certa reipubl. munera inter Cives s. subditos distribuere.

§. 2. Soli itaque Principi Jus aliis negotia reipubl. committendi & omnes Officiales constituendi competit; ac ideo re-  
 te Juribus Majestatis id accensetur. Sequitur etiam exinde, Officiales, quales  
 cunque etiam sint, non desinere esse subditos, sed tantum esse procuratores nudos, qui adversus Mandatum imperantis nihil suscipere atque peragere possunt. Imo nullus sine speciali Principis concessione sibi munus aliquod potest arrogare nisi reum se facere velit criminis læsæ Majestatis. Et licet subditi interdum jure gaudeant Magistratum sibi eligendi aliosque suæ Civitatis constituendi Officiales, Jus tamen hoc non nisi ex concessione Principis possident, ac hi ipsi Magistratus imperio Principis manent subjecti, & ei muneris sui rationes reddere tenentur, ita, ut nullum privilegium, ac nulla observantia in contrarium, eos ab hac liberet obligatione.

*Officiales  
 subjecti  
 sunt impe-  
 rio Princi-  
 pis.*

§. 3. Dependent igitur omnia munera, tam Ecclesiastica quam civilia, a Principis dispositione: utraque enim felicitatem Reipubl. intendunt atque pro fine habent, ita, ut, etiamsi interdum Populo,

*Omnia Offi-  
 cia publ. a  
 solo Prin-  
 cipe dependen-  
 dent.*

M m 4

non.

nonnunquam etiam singulis Jus competat Ministros Ecclesiæ eligendi, hi tamen opus habeant Principis confirmatione, ita, ut omnino etiam inquirere liceat: utrum sint digni ac capaces, an ratione morum vitæque integritate se comendent? alias utique eos rejicere atque alterius dignioris membri electionem commendare Princeps potest.

Acturi sumus in Discursu de Simonia.

*De Requisi-  
tis Officia-  
lium.*

§. 4. Multum vero ad salutem reipubl. conducit, ut tales personæ muneribus publicis præficiantur, qui sunt prudentes, sinceri, bona fide agunt, salutem reipubl. præferunt salutem propriæ, non avari, interesse Principis & reipubl. non separantes; nam his caracteribus haud præditi plus nocent, quam profunt, ac magis ad destruendam remp. quam ad ejus utilitatem promovendam sunt idonei. Non vero omnes ad omnia negotia apti sunt: dantur enim ingenia armis, alia Ecclesiæ, alia ad regendum aptiora nata; & rursus dantur hominis, qui utiles sunt reip. si ad aliorum actiones dirigendas constituentur, alii vero, si ab aliis dirigantur. Naturam itaque hominum ut cognoscat Princeps necesse est, ne talibus muneribus præponantur subditi, quibus præesse nequeant; cum tamen ad alia forsitan maxime sint idonei. Interim certe con-

contra regulas decori peccat Princeps, si indignos atque incapaces ad munera publica vocet, bene autem meritos excludat. Hi tamen de nulla læsione possunt queri; quia haud ex regulis justi hoc vel illud officium postulare possunt.

§. 5. Fluit inde & hoc, quod Princeps pro suo arbitrio, quemcunque velit, ad munera publica vocare queat. Ergo a nuda ejus voluntate dependet, utrum indigenæ saltem, an etiam extranei ad officia publica possint admitti, nisi legibus fundamentalibus hæc potestas restricta reperiatur. Quinimo potest Magistratus perpetuos ac temporales constituere, officia efficere & personalia, & hæreditaria, nihilque obstat, quo minus etiam expectativas s. spem ad officia mox vacatura concedere queat. a) Nec dubitandum, Principi quoque compere potestatem alium substituendi ei, qui adhuc in officio est, ut simul cum eo illud administret.

a) Vid. Myler ab Ehrenbach in Hyparch. c. 3.

§. 6. Et quoniam singuli subditi ad promovendam reipubl. felicitatem ex regulis justis sunt obligati, singuli etiam ad munera publica in se suscipienda cogi possunt: vice autem versa is, qui semel officium in se suscepit, ei invito imperante haud potest renunciare. Si fuerint infide-

*Quomodo  
circa Offi-  
cia publ.  
Princeps  
disponere  
possit.*

*De Jure  
Principis  
in ipsos  
Officiales.*

deles, aut incapaces officii, debitamque non adhibeant in eo gerendo industriam, salvis iusti regulis eo possunt privari, ita, ut Principi hæc potestas sit relicta, licet quis officium gerat hæreditarium. a) Neque ademptum est Principi jus certis in casibus alicui extra ordinem negotium aliquod expediendum committere, quamvis id alteri cuidam vi sui officii & commissi competat. Quin etiam per commissarios negotia expedire potest iis in locis, ubi Judex jam adest atque coram quo alias negotium debuisset expediri.

a) Collegit nonnulla huc spectantia B. Strykius in Diff. de abusu Juris quæsit.

*An in Officiis publ. qualitas Personæ respicienda?*

§. 7. Ut autem Princeps gratis alicui officium publicum concedat, regulæ iusti haud postulant, licet ne quidem qualitatis personæ rationem habeat: regulæ tamen decori, ut ut non prohibeant pro officio certum exigere pretium, nec ad id gratis aliquem admitti jubeant, sane minimum deprecant, ut qualitatis Personarum habeatur ratio; cum non sufficiat constituisse Officiales, sed tales requirantur, ex quibus nullum sentiat respublica detrimentum.

Vid. Cardinal. Richelieu Testament. politiq. P. I. Sect. 1. c. 4.

§. 8. Non solum vero Princeps rationem habeat personarum, quibus officia committuntur, sed præprimis etiam, qualia officia erigi ac constitui debeant in reipubl. Nam interdum valde necessarium esse videtur, certos constitui Magistratus atque certa ordinari Collegia, quæ tamen noxia sunt reipubl. Exemplum nobis præbet Judicium morum in rep. Romana, de quo doctissime egit Ill. Thomasius in Diff. An. 1702. habita de Judicio s. censura morum.

*Ipsorum quoque Officiorum qualitas consideranda.*

## CAP. X.

De

# Officio Principis intuitu existimationis atque honorum Civium.

§. 1.

Qui præ aliis utiles se præstant reipubl. ac ita se gerunt, ut nomen boni Civis & Virorum honestorum mereantur, digni sunt, qui præ aliis quoque evitentur, majorique honore condecorentur. Exigit etiam hoc Salus Reipubl. ipsa: excitantur enim hoc modo ignavi ad

*Cura Principis honores in Civibus conferendi?*

ad ea addiscenda, quæ conducunt reipubl. & quæ promovent Salutem publicam. Nam maxima hominum pars non nisi ambitione adducta facit, ut decet, nec nisi metu amittendæ famæ & honorum id omittere solet, quod evertit rempubl. Principi igitur, cui Salus Populi incumbit, merito competit etiam jus atque officium de honoribus ac fama Civium disponendi.

*Existimationis ac famæ Definitio & Differentia.*

§. 2. Est autem existimatio iudicium cuiuslibet de se ipso, vel aliis: fama vero est tantum iudicium de aliis hominibus. Ex quo patet, quod existimatio ac fama non semper sint conjunctæ, sed sæpissime eveniat, ut Viri maxime, honesti male audiant, & infamia dehonestentur, pessimi vero a pluribus æstimentur magnamque in republ. obtineant famam. Quare existimatio, non autem fama, a nostra dependet potestate.

*Ipsarum Divisio.*

§. 3. Tam fama, quam Existimatio, est vel simplex, vel intensiva. Illa est, quæ Viri boni iudicantur æquales i. e. malitia carentes, eique opponitur infamia. Hæc est, quæ inter homines, qui omnes simplici gaudent existimatione, unus præstantior intuitu bonitatis habetur, quam alter; cujus oppositum est carentia laudis, honoris, gloriæ &c.

§. 4.



§. 4. Cum autem varia Bonorum humanorum dentur genera, non immerito quæritur: quænam ad veram existimationem? Facilis est responsio, nempe: existimationem non nisi vita iusta, decora atque honesta acquiri posse: ubi tamen simul observandum, quod is, qui saltem secundum regulas iusti vivit, i. e. qui neminem lædit, simplici modo gaudeat existimatione: qui vero simul decore ac honeste vitam gerit, existimationem acquirit intensivam, & quidem perfectissimam. Imo parit simul hæc existimatio animi quietem atque alios ad ad juvandum nos allicit.

§. 5. Non autem hanc nobis comparamus existimationem, nisi cognitione stultitiæ propriæ ac humani generis. Hæc enim cognitio est fons omnis existimationis & sine ipsa haud possumus secundum dictas regulas vivere, neque adeo nobis veram parare existimationem.

§. 6. Reliqua igitur Bona neque minuunt neque augent nostram existimationem, sed sapiens ea tantum ut instrumenta atque ornamenta virtutis considerat, persuasus, quod sine his quiete ac feliciter vivere queat, & quod hæc omnia cadant in homines omni virtute destitutos. Quodsi vero ea possidet, iis omni-

*De Modis  
acquirendi  
Existimationem.*

*Quid præ  
requiratur  
ad acquirendam  
Existimationem.*

*Cætera Bona  
sunt salutem  
Virtutis  
instrumenta.*

omnino utitur neque ea rejiciens, neque ex earum possessione aut carentia propriam suam æstimans sapientiam, atque multo minus vult, ut hanc ob causam ab aliis pro sapiente æstimetur. Scientiam itaque, sanitatem, divitias atque honores considerat ut res indifferentes, quæ sine virtute magis auferunt, quam augment existimationem, & quorum carentia nequaquam existimationem ipsius eripere potest. Eapropter quoque sapiens nec paupertatem, nec alia fortunæ mala, nec infamiam ipsam, cui causam haud dedit, metuit.

*Fama in  
Statu natu-  
rali quid?*

§. 7. Famam quod attinet, variat ipsa variasque parit observationes pro diversitate status, in quo vivunt homines. Vel enim homines vivunt in statu naturali, vel in statu civili. Fama simplex in statu naturali viventium in eo sita est, ut tamdiu quis pro homine integræ famæ debeat haberi, quamdiu nullum malignum facinus contra regulas Justitiæ commisit, ita, ut ei omnibus juribus humano generi competentibus frui liceat. Nam peccata infirmitatis i. e. quando aliquis non quidem, uti decet, juxta regulas decori & honesti vivit, hic non considerantur. Huc spectat istud, quod quilibet præsumatur bonus, donec probetur contrarium. In-  
de

de etiam in societate civili, si quis famam simplicem i. e. Daß er ein ehrlicher Mann, probare debeat, eo saltem omnis probatio reedit: eum neminem læsisse, man habe sein Tage nichts böses von ihm gehört; non itaque quæritur: utrum sit homo magnis virtutibus ornatus?

§. 8. Hujus famæ effectus consistunt in *De effecti-* eo, ut nemo nos lædere queat, neque re- *bus hujus* spectu Bonorum corporis, neque fortu- *fama.* næ, neque famæ, sed ut horum læsio contra omnes justam nobis præbeat belli causam eaque contra quemcunque in vasorem defendendi.

§. 9. Famæ opponitur infamia, quæ *Infamias ei* in statu naturali considerata, nihil aliud *opposita* est, quam macula bonæ existimationis ex *quid?* violatione regularum justitiæ orta. Quare ad hanc talia requiruntur facinora, quibus jura aliis hominibus competentia violantur. Pertinent huc furta, homicidia dolosa, adulteria, stupra violenta & fraudulenta, contumeliæ, injuriæ &c.

§. 10. Est vero infamia triplex: minor, *Infamia* major, maxima; hæcque distinctio nobis *minor* pandit viam ad effectus infamiæ *quid? ejusque* dijudicandos. Minor est, ubi aliquis uno; *que effo-* *Bus.* delicti genere aut unum saltem, aut paucos læsit. Hujus effectus est, ut non solum reparationem damni per bellum petere possit;

possimus, sed & habeamus causam fugiendi ejus societatem ipsique diffidendi, imo & cautionem exigendi, ne amplius nobis nocere queat. Respectu vero aliorum, qui a lædente nos nondum sunt læsi, neq; ad diffidentiam, neque ad cautionem sufficiens adest causa. Nam unum factum injustum non parit infamiam intensivam.

*Infamia  
majoris  
Definitio  
& effectus.*

§. 11. Major infamia est, si quis alios dolo malo sæpius læserit, ita tamen, ut nondum habitum lædendi sibi comparasse videatur. Hic præbetur quidem aliis justa causa ei diffidendi ejusque societatem fugiendi, nullatenus vero bello eum invadendi, lædendi aut contumelia afficiendi.

*Infamia  
maxima  
Definitio  
& effectus.*

§. 12. Maxima est, si quis habitum sibi nocendi aliis acquisiverit, ita, ut data quavis opera omnes alios lædat. Tales utique pro hostibus habendi & contra ipsos omnibus omnia ea sunt licita, quæ Jus Naturæ hosti in hostem concedit. Huc referendi sunt piratæ, prædones, sicarii iique, qui habitum sibi contraxerunt furta, adulteria ac stupra violenta perpetrandi; atque nullum est dubium, quin totæ Civitates huic classi accenseri possint & debeant. Imo & huc referendæ sunt omnes eæ gentes, quæ cum omnibus illis populis, cum quibus nullum iniissent  
fœ-

foedus, jura in tibi belli causam esse putarunt. a)

a) Conf. Observat. Hall. Tom. VII. Obs. 6. & Pufend. in Diss. de Existimatione §. 7.

§. 13. Fama intensiva in Statu naturali est opinio plurimum de alterius præstantia propter virtutes, quas ubique secundum regulas decori atque honesti ostendit. Effectus hujus famæ est, ut pariat laudem ac honorem. Est autem laus nihil aliud, quam opinionis nostræ de alterius virtutis præstantia declaratio; quæ, ut vera sit, ab hominibus sapientibus fieri debet. Honor in hoc convenit cum laude, in eo tamen & differt a laude, ut opinio ista de aliis cum potentia debeat esse conjuncta.

*Quid fama intensiva, laus, Honor?*

§. 14. Ut vero alii homines in Statu naturali laudent & honorent eos, qui laudibus atque honoribus digni sunt, regulæ justæ non præcipiunt, neque hujus rei denegatio justam suppeditat belli causam; cum id saltem ad officia humanitatis spectet, ad quæ nemo potest cogi. Unde etiam dicitur: Honorem esse in potestate honorantis, non honorati.

*Laus bonæ & debetur saltem ex regg. Decori.*

§. 15. Ex quo simul sequitur: quod inter Gentes nulla habeatur ratio præcedentiæ, neque hujus denegatio inter justas belli causas possit referri, nisi pactum

*Præcedentiæ & Prærogativa non datur inter Gentes.*

N n

acces-

accessisset. Tunc vero non amplius est officium humanitatis, sed ex ~~ex~~ justis regulis debetur. Manet enim inter gentes æqualitas, atque nulla potest allegari ratio, ob quam una Resp. alteri cedere debeat: & diversitas Rerumpubl. respicit saltem gubernationem, nullum autem intuitu exterorum involvit respectum; neque potentia, neque antiquitas, neque imperium absolutum, neque mores gentium illam, in qua gentes vivunt, tollunt æqualitatem, multo minus alteri jus tribuunt. Nec præscriptio locum habere potest: cedere enim alteri est actus meræ facultatis. Neque titulus aliquam involvit prærogativam: nam licet dentur Imperatores, Reges, Archiduces, Duces, Principes &c. sunt tamen omnes hæ denominationes arbitrariæ, ita, ut neque potestatem unius augeant, neque alterius libertatem minuant.

Vid. Jo. Jac. Chiffletii & David. Blondelli, it. Crusii & Zweiburgii Scripta ad Jus præcedentiæ spectantia. Dicemus & in Discursu de Leibnitii libro, quem sub ficto nomine Furstenerii edidit. Confer. quoque Pufend. J. N. & G. lib. 8. c. 4. §. 15. & Ill. Thomasius ad Monzamban. c. 1.

*Consequen-  
tia infam-  
ia in Sta-  
tu naturali.*

§. 16. Hæc infamia neminem ineptum reddit, ut cum aliis vivat in societate, neque aliis vel cum lædendi vel ipsi

ipsi officia humanitatis denegandi causam praebet. Nec tamen ille causam conquerendi habet, si alii arctiorem aliquam societatem, sine contumelia tamen, cum eo inire detrectent.

Conf. Pufendorffii Disp. de fama atque existimatione. Inprimis vid. Thomassii Diff. de Existimatione, fama & infamia extra temp. An. 1709 habita.

§. 17. Famam in Statu civili quod con-  
ternit, ea certis regulis includi nequit, sed ab aliorum etiam prudentum dependet opinione. Inde videmus, quod saepe infamia simplex quoque peccatis imbecillitatis humanæ contrahatur, si saltem legibus sint prohibita; & vice versa saepius pro infamibus plane non habentur, qui in Statu naturali non nisi ut infames considerari possent.

§. 18. Interim certum est, quod in hoc statu honor, fama ac infamia a solo dependeant imperante, qui non solum honores conferre, sed de variis etiam horum effectibus disponere potest. Inde etiam fit, ut honores, fama & infamia in unaquaque republ. variant, diversosque producant effectus. Ita nullum subest dubium, quin & spurii, foeneratores, lenones, meretrices &c. possint pro infamibus declarari levisque notæ macula a Principe introduci queat. Imo possunt etiam ab ipso variis constituti status,

*De causis  
famae &  
infamiae in  
Statu civili.*

*De iis quibus  
Prin-  
ceps posse  
disponere.*

N n a

varii

varii ingenuorum ac liberorum ordines: in his tamen omnibus ita se gerere debet, ut quoque regularum decori haud obliviscatur.

Conf. Pufend. J. N. & G. lib. 8. c. 4. & Hertius in Element. Prudent: civil. P. I. Sect. 5. §. 12. sqq.

## CAP. XI.

De

# Officio Principis circa Bona tam publica, quam privata.

§. I.

*In quo consistat Dominium eminens.*

**M**aximam Reipubl. felicitatem in eo versari, si a subditis Bona ad se pertinentia bene ac prudenter administrantur, sane certo est certius. Nam ab iis dependet conservatio Civitatis, atque Salus familiarum. Incumbit itaque Principi prospicere omnibusque viribus eo niti, non tantum ne subditi rebus ac Bonis suis abutantur, sed & exigente Reipubl. utilitate regulæ justæ ei concedunt jus res tam communes, quam eas, quæ ad singulos Cives spectant, ad communem illam Reipubl. utilitatem ad-



adhibendi; & hoc communiter vocari solet dominium eminentis.

§ 2. Hoc igitur dominium quod attinet, magna olim animorum contentione de eo fuit disputatum. Utraque quidem pars jus hoc de Bonis Civium disponendi vi Majestatis Principi competere affirmat, sed vi Dominiij eius illud concedi posse negat. *a)* Et quamvis tota hæc controversia in λογμαχίαν exire videatur, tamen in negantium castra transire nullus dubito. Nam cui ignotum esse potest, maximam inter imperium ac dominium intercedere differentiam, atque illud utique, nequaquam vero hoc in imperantem esse translatum?

*Quatenus id Principi competat.*

*a)* Vid. Lyseri Diss. pro Imperio contra dominium eminentis, cui postea accesserunt, quæ inter Hornium & Lyserum de hac controversia scripta prodierunt Witteberg. An. 1673. Lyseri sententiam amplectitur quoque Ziegler. ad Grot. p. 46. & de Jur. Majestat. lib. I. c. 4. §. 14. Pro Hornii sententia pugnat Grotius de J. B. & P. lib. I. c. 1. §. 6. it. lib. 2. c. 3. §. 4. Hobbes. de cive c. 8. §. 5. Kulpis. in Colleg. Grot p. 14. §. 2. Hennig. ad Grot. p. 60. Boeclerus autem fluctitat in Diss. de Dominio eminentis, quæ ejus Commentario ad Grotium est inserta.

§ 3. Itaque Imperii hujus eminentis *De ipsius fundamentum* consistit in utilitate publica, vi cujus unusquisque Civium *fundamen- to.* tenetur omnia sua Bona conferre ad illam

promovendam : Eo ipso enim dum aliquis transit in republ. promittit ea omnia contribuere, sine quibus felicitas reipubl. haud possit custodiri; atque id eo quoque a nemine, nisi ab eo, qui tenet summum Imperium, id potest exerceri.

*Eiusdem  
Divisio.*

§. 4. Dividunt hoc Imperium eminentia in ordinarium atque extraordinarium. Ordinarium vocant id, quod Principi jus concedit, de rebus communibus, publicis & nullius disponendi, ita, ut omnes hae res non solum quoad usum, sed quoad proprietatem etiam ad Principem spectent, nisi quatenus per pactum s. leges fundamentales aliter sit dispositum; adeoque ex hoc fundamento Principi competunt res fiscales, sylva, flumina, Jus venandi, Aucupii, Piscationis, Palatia, Muri, Portae, Fortalitia, res Sacrae s. sanctae ac religiosae, Metalla, lapilli pretiosi, succinum &c: thesauri, agri deserti, loca inculta, res pro derelicto habitae &c. Bona domanialia, Bona Coronae &c. Porro & vi hujus Imperii vectigalia imponit, Tributa exigit, de modis acquirendi & amittendi Dominij disponit, Jus Investiturae a se petendi sibi vindicat, aliaque plura.

§. 5. Bona vero quod attinet, ea sunt *Bonorum* vel publica, vel privata. Illa appellantur, quæ in Dominio sunt Civitatis: *Diviso ac subdiviso.* Hæc, quæ in Dominio sunt privatorum. Bona illa publica varie subdividi solent. Alia vocant Bona Principatus s. Bona Domanialia, quæ Principi assignata sunt ad sustentationem atque Splendorem suæque familiæ; alia Bona Reipubl. quæ utilitati totius Reipubl. dicata ac destinata sunt.

§. 6. Bona Domanialia tantum abest, *De Domanialium Alienatione.* ut a Principe alienari possint, ut potius alienata quoque a Successore revocari queant; & circa hæc nullum invenit locum præscriptio. Sed hæc omnia tamen dependent a LL. fundamentalibus cujusque Regni. Nam Jus Naturæ ignorat talia Bona; non tamen ea prohibet. Nihilominus cavendum Principi, ne doctrinam de non alienandis Domaniiis & Bona, quæ huc referenda sunt, latius, quam regulæ justæ ac decori admittunt, extendat.

Maximus est numerus Scriptorum de Domaniiis. Pleraque collegit & edidit Christoph. Frisius in Jure domaniali. Huc etiam spectat Choppinus de Domanio Gallico, & qui huic se opposuerunt Girardus de 1<sup>o</sup> etat & Succes des affaires de France, it. Traët. Gall. sub tit. Les Surintendents des Finances de France.

Nn 4

§. 7.

*De Dispo-  
sitione  
Principis  
circa Bona  
privato-  
rum.*

§. 7. Bona privata quod concernit, certum est, Principem etiam ex regulis iusti certa subsidia a suis subditis exigere posse. Non enim sine expensis administrari ac defendi potest respubl. hujus igitur ad conservationem ut subditi aliquid ex Bonis suis conferant, vinculum, quo reipubl. obstricti tenentur, omnino jubet. Ex quo simul necessario fluit: omnia hæc onera atque subsidia a nullo, quam a summo imperante, posse postulari. Non itaque Magistratui inferiori licet omni gaudeat Jurisdictione, Jus competit ejusmodi subsidia exigendi, nisi ex concessione imperantis, aut tempore extremæ necessitatis. a) Collectas vero ab imperante determinatas distribuere ex Principis commissione Magistratui inferiori omnino competere videtur; quod jus subcollectandi solet nominari.

a) Confer. Ziegler. de Jur. Majest. L. 2. c. 1. §. 19.

*Quibus-  
nam Perso-  
nis Onera  
imponi pos-  
sunt?*

§. 8. Exigi possunt hæc subsidia ab omnibus, sicut in Territorio, s. extranei, modo ibidem Bona possideant, ita, ut nemo sit exemptus, nisi ex speciali gratia Principis, qui tamen & ipsi in casu necessitatis exempti esse haud videntur. Neque ad determinationem subsidiorum opus habet Princeps consensu subditorum. Principis enim est determinare ac judicare,

re,

re, quantum necessitas & utilitas rei-  
publ, exigat; nisi rursus LL. fundamen-  
talibus regni aliud quid sit dispositum.  
Neque Principi est præscriptum, quo  
nomine hæc tributa exigere debeat.

§. 9. Hæc omnia recte se habent quo-  
ad regulas iusti. Cum vero plurima Quid circa  
onei a potis-  
finum at-  
tendendum.  
peragere liceat, quæ tamen non semper  
conducunt, aut in quibus alia officia di-  
stent: regulæ decori; ideo Princeps  
quoque in exigendis subsidiis ante o-  
mnia rationem habere debet subditorum.  
Subditi enim non sunt propter Principem,  
sed Princeps propter subditos.  
Cavere itaque Princeps debet, ne plus  
exigat, quam utilitas atque necessitas rei-  
publ. deposcit, ne citra necessitatem sub-  
diti ad inopiam & incitas redigantur.  
Nam boni Pastoris est, tondere pecus,  
non deglubere.

Vid. Förstner ad Tacit. lib. 4. circa fin.

§. 10. Imperium eminens, uti dicitur, Quid Prin-  
ciplicium  
fit in casu  
Necessita-  
tis.  
extraordinarium est, quod in casu ne-  
cessitatis locum habet, ac Principi plus  
concedit, quam cessante illa necessitate  
ei facere licet. Sicut enim jam supra de-  
monstravimus, quod necessitas nullam  
agnoscat legem: ita nullum reliquum est  
dubium, Principi majorem etiam ratio-  
ne subditorum competere licentiam. Sic

N n 5

tem-

tempore veræ necessitatis Princeps subditis suis certa Bona adimere, vasa argentea &c. exigere potest. Quod si vero talis necessitas haud existit, aut alia media præveniendi vel avertendi eam præsto sint, omnino Princeps adimendo aliquid suis subditis regulas justitiæ violare videtur; cujus exemplum nobis præbet factum Achabi auferentis Nabotho vineam suam; quod recte ab aliis improbatum fuisse nullus dubito. a)

a) Vid. Rhodii Diss. de Processu regis Achabi contra Nabothum.

## CAPUT XII.

De

# Officio Principis circa Collegia.

§. 1.

*Collegii  
Definitio.*

**S**ub Collegio s. Universitate intelligimus Societatem plurimum personarum ad certum aliquem finem unitarum, estque ipsa media inter familiam ac societatem civilem.

*Huius finis  
qualis esse  
debeat.*

§. 2. Unio hæc ad unum eundemque finem est necessitatis & animâ quasi omnium Universitarum, ita, ut manente

illa unione subsistat Universitas, licet omnes ejus mutatae sint personae. Finis, qui intenditur, debet esse licitus. Sodalitia igitur latronum aliorumque ad perdendos alios unitorum, ne quidem merentur nomen alicujus Societatis, sed omni modo Juri Naturae repugnant.

§. 3. Ante introductas respubl. Collegia inire erat res merae facultatis atque liberi arbitrii, imo & ortis Rebuspubl. nequaquam facta fuerunt illicita, sed potius ad administrationem Reipubl. ipsa nonnulla Collegia requiruntur. Quia vero homines natura inclinant ad malum, & saepius contingere posset, ut ad evertendam Reipubl. pessimi homines consilia ineuntes se uniant certosque conventus instituunt, ideo exposcunt officia imperantis, ut praecaveat, ne damnum aliquod Reipubl. per Collegia inferatur.

*Collegia autem in Reipubl. sint toleranda?*

§. 4. Competit itaque Principi Jus *De Jure Principis* Collegia quaevis prohibendi; quatenus *Principis* vero collegium aliquod toleratur in re- *circa Collegia* publ. id solum dependet ab arbitrio Principis. Ex quo fluit, quod nullum Collegium pro licito haberi possit, nisi a Principe sit approbatum & confirmatum. Si igitur Princeps aliquod Collegium tolerat, habet hoc effectus civiles; approbatio-

tione autem Principis haud accedente, licet justum sit ac decorum, atque omni modo bonis moribus & principiis Christianismi congruat, non tamen nomen Collegii meretur, nec effectus civiles consequitur.

*De novorum Collegiorum Jure ac Privilegiis.*

§. 5. Fluit inde porro: quod Jus imperanti competat nova etiam Collegia constituendi, his leges præscribendi ac certa Privilegia concedendi, & quidem hæc omnia quatenus reipubl. utilitas postulat. Ita constituere potest Princeps Academias, Gymnasia, Scholas, Commercii inservientia Collegia, Scabinatum, præventuum, curandorum, Ictorum, Medicorum, Judicum &c.

*De Subditorum Officiis respectu Collegiorum.*

§. 6. Imo cogi possunt subditi, ut his a Principe constitutis & approbatis Collegiis se associant atque in omnibus Jussui Principis se conforment, omnesque suas doctrinas eo dirigant, ne quid doceatur, quod in præjudicium reipubl. vergat.

*Collegiorum Statuta quatenus valeant.*

§. 7. Et quamvis talibus Collegiis facultas concedatur Statuta condendi, secundum quæ omnia membra actiones suas instituere debeant; hæc tamen Statuta omnia eatenus saltem valent, quatenus a Principe sunt confirmata. Exinde quoque simul fluit, quod, si certi limites a Principe præscribantur, eos transgredi ne-



nemo queat. Ita potest determinare numerum Collegarum, statuere, ne extranei recipiantur. Imo nullum est dubium, quin Princeps etiam ipse Socius alicujus Collegii fieri possit. Eo enim ipso, quo socium proficitur, non ut Princeps, sed saltem ut Membrum, consideratur.

## CAP. XIII.

De

## Officio Principis circa Religionem &amp; Studia.

§. I.

Quamvis Religio ipsa primario circa *Religio ju-*  
 felicitatem hominum internam ver- *vat exter-*  
 tur; multum tamen etiam facit ad feli- *nam Reip.*  
 tatem reipubl. ipsam. Vera enim Reli- *quoque fe-*  
 gio prohibet, ne ullo modo lædamus rem- *licitatem.*  
 publ. sed potius ejus utilitatem promo-  
 vere jubet. Ealsa e contra religio turbat  
 pacem externam ac plurima principia ad  
 vertendam rempubl. suppeditat. Prin-  
 cipis itaque est, ut præcaveat, ne ejusmo-  
 di dogmata doceantur atque tradantur,  
 quibus subditi magis corrumpuntur,  
 quam emendantur. Ante omnia autem  
 Jus

Jus Principis circa sacra competens ab eo, quod officii est est, distingvi debet; nam præsertim in hac materia caute est procedendum & regula' communis hic locum habet: Quod multa facere licet i. e. quod multa ex regulis justi quidem Princeps facere possit, sed quod plurima non conducant.

*Ratio & Revelatio ducunt ad felicitatem.*

§. 2. Demonstravi jam supra felicitatem, ad quam homines nati sunt, esse vel alterius vitæ; & eam rursus vel internam, vel externam; Ad utramque adipiscendam a Deo nobis duplicem datam esse normam, rationem scilicet: & revelationem: illam nos ducere ad felicitatem hujus; hanc vero ad alterius vitæ felicitatem. Ad illam adipiscendam recta ratio nos jubet vivere secundum regulas justitiae, decori ac honesti: revelatio autem docet, quod adhuc alia, (quæ ratio etiam recta ignorat) ad illam æternam alterius vitæ salutem impetrandam sint necessaria.

*Cur Princeps ac Doctores nobis opus sit.*

§. 3. Quoniam vero homines naturæ non sunt sapientes, impedit hæc stultitia, quo minus vel illam agnoscant, vel media quærant perveniendi ad Sapientiam. Hinc indigent aliis hominibus, & quidem imprimis Doctore atque Principe. Ille pro scopo habet felicitatem tam alterius, quam hujus vitæ, & quidem quoad hanc præ-

præcipue saltem internam. Princeps autem, quatenus ut Princeps consideratur, solum de externa hujus vitæ felicitate est sollicitus, & imprimis cavet, ne illa turbetur. Quare quoque diversa horum duorum officiorum dantur media. Doctor persuadet, rationes suppeditat, adhortatur, consilia impertit &c. Princeps vero saltem cogit, Leges præscribit, pœnas dictitat ipsasque exequitur, haud autem ratiocinatur.

§. 4. Cum ergo pœnis ac legibus tantum Princeps suos subditos cogat, & haud ratiocinetur, patet porro, ætus saltem voluntatis, non intellectus imperio Principis esse subjectos. Nam intellectus nullas patitur pœnas nec earum est capax, ignorat leges, respuit coactionem, sed ratiocinio, persuasionibus, rationibus palpabilibus in viam debet reduci.

*Quenam Actiones Imperio Principis subjæta sint.*

§. 5. Religionem itaque quod concernit, facile liquet, eam ad officia Principis erga subditos haud spectare. Ea enim intendimus felicitatem alterius vitæ, atque intellectu percipere debemus id, quod ad ipsam consequendam est necessarium. Sicut vero unicuique competit facultas eligendi, quo modo quave professione sustentationem hujus vitæ sibi parere, suamque

*Cur Religio ipsa Principi non sit subjæta.*

amque hanc terrenam felicitatem promoveri queat; ita multo magis cuivis eadem quoque facultas eligendi media ad æternam felicitatem consequendam relicta esse debet; cum unusquisque de seipso rationes reddere teneatur.

*Cur vi externa felicitas vera non obtineatur.*

§. 6. Ipsa media eam adipiscendi consistunt in eo partim, ut virtutibus litemus affectusque, quantum permittit natura humana, suppressimus ac iis resistamus, partim ut sequamur id, quod quoad credenda & agenda S. Scriptura inculcat. Utrumque nec pœnis, nec coactione externa obtinetur: non pœnis, quia his nemo redditur sapiens; non coactione externa, propterea quod S. Scriptura omnibus data ac revelata sit ita, ut quilibet ex ipsa quid agendum quidve omittendum sit discere atque comprehendere possit.

*Ad Object. resp.*

§. 7. Objicias: officio tamen Principis esse opus ad reducendum eos in viam rectam, qui S. Scripturam pervertunt, aut perverse intelligunt. Sed respondeo: Deus nulli hominum injunxit officium perducendi alios vi externa ad vitam felicem futuri Seculi, sed hanc ob causam unicuique & rationem propriam, & revelationem dedit; neque præcise certam præscripsit viam, sed saltem iussit, ut omnes ad veram felicitatem quo-

quovis modo contendant. Quid igitur interest Principis, aut quale damnum reipubl. accrescit, si hanc si. aliam eligam viam, si. via regia si. per semitam eo perveniam? si. iter meum dirigam per Romam, si. per Saxoniam, si. per terram Genevensem, si. Papam, si. Lutherum, si. Calvinum, si. aliam quempiam pro auri-ga eligam, si. sine omni ductore ad Regnum coeleste tendam?

§. 8. Non etiam ad Religionem colendam societate aliqua civili, & per consequens nec Principe, opus est; cum in statu quoque naturali, imo etsi soli simus, ad Deum colendum interne simus obligati. Et licet etiam conjunctim homines in societate Deum colant, non tamen præcipit Jus Naturæ, ut eum in finem se conjungere debeant. Quid? quod omnibus obvium est, subditos religionem neque imperio subjecisse, neque subicere potuisse? Imo quamvis hoc etiam concederemus, hæc tamen subiectio non ad credenda, sed quæ intuitu cultus externi ut indifferentia haberi debent, posset referri.

§. 9. Cui accedit, quod religio si subiecta esset potestati Principis, a mero casu fortuito dependeret, quam unusquisque amplexurus sit religionem; cum ea esset.

*An Princeps circa Religionem disponere possit?*

*Absurdum dicitur esse dependentiam Religionis a Principe.*

esset orthodoxa, quam Princeps illius, in qua nati essemus terræ, profiteretur. Ratio igitur atque revelatio frustranea foret: haud enim mihi liceret inquirere, quænam sit vera vel falsa, sed illam modo sequi deberem, quæ in terra Principis esset recepta.

Vid. Gerard. Noodtii *Diff. de religione ab imperio jure gent: libera*, quæ in sermonem Gallic. a Barbeyraccio est traducta, Lockii *Epistola de tolerantia religionis*, Bayle *Tr. Gallic. Commentaire philosophique sur les mots contrains les entrer*, Grotius *de jure summarum Potestatum circa Sacra*, Pufend. *de habitu religionis ad rempubl. cum notis celeberr. Kreslii*, Ill. Thomasius in *Tract. de jure Principis Evangel. in controvers. Theolog. & in cautel. circa præcognita Jurisprud. Eccles. præcipue Cap. XVII.*

*De Crimine Persecutionis propter Religionem.*

§. 10. Lædit itaque Princeps regulas Justitiæ aliquem ad Religionem quandam amplectendam cogens, aut alios propter diversam a sua, quam profiteretur, persequens. Et certum est, nullum crimen majus reperiri illo persecutionis, a) sub quocunque etiam prætextu s. blasphemiæ, s. hæreseos, s. alterius alicujus ficti criminis id fiat. b)

a) Vid. Clerici *Bibl. select. Tom. X. p. 391.*

b) Vid. Ill. Thomasi not. ad Huber. *de Jur. Civ. L. 1. Sect. 5.*

*De Illicitis Bellis, inquisitione &c. ob Religionem.*

§. 11. Abhorret Jus Naturæ ab omnibus bellis contra alios Populos ob religionem, nisi Deus id specialiter jusserit: a-

ver-

versatur in iustitiam inquisitorum, a) ex-  
communicationem errantium, revocati-  
onem dissentientium per Synodos, Con-  
cilia aut Colloquia; imo & detestatur o-  
mnia Juramenta religionis.

b) Vid. Limborch. Historia Inquisitionis &  
Tract. Gall. sub titul. Relation de l'inquisition  
de Goa.

§. 12. Neque decisio controversiarum *De Juro*  
Theologicarum Principi, aut alicui al- *decidendi*  
teri competit. Nam hæ controversiæ *Controversi-*  
aut concernunt dogmata, aut saltem res *as Theolo-*  
indifferentes. Priori casu nullam ad- *gicas.*  
mittunt decisionem judiciale nisi con-  
trariantur saluti reipubl. qualia dogmata  
omnino Princeps prohibere potest. Po-  
steriori casu imperanti potestatem deci-  
dendi competere nullus dubito. Sunt e-  
nim Clerici intuitu Principis æque sub-  
diti atque alii, qui hinc Principis quo-  
que decisionem accipere tenentur,

§. 13. Neque jure gaudet Princeps pro- *De Religi-*  
pter diversa religionis dogmata subditos *onam Toler-*  
expellendi, fama ac Bonis suis pri- *rantia.*  
vandi. Nam diversitas opinionum haud  
efficit, ut quis desinat esse bonus Civis,  
sed potius quotidiana nos convincit ex-  
perientia, nil magis, quam religionum  
tolerantiam, prodesse reipubl. modo ta-  
men errantes ita se gerant, ut ipsi doce-  
ant

ant tolerantiam. Alias enim Princeps salvis regulis justitiæ jubere potest, eos bonis sub conditionibus emigrare, aut, si ita vivant, ut quietem reipubl. evidenter turbent, in super ipsos, ut turbatores, potest punire.

*Quoniam  
vitanda  
circa pe-  
nam er-  
rorum in  
Religione.*

§. 14. Cavendum autem, ne cum exilio & poena relegationis emigratio confundatur, ac ne ipsi errores pro turbatione quietis reipubl. habeantur. Sed licet quoque dixerimus, tales turbatores juste posse puniri; tamen haud approbamus consilium Philip. Melancthonis contra Anabaptist: quod: Ill. Thomasius der Historie der Weisheit und Thorheit inferuit.

*Quousque  
circa Cul-  
tum exter-  
num Prin-  
ceps dispo-  
nere possit.*

§. 15. Cultum externum quod attinet supra quidem ostendimus, eum neque in S. Scriptura, neque jure naturæ determinatum & præscriptum esse, ita, ut omnino dependeat ab uniuscujusque Populi ac Societatis arbitrio determinare, quo cultu Deum venerari velint: eatenus tamen circa eum Principi competit disponendi potestas, quatenus utilitas atque felicitas reipubl. id urget atque exposcit. Quia vero facile circa hoc jus Principi plus, quam par est, tribui, aut etiam derogari potest, ideo caute hic est procedendum.



§. 16. Pro fundamento autem poni debet, Jus hoc Principi circa sacra competens ex solo jure Naturæ esse deducendum, nullo respectu habito, an sit Princeps Christianus s. ethnicus. a) Nam sicut S. Scriptura nunquam rectæ rationi contradicit: ita multo minus circa hanc doctrinam ei repugnare videtur.

*Jus circa Cultum externum unde deducendum?*

a) Quem errorem committit Pufendorf, in Tract. de habitu religionis plus tribuens Principibus Christianis, quam Ethnicis.

§. 17. Abstinentum porro est a distinctione communi inter potestatem internam & externam; quæ difficultates intuitu juris circa Sacra non tollit, sed potius auget. Nam non solum sine hac distinctione tota hæc doctrina explicari potest, sed etiam quando quæritur: utrum hoc vel illud ad potestatem internam vel externam referri debeat, vix aliquid determinari potest, sed perpetuum inter dissentientes manet litigium.

*De inutili circa Cultum externum distinctione.*

Vid. Hl. Thomasi Diff. de Jur. Princip. circa adiaphora §. 2. & not. ad diff. Theolog. Lips. de jur. decid. contravers. Theolog. p. 66, sqq. & p. 85.

§. 18. Cavendum, ne Jus aliquod universale constituamus ex iis, quæ in statu reipubl. Israëliticæ locum invenerunt, neve onus probationis in nos suscipiamus. Nitimur enim hac regula: quod

*SS. Consensus quoad Jus Principis circa Sacra.*

Majestas omnia illa involvat, quæ non repugnant sanæ rationi. Cum ergo omnes communi ore confiteantur, Principi jus aliquod circa Sacra competere, omnino probare debent exceptionem in quam nimirum hoc jus sit restrictum. Ad quod vero probandum nullas alias admittere debemus rationes, quam ex sana ratione depromtas. Neque enim exempla aliquid probant sed tantum illustrant, neque dicta S. Scripturæ sufficiunt, sed potius hoc nobis sufficit, S. Scripturam rationi rectæ haud contradicere, nec circa hanc doctrinam aliquid addere, quod non jam in Jure Naturæ ipso sit dispositum.

*De Officio  
Principis  
circa Sacra  
1) in gene-  
re.*

§. 19. Hæc de Jure Principis circa Sacra; officium ejus jam quod concernit, nullum est dubium, præcipue secundum regulas decori, Principem eo operam dare debere, ut vera religio veraque pietas, (quæ non inspeculationibus Mysteriorum, sed in obedientia erga Deum consistat) in republ. floreat atque colatur.

*2) in specie  
quoad cere-  
monias.*

§. 20. Item accommodare se debet intuitu ceremoniarum ad captum stultorum. Nam multitudine earum superstitio crevit majoresque vires capit: defectus autem ipsarum scandalum præbet atheis hique inde facile occasionem captant, alios incautos in eandem stultitiam per-

pertrahendi. Vitandus igitur tam excessus, quam defectus ceremoniarum.

§. 21. Porro devitare omnia ea circa <sup>3) quam</sup> hoc jus debet, quibus quies ac vera salus <sup>vitanda.</sup> temporalis reipubl. turbatur. Deus enim nihil præcepit, quo observato salus reipubl. perire debeat. Omnia itaque consilia talem eventum producentia, licet videantur pia, tanquam pestem periculosissimam fugere debet.

§. 22. Ut vero rite suum observet officium Princeps, cum primis observandæ <sup>4) quænam</sup> sunt regulæ Prudentiæ generales. <sup>Prudentiæ</sup> Nam <sup>regulæ ob-</sup> paucae hic erunt speciales; quæ partim <sup>servandæ</sup> ad finem, partim ad media spectant.

\*) Vid. Ill. Thomasi Prudentia consultatoria.

§. 23. Circa finem cavendum Principi, <sup>1. Regula.</sup> ne aures præbeat prætextui promovendæ gloriæ divinæ, nec actiones aut ipse perpetret, aut aliis permittat, quibus regulæ justî decorique violantur ac omnis reipubl. evertitur salus. Docet enim experientia, docet Historia, Prudentiæ magistra, Clerum sub hoc prætextu gravissima commisisse delicta, Principes ad incitas redegisse atque summum imperium sibi arrogasse.

Vid. Mich. Vassor Tom. II. lib. 6. p. 54. Larreus in Histor. M. Britannicæ Tom. I. gen. fol. 380. & Layritz Pabst's Chron p. 601. sq.

2. *Regula.*

§. 24. Circa media præcipue tenendum, ne persequatur dissentientes, sed ut nullum remedium aptius ac reip. salutaris habeat, quam prohibitionem hæretificationum; quod facile erit obtenturus, si omnibus silentium imponat & amnestiam injungat.

3. *Regula.*

§. 25. Et sicut reipubl. maxime nocet, si major auctoritas majoresque opes, quam par est, concedantur Clero: ita tamen e contrario cavendum, ne ejus operum nimium diminuantur, alimenta ei subtrahantur ac ipsius auctoritas plane evilescat. Nam paupertas gignit contemptum, & sine auctoritate ne sapientissimus quidem aliquid emendat.

Vid. III. Thomæ Diff. de officio Principis Evangelici circa augenda Salaria & honores Ministrorum Ecclesiæ.

*Cur Principi  
competat  
Jus circa  
Scholas A-  
cademias  
&c.*

§. 26. Quod Principi quoque jus circa Scholas atque Academias competat, nemo in dubium vocare poterit. Sunt enim Seminaria reipubl. in quibus ea sunt perdiscenda, a quibus & reipubl. & ecclesiæ salus ac utilitas dependet. Solus igitur Princeps constituit Scholas atque Academias, hæque ipsius imperio ac potestati sunt subjectæ. Et ipsa edocet experientia, quantum reipubl. accrescat damnum, si Scholæ alterius cujusdam, quam Principis, agnoscant Jurisdictionem.

§. 27.

§. 27. Exigunt itaque regulæ decori, *De Principi-*  
 jubet reipubl. utilitas, ut Scholæ erigan-  
 tur. Sed præcavere simul debet Prin-  
 ceps, ne in iis talia doceantur, quæ rei-  
 publ. noxia vel periculosa. Quibus e-  
 nim semel in juventute sumus imbuti, ea  
 non solum raro immutantur, sed etiam  
 tam altos radices figunt, ut eadem sum-  
 ma cum acerbitate defendere, & in usum  
 deducere allaboremus.

Conf. Pufendorf. in der Einleitung zur Historie  
 cap. 12. vom Pabst, ibique notæ Ill. Thomasi,  
 & Melch. von Ofse Testament. tum observati-  
 onibus ejusdem DN. Thomasi.

## CAP. XIV.

De

# Officio Principis circa fœ- dera & Sponsiones.

§. 1.

**M**ultum ad felicitatem rerumpubl. *De Fœde-*  
 facere fœdera, apud omnes in con-  
 fesso esse videtur; hinc certum quoque  
 est, Jus fœdera sancienti ac ineundi sum-  
 mo competere imperanti, & partem sum-  
 mæ esse potestatis.

§ 2. Est autem fœdus nihil aliud, quam *Fœdus*

O o s

con- quid?

conventio inter diversas Respubl. certa  
cujusdam utilitatis causa inita.

*Præceptum  
generale  
circa Fœ-  
dera.*

§. 3. Non nova hic sunt expectanda  
præcepta; eadem enim, quibus pacta  
privatorum absolvuntur, etiam circa fœ-  
dera obtinent. Præceptum igitur regu-  
larum iusti & hic valet: Quod fœdera  
sint servanda.

*Quenam  
Fœdera  
non obli-  
gent.*

§. 4. Hinc pariter illa, quæ contra re-  
gulas iusti panguntur, nullam producant  
obligationem. Ita dolus ac metus ex  
iisdem, quæ supra posuimus, fundamen-  
tis, omnem validitatem atque efficaciam  
illis adimit.

*Ipforum  
Divisio.*

§. 5. Dividuntur Fœdera in talia, quæ  
ineuntur vel de iis præstandis, quæ etiam  
sine omni pacto Gentes sibi invicem ex  
regulis iusti debent v. g. de damno non  
inferendo, vel de iis, quæ ex folis re-  
gulis decori nobis alii debent. Priora  
pudenda vocat Pufendorf: a) contra  
quem ea propugnare contendunt Ob-  
recht b) & Kulpifius. c) Verum licet his  
plane non opus esse videatur, cum quo-  
que sine pacto hæc omnia omittere u-  
nusquisque teneatur, ea tamen Juri Na-  
turæ haud repugnant.

a) In Jur. N. & G. lib. 3. c. 9. §. 2.

b) In Diss. de Spons. Pac. c. 1.

c) In Colleg. Grotian. p. 94. lit. e.

§. 6. Posteriora sunt vel æqualia, vel *Eorundem*  
 inæqualia. Illa vocantur, quando ab u- *Subdivisio.*  
 traque parte non tantum æqualia promit-  
 tuntur, sed etiam neuter alteri exinde fit  
 obnoxius.

§. 7. Præcipue iniri possunt vel ad com- *Quot mo-*  
 mercia, vel ad communia in bello auxilia *dis in can-*  
 præstanda, vel aliarum rerum gratia. Cir- *tar.*  
 ca commercia iniri possunt variis modis,  
 puta ut vectigalia vel plane non, vel sal-  
 tem non ultra certum modum exigi  
 queant.

§. 8. Circa Societatem bellicam rursus *De Modis*  
 diversis modis possunt iniri, nempe vel *Foederum*  
 de auxiliis alteri præstandis, vel de bello *bellicorum.*  
 communi nominæ gerendo, item quoad  
 certa, vel quoad omnia bella &c. ratione  
 cujus oritur quæstio: Utrum tale foedus,  
 quo republ. ad omnia bella se obligat,  
 sit licitum? quam omnino affirmandam  
 esse putō: utrum enim socius justam ha-  
 beat belli causam, necne, alterius focii  
 non est inquirere, vel determinare, sed  
 hoc alterius Conscientiæ relinquitur.

§. 9. Foedera inæqualia sunt, quando *Foederum*  
 vel ad inæqualia sibi invicem præstanda *in equali-*  
 se obligant, vel altera pars deterioris est *um Definitio.*  
 conditionis.

Vid. Ill. Thomafius in Jurisprud. div. L. 3. c. 8. §.  
 19. 199.

§. 10.

*Alia Fœderum Di-  
visio.*

§. 10. Porro dividuntur Fœdera in realia & personalia. Illa sunt, quæ regni intuitu ineuntur ac perdurant, licet imperans sit mortuus: hæc vero, quæ solum imperantis personam respiciunt atque cum ipsius morte expirant. Movetur circa hanc divisionem quæstio: qualia inita esse præsumatur? Mihi videtur regulariter omnia fœdera præsumi debere realia, nisi alter aut ex natura negotii, aut ex verbis, personalia pacta inita fuisse, probare possit. Nam distinctio Grætii a) inter materiam favorabilem ac odiosam nullius est fundamenti. b)

a) In J. B. & P. L. 2. c. 16. §. 16.

b) Distinctionem enim inter favorabilia & odiosa jam supra rejecimus.

*An Christianis cum  
Turcis fœderum  
incedendum?*

§. 11. Potest vero secundum regulas iusti cum omnibus gentibus, quamcumque etiam circa religionem foveant sententiam, fœdus iniri. Quare citra omnem dubium salva justitia quoque cum Turcis Christianis fœdera pangi possunt. a) Nam diversitas religionis non mutat officia Juris naturalis, neque præter Jus Naturæ datur aliud aliquod jus universale, neque Christus novas promulgavit leges. Si itaque justa est belli causa, etiam contra alios Christianos injuste nos invadentes fœdus cum infidelibus inire licet, imo in fœde-

re



re tam offensivo, quam defensivo, recipi possunt. Secernendum igitur saltem in hac quaestione justum ab eo, quod con- ducit.

e) Vid. Grotius in J. B. & P. lib. 2. c. 15. § 8-12 ibique Henniges aliive Commentatores.

§. 12. Dixi modo; justam adesse debe- re belli causam; ita hac deficiente omni- no improbo ac injustitiae accuso assertum Grotii c. l. §. 12. quod Principes Christi- ani possint atque debeant commune fo- edus inire contra Turcam, tanquam com- munem nominis Christiani hostem. Nam eadem officia, quae debemus omnibus hominibus, etiam debemus Turcis aliis- que infidelibus.

*Cur absti-  
nendum a  
communis  
foedere  
contra Tur-  
cas.*

§. 13. Potest quoque aliquis non solum cum uno, sed & cum pluribus foedus ini- re, imo etiam diversis foederibus se con- jungere, modo tamen ita sint comparata, ut neutrum alteri aliquid praerjudicet, aut detrahat. Sed quaeritur: utrum prius, an posterius sit praerferendum? Grotius §. 13. c. l. putat: Posterius pactum arctius praerferendum esse priori. Sed ei cur adstipu- ler nullas video rationes. Nam licet po- steriori foedere aliquis arctius obligari possit, non tamen hoc potest efficere, ut jus prioris jam quaesitum evertat, atque in ejus tendat praerjudicium. Si igitur u- tri-

*Cum quibus  
ac quomodo  
foedera ini-  
cunda?*

trique id, quod promissum, præstari potest, uterque etiam id ex regulis justitiae exposcere potest. Alias prius foedus esse præferendum omnino videtur.

Conf. Pufend. in J. N. & G. L. §. c. 9. §. 5. Alb. Gentil. L. 3. c. 18. Grot. c. 1. Kestner in J. N. c. 8. §. 4. & Buddeus in diff. de contravenit: foederum.

*Quando  
Obligatio  
Foederis finiatur.*

§. 14. Finitur obligatio foederis, si pars altera pactis non stet, ita tamen, ut alteri facultas relicta sit, utrum plane recedere, an vero alterum ad implendum foedus cogere velit. Quod tempore præfinito etiam finiantur, ne quidem opus est admonere.

Conf. Ziegler. ad Grot. c. 1. §. 14.

*An Confoderatus separatum Pacem iniire queat?  
&c.*

§. 15. Verum quæritur: utrum a tali foedere possit recedi & separata pax cum hoste iniri, si socii se obligarunt, quod neuter sine altero ab armis desistere velit? Quod affirmavit Huberus. a) Putat enim, si utrique Pax honesta & tuta, plenaque satisfactio ab hoste offeratur, pactum prius non obstare. Sed sicut Huberus suas speciales habuit rationes, cur affirmative hanc quæstionem deciderit: ita in ejus castra non trans eo, sed omnino alterum sine altero salvis regulis justitiae proter conventionem expressam huncque in finem initam non posse pungere Pacem plane persuasus sum; & non al.

alter, sed ipse socius determinare debet, utrum honestæ ac tutæ oblatæ ab hoste fuerint conditiones.

a) De Jure Civit. L. 9. sect. 4. c. 3. §. 8.

§. 16. Idem sentiendum de altera quæ- *Alia quæ-*  
 stione: Utrum in causa belli injusta pro- *sio in cau-*  
 missa auxilia possint denegari? quod o- *sa belli in-*  
 mnino nego. Nam jus de causa belli ju- *justa.*  
 sta vel injusta cognoscendi socio non est relinquendum. Dependere enim alias ex ejus arbitrio, quousque ex tali fœdere velit esse obligatus, & nunquam deesset prætextus omnia fœdera eludendi.

§. 17. A Fœderibus differunt Sponsio- *Sponsiones*  
 nes, quæ sunt pacta a Ministris reipubl *quid?*  
 sine tamen Mandato, s. sine concessa po-  
 testate contrahendi inita.

§. 18. Ad hanc Sponsionem ratiha- *As Prin-*  
 bendam summus imperans ex regulis ju- *ceps obliga-*  
 sti plane non est obligatus, nec ad id, ut *tur ex*  
 rem in eum restituat statum, in quo ipse *Sponsione*  
 fuit, antequam pactum cum Sponsore i- *Ministri*  
 niretur. Imo ne ullam quidem depre-  
 hendo rationem, cur ad Sponsorem i-  
 psam alteri, cum quo contraxit, tra-  
 dendum, ex regulis justitiae possit obstringi.  
 Nam imputet alter sibi, quod cum tali  
 auctoritate publica destituito contra-  
 xerit.

§. 19.

*Ad quid  
Sponsor fit  
obligatus,  
vel non?*

§. 19. Sponsor ipse ex Jure Naturæ strictè dicto saltem tenetur ad omnem industria & curam adhibendam, ut rei publ. persvadeat, quo Sponsionem hanc rathabeat. Haud autem ei potest imputari, si id non præstet, quod ab alterius dependet arbitrio. Ut autem sine dolo agat, omnino necesse est. Cæterum non negandum, a Sponsore violari regulas Justitiæ, si ipsemet auctor esse velit, ne rei publ. Sponsionem a se factam approbet aut rathabeat.

Conf. Ill. Thomasi due Diff. Lips. altera de Sponsione Caudina, altera de Numantina, it. Wildvogelii Diff. de negligentia Ministri Principem non obligante, it. Strykii Diff. de Obligat. Princip. ex facto Ministri.

## CAP. XV.

De

### Officiis erga Legatos.

§. 1.

*De Fœderibus per Legatos.*

SÆpius evenit, ut fœdera per legatos sineantur: dispiciendum igitur erit, quid & circa hæc Jus Naturæ tam præcipiat, quam vetet.

§. 2. Est autem Legatus nihil aliud, quam

quam Mandatarius publicus, qui cum Mandatis publicis ab una republ. mittitur ad alteram.

§. 3. Legatus est aut talis, qui rempubl. repræsentat, aut qui eam non repræsentat. Prioris generis Legati sunt vel ordinarii, qui & residentes vocantur, vel extraordinarii, qui iterum sunt vel Ambassadeurs vel Envoyes: illi in specie appellantur Gesandten, hi Abgesandten. Ad posteriorem classem referri solent Agentes, Heroldi, tubicines & tympanotribæ.

*Eorum Divisio ac Subdivisio.*

Conf. P. Ambassadeur de Mr. Wicquefort & Presbevta de Jure Legationis Statuum Imperii.

§. 4. Is mittere potest Legatos, qui summam potestatem vel ei analogam habet. Quod tamen semper ad summam potestatem non respiciatur, docent exempla legatorum ab iis missorum, qui sæpius nulla summa gaudent potestate.

*Quisnam Legatos mittere possit*

Vid. Wicquefort. c. l. lib. 1. c. 2. & Presbevta c. 1. §. 45.

§. 5. Ad legitimandam suam personam & ad transitum impetrandum intuitu illorum, per quorum Territoria transeunt, opus habent & Mandato, s. literis credentialibus, uti vocantur, & literis liberi commeatus. Illis hanc ob causam opus est, quia alias quis nec pro legato agnoscere, nec ad mandata exponenda admitti

*Quanam re indigeant ad legitimandam personam suam.*

P P

po-

potest. Hæ sunt necessariæ ad securitatem suæ personæ, comitatus ac bonorum. Primario autem has exigere solent, si alicujus actionis causa diversarum rerum publ. legati certo loco conveniant.

*Quenam  
perro iis  
commit-  
tantur.*

§. 6. Præter prius illud Mandatum ad huc aliud privatum, & quod Instructionem vocant, a domino accipiunt pro regula agendorum; de quo jam supra egimus Cap. de pactis. Aliquando & ad hoc procuratorio opus habent ad negotii conficiendi firmitatem; Gallice hoc pouvoir vocare solent: cujus usum in eo situm esse putant, cum Legatis negotium aliquod speciale mandatur, quod pro paciscentium securitate adhuc ampliorum desiderat auctoritatem, aut quando literæ fiduciaræ magis commendationem legati, quam Mandatum, involvunt.

Conf. Presbeuta c. 1, §. 46-54. ac Wiequefortc l. cap. 16.

*Duplicia  
erga Lega-  
tos Officia.*

§. 7. Officia ipsa erga Legatos quod concernit, ea consistunt in admissione & inviolabilitate.

*Legatus  
quatenus  
admitta-  
tur, vel  
non.*

§. 8. Quoad admissionem oritur questio: utrum quis ad illam concedendam ex regulis justis sit obligatus? quod omnino negamus: namque ejus admissio non nisi ad officia humanitatis potest referri.

*Res*

Res enim agitur inter liberas gentes, quarum neutra alteram potest obligare. Neque opus est, ut justam allegem causam, quam alii exigere solent: nam sufficit alteri nullum jus competere, causæque cognitio non ei, sed mihi est relinquenda. Inde fluit, quod ejus recusatio minime inter causas belli justas possit referri. Imo & porro sequitur, etiam alterius, ad quem mittitur, arbitrio relictum, quam personam nomine Legati admittere velit.

Vid. Presbevta c. 1. §. 75-77.

§. 9. Inviolabilitas Legatorum in eo *Quatenus* consistit, ut ab omni læsione sint securi. *inviolabilitas debeat.* Hæc enim securitas debetur omnibus hominibus; ergo multo magis Legatis. Comprehendimus autem sub læsione quamcunque injuriam, s. fiat verbis, s. literis, s. factis. Imo hæc securitas non solum respicit personam legati, sed etiam ejus Comitatum atque literarum commercium; ita, ut omnis literarum retentio aut interceptio sit prohibita, nisi adsit præsumtio, literas ad tales personas esse directas, a quibus seditiones & alia reipubl. damna sint metuenda.

Conf. B. Jac. Thomassii Diss. de inviolabilitate Legatorum. *Quid Princeps legatis*

§. 10. Si Princeps diversarum rerump. *præstare* Legatos apud se habeat, his quoque a se *vel prohibere* *in-re possit.*

invicem debet præstare securitatem, ne alteri ab altero hostilia sint metuenda. Potest igitur legatis omni vi & hostilitate interdicerè, & postquam contravenierint, omnino jure gaudet eos pro Legatis admissis non amplius agnoscendi.

*Quid porro  
inviolabili-  
tas Legati-  
rum invol-  
vat.*

§. 11. Spectat quoque ad Legatorum securitatem, ut libertate frui debeant exponendi Domini sui Mandata, licet sermo alteri, cum quo agit, parum sit gratus, modo a convitiis ac verbis laceffentibus abstineant: alias perdunt caracterem Legati. Exigunt tamen regulæ decori, ut, si quid ferventius dixerint causæ studio, Princeps illud ignoscat.

*An foro pe-  
grino sint  
exempti?*

§. 12. Tertio referunt ad Legatorum securitatem, ut immunes sint a foro loci, in quo munus hoc exercent. Est vero forum duplex vel civile, vel criminale. Ad forum civile referunt, quod ex quocunque contractu Legatus debet. Si igitur v. g. Legatus æs alienum contraxisset, forum in loco contractus non sortiri, neque in jus vocari posset. Verum Legato alicui id concedere, ex regulis justi Princeps nullo modo tenetur. Nam valde incommodum foret alicui Civitati æs alienum a Legato non exigere, aut respectu aliorum contractuum eum convenire haud posse; & in gravissima damna hoc modo con-



conjicerentur subditi. Omnino itaque illius Bona pignori capere, atque aliis mediis illum ad adimplendum contractum cogere possunt. Si vero Princeps loci, ubi munus agit, ex reverentia erga Principem Legati hoc facere intermittit, ex officio humanitatis id fieri sane affirmandum esse arbitror.

Vid. Presbyteri e. l. §. 94. sqq.

§. 13. Quoad crimina Legatorum ad huc gravior existit quæstio. Nam multi sunt, qui negant Legatum ullo modo propter quodcunque delictum a se commissum puniri, aut carceri tradi posse, sed remittendum esse ad suum Principem, ut is pœnam de eo sumat. Verum hæc sententia nullam pro se habet rationem in regulis justæ fundatam, adeo, ut asserere sustineam, Principem potius secundum regulas justæ obligatum esse ad nullum delictum a Legato commissum impune relinquendum.

§. 14. Quia vero Princeps secundum regulas decori laudabiliter facit, si interdum suis renunciet juribus; ea propter fundamento haud carere autumo distinctionem illam inter delicta adversus privatos perpetrata, & inter ea, quæ Principis personam vel rem publ. ipsam tangunt. Quis enim affirmaret, Principem

*An ob nullum crimen legatus puniendus?*

*Hujus ipsius Quæstio: uberior Discussio.*

strictum esse ad hostem, perturbatorem latronem &c. in sinu suo fovendum, a quo neque ipse, neque resp. aliquam sibi promittere potest securitatem? Et quamvis dicas, vindictam a Domino esse expetendam, evidens tamen etiam est, sæpius talia commissa ad fidem ac merita legati referri, nova gratia compensari, licet palam improbentur. Objiciunt quidem: Legatum sui Principis repræsentare Personam, quæ sacra atque inviolabilis, neque LL. severitati subiecta sit. Enimvero hoc concessio omnia tamen hæc jura cessant, si quis ut insidiator, ut hostis, segerit. Nam ex hoc tempore eum considero tanquam hostem, quem ubique persequi possum.

Vid Presbevta § 96-107. Ill. Thomafius in Jurisprud. div. L. 3. c. 9. Anonymi Beweis, daß es nicht wieder das Völkler-Recht sey bey gewissem Umständen einen Gesandten zu arrestiren An. 1717. it. Kemmerichs Grund-Casse des Völkler-Rechts von der Unverletzlichkeit der Gesandten / Cocceji Diss. de Legato sancto, non impuni &c. Callier de la maniere de negocier avec les Souverains Chap. 9. p. 104. sqq.

*Legatorum  
domestici  
quousque  
sunt inviolabiles.*

§. 15. Eadem securitate, quæ Legato debetur, etiam gaudent ejus domestici, ita, ut ab omni injuria ac insultibus tuti esse debeant. Sed quæritur saltem hic: quodsi legati comites & domestici ipsi delicta com-

committant, ad quem nam facti cognitio atque jus sumendi supplicii pertineat? Si exemplis res decidenda esset, non desunt exempla, ubi legatis hoc jus fuit concessum. Cum vero exempla tantum illustrent, rursus ex sanæ rationis dictamine patet, quod secundum regulas justitiæ tale jus nulli competat; legato. Jus enim delinquentes puniendi ad Jura Majestatica pertinet, quod hinc soli Principi est proprium. Si itaque summa potestas aliquid indulget hocque jure legatum frui finit, rursus id solum humanitatis officium est censendum.

Vid. Presbevta c. 1. §. 108. sqq.

§. 16. Ad securitatem Legatorum ædes *Ædes Cur-* ejus ac currus referri posse non dubito, *rusque* eatenus scil. ut a vi & insultibus libera *Legati* sint; quatenus vero pro asylo venditan- *quatenus* tur, quo miseris, infortunatis atque de- *sint invio-* linquentibus confugere liceat, securita- *labiles.* tem, contra Magistratus persecutionem ibi reperturis, nullo modo jus hoc legato competere persuasus sum. Quis enim ad securitatem, vel muneris honorisve interesse referre vellet, ut delinquentes in suis ædibus &c. perfugium atque præsidium inveuiant? Quis a Principe exigere posset, ut speluncas latronum, cubilia proditorum, latibula male-

ficorum in sua Civitate toleret? Certe hoc modo plura delicta abirent manerentque impunia, ac frustra Princeps intenderet securos reddere suos subditos. Indulgentia igitur Principis hoc quoque in casu spectat ad officia humanitatis.

Vid. Presbeya c. 1. §. III. Ill. Thomasi Diss. Lips. de jure Asyli Legatorum ædibus competente, & Tom. II. Observat. Hall. obs. 17.

*Quid censendum de Privilegiis Currus Legatorum.*

§. 17. Currui Legatorum duplex adscribunt privilegium: unum videlicet, ut omnia ejus bona nullum vestigal solvant, alterum, ut asylum quoque præbeat. eo fugientibus; esse enim partem ædium. Sed utrumque a Principis, ubi legatus degit, arbitrio dependere atque officium humanitatis esse, ex jam dictis satis superque liquet.

Vid. Presbeya c. 1. §. 112.

*De ipsorum Privilegio Religionis.*

§. 18. Plura adhuc dantur Privilegia, quibus legati frui possunt, quæ magno catalogo recenset c. 1. Wicquefort alique: inter quæ præcipue referunt Privilegium Religionis domi exercendæ, nempe si religio, quam legatus proficitur, in illa Terra plane sit prohibita. Verum & hoc jus ex capite Justitiæ ei haud debetur, sed dependet id omne a sola Principis, ubi munus gerit, dispositione. Quare hoc jure ei concessio Princeps prohibere potest, ne alios ad ipsius usum ad-

admittat, nec religionem extra suas ædes proferat.

§. 19. Porro iis accensent Jurisdictionem in suos comites ac domesticos, ita ut legato jus competat hos torturæ subijciendi, imo & pœnis capitalibus ple-  
An aliquo gaudeant Privilegio Jurisdictionis &c.  
 etendi. Sed hoc quoque jus ei ex regulis justitiae denegandum esse omnino existimo. Nam Jurisdictio est jus Majestaticum adeoque tale, quod sine expressa concessione Principis nemo gaudet, nisi ipsa summa potestas. Quare exempla in contrarium prolata ostendunt saltem, quid Principes ex regulis humanitatis fecerint, non autem quid secundum regulas Justitiæ facere potuissent.

§. 20. Circa honores atque titulos, quibus fruuntur Legati, non opus est aliquid admonere; cum res hæc omnis a solis moribus dependeat.

## CAP. XVI.

De

# Officiis circa Bellum & Pacem.

§. 1.

**E**Xigit quidem Jus Naturæ, tam late quam stricte sic dictum, ut non so-  
Quanam sit causa omnium bellorum?  
 lum

Pp 5

lum singuli homines, sed universæ etiam gentes pacifice i. e. secundum regulas justî vivant ac communem invicem promoveant utilitatem : Cum vero homines spernant & conculcent quasi id, quod ipsis conducit atque expedit, magisque ad lædendum, quam ad adjuvandum inclinent, inde contingit, ut infinitæ tam inter privatos, quam inter gentes oboriantur controversiæ, quæ sæpius non nisi armis decidi possunt. Quamvis vero hoc de Jure Naturæ stricte sic dicto licitum sit, jubent tamen regulæ decori, ut, antequam gentes in difficillima erumpant bella, omnem adhibeant operam, quæ ratione transigi ac controversia componi queat. Non abludet igitur a scopo nostro, si antea jam commonstremus, quæ ratione hoc inter gentes fieri possit.

*De mediis  
ineptis bel-  
la ac con-  
troverfias  
tollendi.*

§. 2. Vivunt gentes in Statu naturali, in quo præter Deum nullum agnoscunt superiorem, nullam Jurisdictionem, nullumque forum, ut hinc impossibile sit, Judicio ac Processu earum controversias decidi. Haud tamen illorum sententia applausum mereri & usum præstare posse videtur, qui sibi aliisve persuadent, nullum remedium aptius atque prudentius suppeditari posse omnibus litibus inter gentes præveniendi ipsasque sopiendi,  
quam

quam universalem erigendo Monarchiam, a) Suffragarer huic sententiæ, si omnes gentes ejusdem essent naturæ, uti auctor Historiæ Sevarambes suum fingit Populum; hoc itaque falsum suppositum merito refertur ad rempubl. Platonis. Ineptum quoque censeo Grotii consilium, b) quod Tribunal aliquod universale inter Principes Christianos constituti debeat. Ejusmodi enim consilia non nisi humanæ naturæ plane ignarus sibi formare potest.

a) Vid. Excell. Gundling. Diff. de Statu naturali in fin.

b) de J. B. & P. lib. 2. c. 23. §. 6. Conf. quoque Purfend: de J. N. & G. L. V. c. 13. §. 2.

§. 3. In promptu etiam sunt exempla, *De aliis equo-  
quod Principes ad dualla provocaverint; jusmodi in-  
imo exempla non desunt, quibus gentes eptis remo-  
ad bellum evitandum congressibus singu- diis.*  
lorum exitum causæ reliquerunt. Sed  
quamvis utrumque injustum haud dici  
queat, non tamen permittit salus reipubl.  
ut Princeps suam Personam periculo sub-  
jiciat: neque posterius istud hodie est  
receptum.

Vid. Mülleri Diff. de Duellis Principum.

§. 4. Omnium optimum igitur hoc re- *Meliora  
medium superesse videtur, ut aut arbitri remedia  
constituantur, a) aut ut res forti commit-  
tatur, b) Utrumque & licitum & semper  
inter  
quanam?*

inter gentes receptum fuisse infinita gentium testantur exempla.

a) Vid. Kulpis in Colleg. Grot. p. 131. & de officio ejusmodi arbitratorum Pufend. L. V. c. 13. §. 4.

b) Vid. Kulpis c. l. p. 132. Grot. de J. B. & P. lib. 3. c. 20. §. 1. & Pufend. ibid. §. 2.

*De alio quodam medio licito.*

§. 5. Possunt etiam summæ potestates, si bellum suscipere nolunt, jure repressaliorum uti; quod licitum atque justum esse videtur: nam eodem, quo ipsum bellum, nititur id fundamento, & omne id, quod summa jubet potestas, omnes ac singulos Cives agere decet. Ut vero innocentes jure repressaliorum interficiantur, non quidem injustum, attamen omnino repugnat regulis decori.

Vid. Kulpis c. l. p. 143. Grot. c. l. L. 3. c. 2. ibique Zieglerus. qui & vid. de Juribus Majest. L. 1. c. 24.

*Belli Desinitio.*

§. 6. Si amice lites componi dirimique nequeant, devenitur ad arma. Est itaque Bellum justa publicorum armorum contentio, s. juxta Grotium a) status per vim certantium, qua tales sunt.

a) Vid. Grotius c. l. L. 1. c. 1. §. 2. & Kulpis cit. loc. p. 14. lit. d.

§. 7. Quod bellum in statu naturali licitum atque justum sit, si aliter neque securitas neque satisfactio ab altero expectari ac salus reipubl. conservari queat, supervacaneum foret disquirere: nam  
jam



jam dudum illius justitiam vindicavit Grotius. a) Nihil obstant dicta S. Scripturæ; cum hæc nunquam dictamini rectæ rationis contradicant. Nec sententiæ Patrum obstant. Nam intuitu quæstionis de bellorum licentia Patres omnes adstruxerunt belli etiam offensivi licentiam, postquam Impp. facti fuerant Christiani, cum antea belli saltem defensivi licentiam defendissent. a)

a) De J. B. & P. lib. I. c. 2. & Kulpis c. I. p. 19.

b) Vid. Clerici Bibliotheq. universal. Tom. 10. p. 18. sq.

§. 8. Licitum autem ut pronunciari *Causa belli* possit bellum, justa debet adesse causa: *justa quæ-* quænam vero talis sit, valde quidam con- *nam?* trovertunt; sed patet eam ad duo capita posse reduci, ad defensionem scil. & recuperationem quietis injuste turbatæ. a)

Quod enim arma armis opponere & reparationem damni dati quocunque modo quærere liceat, extra dubium positum est; nihilque interest, utrum ego ipse, an vero is, cui foedere obstringor, læsus sim.

a) Punitionem enim, quam adjicit Grotius, jam supra rejecimus.

§. 9. Hinc porro quæritur: Utrum al- *Alterius* terius gentis potentia sola sit justa belli *Potentia* causa? quod nonnulli affirmant, a) alii *non est suffi-* negant. Pro justa belli causa secundum *ciens belli* regulas justæ illam habendam, nude affir- *causa.*

ma-

mari non potest. Docet quidem natura humana, docet experientia, valde potentem sæpissime deprimere inferiores, imo & ambitiosum nil magis quærere, quam limitum Imperii sui extensionem: Ut tamen ictum expectem, occasionem alteri resistendi, svadet potius dictamen rectæ rationis.

\*) Conf. Excell. Gundling in Iure Naturæ c. 8. §. 12. & in Gundlingianis P. V. p. 381. sqq. Vid: etiam Hertius ad Pufend. J.N. & G. lib. 2. c. 5. §. 6.

*Bellum ju-  
stum vel in-  
justum  
quodnam?*

§. 10. Ex hæcenus dictis variæ nascuntur bellorum divisiones. Ita bellum est vel justum, vel injustum. Vocatur autem bellum duplici modo justum, nempe vel intuitu gerentis. Hoc casu illud bellum dicitur justum, quod ab eo, qui Majestate gaudet, geritur; illud vero injustum, quod a latronibus aliisque jure belli gerendi destitutis suscipitur.

Vid: Grotius de J. B. & P. L. 3. c. 3. §. 1. sqq. ibique Ziegler & Henniges.

*De Bello  
defensivo  
& offensi-  
vo.*

§. 11. 2) Vel defensivum, vel offensivum. Illud est, quo vim vi, arma armis repello: hoc, quo damni ab altero mihi illati reparationem quæro. Utrumque igitur & licitum, & justum esse facile patet. Controversiam autem hæc de re ab aliis motam, de qua etiam in Imperio Rom. German. jam per aliquod secula acerrime disputatum fuit tandem ad λογμαχίαν redire sane sum persuasus.

Con:

# OFFICIIS CIRCA BELLUM & PAC. 607

Confer. Observat. Hall. Tom. 3. obs. 8. & Tom. 6. Obs. ult. item Ill. Thomasi Jurisprud. div. L. 2. c. 2. §. 95. sqq.

§. 12. 3. Bellum est vel solenne, vel mi- *Alia Divi-*  
nus solenne. Illud est, quando indictio *sive Belli.*  
s. denunciatio præcedit, eum in finem,  
ut non solum constet, utriusque impe-  
rantis consensu geri bellum, sed ut alter  
etiam deliberare possit, utrum satisfacere,  
aut ad arma se præparare velit: hoc  
vero vocant, ubi illa indictio est omissa.

§. 13. Quæritur jam: An hæc indictio *Belli indi-*  
de Jure Naturæ sit necessitatis? Mihi hic *ctio quate-*  
quoque videtur discernendum esse Jus *nus requi-*  
Naturæ latum a stricte sic dicto. Equum *ratur Jure*  
utique s. laudabile ac regulis decori con- *Nat.*  
veniens est, indictione præcedere. Jus  
Naturæ stricte sic dictum illam indictionem  
plane ignorat, neque adeo hujus om-  
missio injustum efficit bellum, neque pe-  
culiaries ex bello solenni oriuntur effe-  
ctus, uti quidem putat Grotius. \*) Idem  
quoque dicendum de bellis manifestis,  
quæ hodie loco indictionis adhibentur,  
atque in quibus justitia causæ exponi so-  
let.

\*) In J. B. & P. L. 3. c. 3. §. 6. & 10-12. cap. 4. §. 1.  
& 3. Ei respondit Ill. Thomasius ad Huber. de  
Jur. civitat. L. 3. Sect. 4. cap. 4. n. 27. lit. & Pu-  
fend. in J. N. & G. lib. 8. Cap. 6. §. 9.

§. 14. Si bellum adit justum, secundum *Quid hosti-*  
re. *in hostem*  
*liceat.*

regulas iusti hosti in hostem aggredi omnia licet; regularum tamen decori, ut jam supra uberius declaravimus, simulatio est habenda. Quod igitur interfici possit hostis & in captivitatem abduci, extra dubium est positum ita, ut nulla iusti violatio allegari queat, licet se sponte dedere velit, licet sit inimicus, licet eo in statu inveniatur, ut amplius resistere nequeat, tamen interficiatur. Regulæ autem decori hisce in casibus aliud utique exposcunt.

*De Armis  
licitis vel  
illicitis.*

§. 15. Quibus vero armis uti liceat, non sine dissensu inquirunt Dd. a) Verum secundum regulas iusti expeditum esse videtur, omnia arma esse licita. Nam jus habeo quocumque modo & quibuscunque mediis hosti meo resistendi. Nova itaque ac plane inusitata invenire possum: licet mihi uti veneno, armis veneno infectis, aquarum corruptione, belluis, percussoribus, aut scorta lue venera laborantia, vel alio morbo pestifero affectos in castra ejus immittere. Nam, sicut jam monui, hosti in hostem omnia moliri licet. Sed secundum regulas decori dubio procul æquius atque honestius est, a talibus abstinere. Quod enim vis, ut alii tibi non faciant, nec tu illis facias; & generositas etiam in hoste laudatur:

tur: non vero est generosi hominis talibus uti mediis, quibus alteri nulla facultas resistendi competit.

a) Ex instituto hanc materiam illustrarunt Zentgrav de armis in bello prohibitis, & Coccejus de armis illicitis. Conf. etiam Schwarzii Spec. II. Controvers. Jur. nat. ex Histor. Græc. illustr. it. Grot. L. 3. de J. B. & P. c. 4. Kulpis in Colleg. Grot. p. 155. §. 7.

§. 16. Inter effectus belli refertur acquisitio: nam non solum jus in personam hostis, sed & in omnia ejus bona acquirimus. Quod captivus in servitutum redigi queat, plane non repugnat regulis justis. Quem enim interficere licet, eum multo magis in servitutum trahere possum. Inde mero alterius arbitrio relictum est, utrum lytrum oblatum acceptare, & captivos dimittere, aut permutare velit. Imo & quantitatem lytri determinare, ac quascunque conditiones adjicere potest.

§. 17. Præstare autem lytron debet is, cujus auspiciis bellum geritur, atque si nullum pactum inter belligerantes adsit, pro omnibus debet solvi nullo respectu habito ætatis vel sexus, ita, ut fæminæ, infantes, Cleri alique id solvere teneantur.

Vid. Hertii Diss. de lytro, & Grotius L. 3. de J. B. & P. c. 7.

Q 9

§. 18.

*De Acquisi-  
tione re-  
rum hostis.*

§. 18. Eodem modo se habet circa res hostium. Has enim alter sibi acquirit, easque perdere, vendere, auferre &c. potest; Nihilque interest, si sint res mobiles, si immobiles, si publicæ, si privatarum, si sacræ, sanctæ & religiosæ, ita, ut & has in alios plane, imo profanos usus convertere queat. Necessè tamen est, ut secundum regulas decori corruptioni rerum limites ponat, easque haud perdat, quæ sibi nil profunt, neque instrumenta belli præbent hosti, neque victoriæ facilioris spem afferunt.

Vid. Grotius de J. B. & P. L. 3. c. 5. & 12. ibique Ziegler. Kulpis in Colleg. Grot. p. 158. & Seldenus de Jur. Nat. &c. L. 6. c. 1. §. 5.

*He res  
quando ac-  
quirantur?*

§. 19. Acquiruntur vero res, quamprimum ac in potestatem hostis pervenerunt. Illud igitur, quod leges civiles disponunt, scilicet res in castra debere esse abductas, aut per 24. horas possessas, ignorat Jus Naturæ, neque rationem naturalem habet. Nam licet res in castra jam sint deductæ, alteri tamen, cui ereptæ sunt, semper jus manet, eas oblata occasione rursus auferendi.

Dissentiunt Grot. L. 3. de J. B. & P. c. 6. §. 3. Kulpis in Colleg. Grot. p. 163. & Beyer in Position. Jur. nat. c. 37. p. 50. 199.

*Cuinam res  
hostium ac-  
quirantur.*

§. 20. Quod nemini, nisi summæ potestati, cujus scilicet nomine bellum geritur,

## OFFICIIS CIRCA BELLUM & PAC. 611

tur, aliquid acquiratur, non licet dubitare. Omnes itaque personæ atque res ei acquiruntur. Si vero militibus prædam distribuit, ac facultatem armis quaesita sibi retinendi concedit, recte quidem & prudenter facit, attamen ex regulis saltem humanitatis id agit, ita, ut iustitia eum non obliget.

§. 21. Solent sibi interdum hostes ipsi *De Pactis*  
medio in bello mutuis pactis prospice- *hostium in*  
re, ne scil. nocendi jure unusquisque u- *ipso bello i-*  
tatur in infinitum. Tales itaque conven- *nitis.*  
tiones si adsint, omnino etiam erga ho-  
stem illæ sunt servandæ. Id enim, quod  
antea licuit, jam per pactum sublatum  
est; namque præceptum regularum justii,  
quod pacta sint servanda, universale est.  
Quare nullum est dubium, quin & erga  
hostem fidem datam frangens violet re-  
gulas justitiæ.

§. 22. Hæc Pacta dividuntur in publi- *Horum Pa-*  
ca & privata. Illa sunt, quæ vel a sum- *Horum Di-*  
ma potestate, vel ab alio ejus nomine *viso.*  
ineuntur; & sunt vel generalia vel spe-  
cialia. De quibus autem rebus ineantur,  
vix licet determinare. Nam varia  
hominum negotia varias quoque pari-  
unt conditiones. Interim huc referri  
possunt Pactum de lytro, de armis &c.  
Privata sunt, quæ a singulis militum in-

euntur, & saltem obligant paciscentes; ita tamen esse debent comparata, ut non tendant in præjudicium Principis: alias enim sunt invalida atque contra justitiæ regulas peccant.

Vid. Grot. de J. B. & P. L. 3. c. 20.

*In Obsides  
quid liceat  
hosti*

§. 23. Solent etiam interdum in majorem securitatem pignora dari, & obsides constitui; ratione quorum exigit Jus Naturæ strictè dictum, ut statim restituantur, postquam pacto satisfactum idque præstitum fuerit, in cujus finem pignora ac obsides accefferant. Cur vero jus retinendi alias etiam ob causas denegari debeat, nullam video rationem: imo & illis assentior, qui statuunt: quod obsides quoque salvis justis regulis interfici queant, si fracta fuerit fides, s. hoc factum sit obsidis culpa, s. non.

Confer. Schilteri Diss. de Obsidibus, Pregizer de Obsidib. bell. & Pac. it. Kulpis in Colleg. Grot. P. 192.

*Ad munus  
Obsidis  
Princeps  
subditus  
potest cogere.*

§. 24. Obligat etiam salus reipubl. subditos ad munus Obsidis in se suscipiendum, ita, ut & summæ Potestati competat facultas cogendi invitos; fugere tamen hos licite posse haud dubito, nisi specialis conventio ipsis obstet.

Vid. Kulpis c. 1. p. 192.

*Pactum  
cum hoste  
quatenus  
dissolvatur.*

§. 25. Si alter conventionem haud stet atque pacto non satisfaciatur non solum & ego



**OFFICIIS CIRCA BELLUM & PAC. 613**

ego ab eo solutus sum, sed & specialem adhuc causam habeo, de ejus perfidia conquerendi. Si vero cum perfido hoste contraxerim ac de ejus perfidia transegerim, hoc quoque pactum servare teneor.

Vid. Grotius de J. B. & P. L. 3. c. 19. n. 12.

§. 26. Dantur etiam personæ intermedix i. e. quæ bello se non immiscent, neutrique parti addictæ sunt, & vocantur *De Neutralium Officiis erga belligerantes.* neutrales. Hanc neutralitatem quisque eligere potest, ut alicui parti se addicat atque pro ea se declaret. Hi si nomen neutralium retinere cupiant, ante omnia cavere debent, ne uni parti aliquid concedant, quod alteri denegant, ne ei assistant, instrumenta belli præbeant, transitum concedant; sed si uni talia præstiterint, & alteri similia exigenti ea præstare debent: alias turbant neutralitatem & pro hostibus possunt haberi.

§. 27. Sicut autem tales nulli parti addicti vivunt, ita exigunt quoque regulæ *De belligerantium Officiis erga Neutrales.* justæ, ne ab aliis bellum inter se gerentibus ullo modo lædantur, vel injuria afficiantur. Multo igitur minus sedes belli in neutralis terram transferri, nec castra ejus, aut alia loca munita occupari debent; quod tamen salvis Justitiæ regulis in casu necessitatis exigi potest, si scilicet mihi sit metuendum, ne hostis meus illa occupet,

Qq 3

mi-

mihique exinde bellum multo evadat periculofius.

Vid. Franckenstein In Diff. de neutralitate, Cocceji diff. de Jur. bell. in amicos, Kulpis p. 183. & Henniges ad Grot. L. 2 c. 2. §. 10.

*De Juri-  
bus Victoris.*

§. 28. Dantur in bello victi, dantur vi-  
ctores. Hinc non immerito inquiren-  
dum: quænam Jura victori competant?  
Jus Naturæ ftrictè dictum hic nullos po-  
nit limites, fed jus concedit in infinitum,  
ita, ut omnia facere queat cum victo e-  
jusque rebus. Perfequi itaque eum po-  
teft, & quamvis pacta offerat, satisfactio-  
nem præftare promittat, tamen in victo-  
ris arbitrio eft pofitum, utrum hæc acci-  
pere, aut vindictam fuam in infinitum ex-  
tendere velit. Regulæ tamen decori ju-  
bent, ut humanitatis quoque habeatur ra-  
tio, ita, ut, fi cautionem victus offerat fuf-  
ficientem, damnum alteri, datum restitu-  
ere intendat, omniaque ea, quæ victor ad  
fui fecuritatem exigere poteft, præftare  
ac de non amplius offendendo cavere pa-  
ratus fit, tunc victor a vindicta defiftere  
debeat. Utrum vero ex victoria dijudi-  
cari poffit, quis juftam belli caufam ha-  
buerit, & an nunquam is, qui potio-  
rem habet caufam, succumbere poffit, nifi pro-  
propria fua culpa, a) altioris indaginis  
effe videtur.

a) Hoc

\*) Hoc affirmat Coccejus: vid. ejus Diff. de justo Præliorum exitu, & altera de jur. victor. divers. a jur. bell. Grotius L. 3. de J. B. & P. c. 10: & Dn. Ludovici Diff. de limitib. defension. in bell. defenf.

§. 29. Bellum geritur, aut certe geri debet propter pacem, hacque omne bellum finitur: unusquisque inde incipit exponere, quid ab altero sibi velit præstari, quid restitui, quid retineri debeat, pacis custodia promittitur, injuriæ invicem sibi illatæ remittuntur, earumque perpetua spondetur oblivio. *De Effectibus Pacis.*

§. 30. Dum vero sæpius pax brevi nimis temporis spatio stabiliri nequit, inveniuntur induciæ, quæ nihil aliud sunt, quam conventiones, vi quarum, manente bello ac ejus causa, ad tempus ab actionibus bellicis abstinetur. His initis unusquisque hostium sine omni offensione, quocunque vult, ire atque redire potest; & sunt vel breviores, vel longiores, prout pro partium arbitrio determinantur. *Induciæ quid & quotuplices?*

Vid. Grotius c. 1. L. 3. c. 21. Pufend. J. N. & G. L. 8. c. 7. it. Hertius in Diff. de literis comœatus, & de comœatu literarum.

§. 31. Initur Pax vel a solis partibus, vel certis Mediatoribus intervenientibus, ad quos unusquisque, etiam fæmina illustris &c. eligi potest. Debent autem neutri parti esse addicti: alias omni-

Q 4 no

no repudiari possunt. Neque eis jus aliquod in partes belligerantes competit, sed totum ipsorum officium consistit in consilio dando, in persuadendo &c. Nul- lum tamen est dubium; quin etiam ma- jor Potestas ei deferri queat. Ut fide- jussores vero plane non tenentur, nisi expresse ita se obligaverint.

Vid. Cocceji Diff. de Mediatoribus Pacis & Gro- tius e. l. L. 3. c. 20. ibique Commentatores.

*Pro quibus-  
nam in Pa-  
ce fiat sti-  
pulatio.*

§. 32. Possunt & alii in Pace compre- hendi atque pro sociis aliisque stipula- tio fieri, puta, ut in Pace debeant esse comprehensi, ut damnum eis ab una vel altera parte datum restitui debeat, ut delictum v. g. perduellionis ipsis debeat esse remissum, atque alia plura: ut adeo frustra alii dissentire videantur,

Conf. pro nostra sententia Beyeri Diff. de jure ex acceptat: promiss: per alter: fact: Dissentit. Hertius ad Pufend. de J. N. & G. L. 3. c. 9. §. 5.

*De accesso-  
riis Pacis,  
in primis  
Gvarantis.*

§. 33. Et ut firmum maneat Pacis via- culum, nullaque pars ab ea recedere queat, moris sæpius est, ut obsides pi- gnora, juramenta, conventiones pœna- les adjiciantur. Imo & Gvaranti inter- dum accedere solent, qui fidem suam de Pace servanda interponunt, simul auxi- lium promittentes contra illum, qui le- ges Pacis violaturus sit. Quinimo con- tingit interdum, ut partes sibi invicem  
gua-

guarandam præstent, puta si factum tertii in articulis Pacis sit promissum.

Vid. omnino Cocceji diff. de Guarantia Pacis.

§. 34. Pace stabilita personæ captæ ad *Consequen-*  
 ædes suas redeunt, resque suas rursus ad- *tis firmata*  
 ministrare incipiunt. Non enim Jure *Pacis.*  
 Gentium dominium amiserunt, sed e-  
 jus saltem exercitium interim in suspen-  
 so fuit: quod quidem postliminium vo-  
 care solent, sed plane abusive; nam Jus  
 Naturæ ignorat fictiones, quas tamen in  
 eo adhibet Jus Romanum.

Vid. Ill. Thomasius ad Huber. de Jur. Civit. L. 3.  
 Sect. 4. c. 5. §. 12.

## CAPUT XVII.

De

# Formis Rerumpubli- carum.

§. 1.

**E**Xpositis Juribus Majestaticis, quæ ab *De Vari-*  
 eo, 'qui summa gaudet Potestate', *tate ac Di-*  
 exercentur, jam quoque diversæ *visionibus*  
 Rerumpubl. formæ considerandæ veni- *formarum*  
 unt; quæ propter diversam rerumpubl. *Rerump.*  
 originem infinitis pene modis variant.  
 In genere dividuntur in regulares & ir-  
 regulares: & hæ rursus in simplices atque

Qq 5

com-

compositas. Porro dum in nonnullis regimen bene, in aliis prave administratur, inde sunt aliæ sanæ, aliæ morbidæ ac corruptæ. a)

a) De quibus vid. Ill. Thomafius in Jurisprud. div. L. 3. c. 6. § 34. sqq. & utrum quis in officium boni Civis peccet, si ostendat, morbidam esse hanc vel illam Rempubl. inquit §. 41-56.

*Definitio Reip. regularis ac irregularis.*

§. 2. Regularis vocatur, ubi omnia Jura Majestatica uni eidemque subjecto insunt, s. ea ab uno, s. pluribus, s. omnibus exercentur; & hinc oriuntur tres formæ: Monarchia, Aristocratia & Democratia. Irregularis est, ubi unio illa non ita perfecte deprehenditur.

*Monarchia Definitio & Divisio.*

§. 3. Monarchia est, in qua uni saltem personæ physicæ imperium competit, estque vel absoluta vel limitata. Illa est, ubi imperans omnia Jura Majestatica suo arbitrio exercet, ita, ut nullius consensu opus habeat, neque ulla conditione adjuncta imperium ei delatum sit.

*Resp. ad Object. contra Monarchiam absolutam.*

§. 4. Negant quidem Monarchomachi, dari regnum absolutum persuasi nimirum, summum imperium semper manere apud Populum, huncque semper Principe esse majorem, item absolutum Monarcham nihil aliud esse, quam tyrannum &c. At frustra tale imperium in dubium vocatur, aut impugnatur; cum omnium temporum historia talia ostendat, imo adhuc ho-

hodie talia dentur. Cæterum de Monarchomachis ipsis jam supra nonnulla diximus.

§. 5. Non tamen in absoluto quoque Imperio tali Princeps gaudet jure, ut tyrannum agere, subditos suppressere ac beatiarum instar habere ipsi liceat, sed semper regularum & decori & honesti simul habere debet rationem; de quo pariter jam supra egimus.

§. 6. Cavendum etiam, ne absolutum Imperium ex solo titulo, sed ex juriur Majestaticorum exercitio dijudicemus. Nam multi gavisi sunt atque adhuc gaudent imperio absoluto sine regio titulo; & econtra plures titulo quidem regis superbiunt summa tamen destituti Potestate.

Vid. Grotius de J. B. & P. L. I. c. 3. §. 10.

§. 7. Neque confundi cum regno absoluto debet despoticum, in quo summæ Potestati dominica in subditos, tanquam servos, adscribitur potestas, ita, ut jus habeat alienandi tam regnum quam subditos, hosque interficiendi. Sed cum falsum sit, Principi etiam absolutissimo hæc jura competere, nisi expresso pacto a subditis in eum translata sint: ita nullam deprehendo differentiam inter regnum absolutum & despoticum.

Vid.

Vid. III. Thomafius ad Huber. de jur. Civitat. L. I. Sect. 7. c. 3. Dicturi fumus in Discurfu de regno Perfarum veteri, de Sinenfium ac Rufforum imperio. Vid. quoque Hertius in Element. Polit. P. 2. Sect. 12. §. 1.

*Monarchia  
limitata  
Definitio.*

§. 8. Monarchia limitata vocatur, quando Summa Potestas certis Pactis f. LL. fundamentalibus reſtricta eſt, ita, ut Princeps uſum jurium Majeſtaticorum ſecundum illas leges exercere debeat. Competere hoc jus ſubditis in regno deferendo nemo ambigere poteſt; & hæ leges communiter quoque vocantur Capitulationes. Imo in omni Monarchia, ubi Populus aut Optimates in Juribus Majeſtaticis exercendis cum Principe concurrunt, regnum eſt limitatum; & exempla hujus nobis præbet Anglia, ubi concilium Populi Parliamentum appellatur, & Polonia, ubi Senatores (qui quoque residentes ad latus regium vocantur.) Collegium conſtituunt.

*An Princeps promittens vel jurans minuat Majeſtatem?*

§. 9. Verum quæritur: Utrum ſtatim oriatur Monarchia limitata, ſi Princeps aliquid promittit, aut juramento reipubl. ſe obſtringit? Reſpond. Si Princeps talia promittit, quibus Summa Potestas minuitur, ac exercitium Jurium Majeſtaticorum reſtringitur, omnino lex inde oritur imperium limitatum. Secus vero ſe res habet, ſi generaliter etiam jurato promiſerit,



rit, se v. g. velle bene administrare rem-  
publ. felicitatem Populi promovere. Ta-  
lia enim Majestatem Principis haud mi-  
nuunt, sed in inaugurationibus regum  
quoque absolutissimorum adhibentur.

§. 10. Non autem amitti statim impe- *De obliga-*  
rans regnum, si leges fundamentales s. Ca- *tione Prin-*  
pitationem fuerit supergressus, a) at- *cipis pro-*  
que subditis hanc ob causam nullum jus *pter actus*  
competit, obsequium illi denegandi gla- *contra Ca-*  
diumque contra Principem stringendi, *pitulatio-*  
sed obligant saltem regulæ Justitiæ Prin- *nem.*  
cipem, ut actus contra LL. fundamenta-  
les gestos pro irritis declaret, rem in sta-  
tum pristinum redigat ac reipubl. eo no-  
mine satisfaciat.

a) Adjiciunt alii: nisi sub pacto commissorio re-  
gnum sit delatum: quod negat Henniges ad  
Grot. L. I. c. 3. §. 16. nos de eo plura in Discursu.  
Conf. interim Pufend. in J. N. & G. lib. 7.  
c. 6. §. 10.

§. 11. Sed gravissima jam movetur quæ- *In his acti-*  
stio: Cuinam cognitio decisioque causæ *bus cuinam*  
competat, an Princeps LL. fundamenta- *Decisio re-*  
les violaverit? Nam Populo decisionem *linquenda.*  
relinquere est periculosum: inclinatur enim  
is ad seditionem, cum rabie agit, im-  
patiens est ac sæpius sana ratione destitu-  
itur. Optimatibus vix magis hoc jus com-  
petere videtur. Optimum itaque erit,  
si statim ab initio hoc determinetur, &  
cer

certæ personæ constituentur, quibus competat jus de pactorum violatione disquirendi. Namque hoc cessante nunquam Principem de Pactis violatis accusari posse sum persuasus.

*Cur Regna sint successiva vel electiva.* §. 12. Est porro Monarchia vel electiva, vel successiva. Utrum autem regnum aliquod. vel successivum, vel electivum sit, a Populi dependet conventionione, cum illud in aliquem transferunt.

*Unde Electio ejusque modus dependeat.* §. 13. At cuinam competat Electio rursus non determinat Jus Naturæ, sed hoc ex prima dependet conventionione; atque hinc in nonnullis regnis Electio est penes totum Populum, in aliis vero penes regni Proceres. Sic etiam eligendi modus aut a consuetudine, aut quoque a dispositione Populi semel facta dependere solet.

*De Personis eligendis.* §. 14. Neque dispositum in Jure Naturæ reperitur, quis eligi debeat, nec quando Electio sit instituenda, sed id vel ex Pactis, vel Populi voluntate debet cognosci, ita, ut peregrini, fæminæ omnesque legibus non prohibiti eligi queant; & nihil obstat, quo minus eligentes etiam sibimet ipsis votum dare possint.

*Definitio Regni successivi & eius primogenitura.* §. 15. Regnum successivum nominatur, ubi proximis defuncti ex voluntate Populi imperium competit. Nam Jus Naturæ

turæ nihil in hac re determinavit quoque, sed omnia Populi reliquit arbitrio. Quare nullum est dubium, quin per Pacta Successio ipsa disponi possit, v g. utrum Jus Primogenituræ, an vero Senioratus locum habere debeat, utrum tantum descendentes, an etiam collaterales succedere queant. Pro primogenito tamen aliqua præsumptio pugnare videtur,

a) partim propter prærogativam ætatis, qua citius imperio præesse potest, partim quia sua nativitate jam jus aliquod præ aliis sibi acquisivit, præcipue autem quoniam regnum non debet dividi. Liberris reliquis tunc apanagium præstat. b)

a) Vid. Huberus de Jure Civitat. L. I. Sect. 7. c. 6. & 7. ibique Ill. Thomafius, it. Ludolph de Jure Primogenituræ.  
b) Vid. Schilteri Diff. de Paragio & apanagio, Hertii Diff. de commentitia Paragii atque apanagii, distinctione &c & Ill. Thomafii Vindicie illius distinctionis.

§. 16. Utrum vero is, qui, antequam Patrens ad Imperium pervenit, in lucem est editus, aut alter jam delato imperio natus pro primogenito habendus sit? & num filius Primogeniti præferatur Patruo? id omne a moribus & Pactis regni dependet. a) Si vero linea Primogeniti exspiraverit, regulariter quidem successio secundum lineam, non secundum gradus fit

*Quid circa Primogenitos a Pactis dependeat.*

fit, ad mores tamen ac Pacta ejusque regni hic semper respiciendum esse videtur.

a) Vid. Leibnizii Script. Brunsvic. Tom. I. p. 197.

*Nam Successio competat liberis naturalibus?*

§. 17. An liberi ex legitimo Matrimonio nati, aut etiam ex illicito concubitu suscepti ad successionem adspirare possint? Jus Naturæ quoque haud decedit, & ratio Grotii, a) quod ad contemptum Patris hi tendant, est insufficiens, ita ut hujus etiam quæstionis decisio & moribus & pactis regni cujusque debeat relinqui. Nam certe olim apud plurimos Populos inter legitimos atque naturales nulla ratione successionis fuit differentia. Præterea autem talibus pactis haud existentibus liberi naturales inter Christianos non admittuntur ad Successionem. b)

a) In J. B. & P. L. 2. c. 7. §. 16.

b) Vid. Ill. Thomasius ad Huber. L. I. Sect. 7. c. 7. n. 8. & Pufendorf. in J. N. & G. L. 4. c. 11. n. 6. ibique Barbeyrac.

*Quomodo Fæminæ succedant, vel non.*

§. 18. Eodem modo dubium est: utrum fæminæ, natiq; ex illis ad Imperium possint admitti? item: An filia primogenita, ubi successionem habet, excludi possit a filio? Utrobique enim adsunt rationes, partim a sexu, partim quod omni regis posteritati regnum delatum sit. Omnia itaque hæc ex dispositione Populi & moribus cujusque regni sunt dijudicanda.

**Hinc**

Hinc in nonnullis Regnis propter pacta expressa filiae plane excluduntur, unde successio Francica; in aliis admittuntur, unde Castelliana. Interim non dubito utiliorem esse regno agnatorum successionem. Facile enim per Matrimonium Regna ad extraneos proferuntur, quod non semper proficuum esse videtur.

§. 19. Porro quaeritur: Utrum in Successione Castelliana Cognatus propior? e. g. Sororis filius excludat remotiorem v. g. patrualem? An primogenitae filiae, aut filii descendentes filiae secundo loco natae possint praeferrari? Item: Utrum nepos ex Sorore neptem ex fratre praecedat? alique casus plures. Patet autem ex jam dictis, Regno nihil esse salutarius, quam si omnes ac singuli casus per pacta & Leges fundamentales sint decisi: alias bella ex bellis oriuntur, & haud difficile est, pro quacunque responsione ad quaestiones propositas invenire rationes in contrarium.

*Quid Iuris sit in Successione Castelliana.*

§. 20. Sed quid tunc, si primogenitus vitio quodam naturali laboret, aut propter aliam imbecillitatem onus Imperii in se suscipere nequeat? Mihi videtur, & in hac quaestione ad mores atque conventiones esse respiciendum. Ita dispositum in nonnullis Regnis videmus, ut

*Quid faciendum si primogenitus Reip. praesse nequeat.*

R r

pro-

proximus Agnatus, aut Imperii Proce-  
res administrationem Imperii gerant.  
Si vero in L.L. fundamentalibus nihil  
prospectum, Regis est determinare, quis  
post ipsius mortem curam regni suscipere  
debeat. Exigit enim hoc Salus atque  
tranquillitas Reipubl.

*De Renun-  
ciatione  
pro se & li-  
beris suis  
in regno  
successivo.*

§. 21. Locum etiam hic invenit qua-  
estio: Utrum in regnis successivis valida  
sit renunciatio juri succedendi pro se &  
liberis suis? Circa quam quaestionem  
Dd. valde dissentiunt & nemo inficias i-  
re potest, utriusque partis rationes non  
omni destitutas esse fundamento. In-  
terim defendi potest, quod jam natis re-  
nunciatio plane nocere nequeat: ex pri-  
ma enim Populi voluntate jam accepe-  
runt jus, quod ipsis invitis neque a Pa-  
tre, neque a Matre adimi potest. Non-  
dum autem natis renunciatio potest ob-  
esse. Nam cum eo tempore, quo na-  
scuntur, Parentes nullum amplius jus  
habuerint, nullum etiam in postea natos  
possunt transmittere.

Vid. DN. Buddei Diss. de Testamentis summo-  
rum imperantium.

*Decisio  
Controver-  
sia de jure  
Successionis  
inter Gen-  
tes.*

§. 22. Tandem quaeritur: Quis Judex  
esse queat, si controversia de jure succes-  
sionis inter gentes oriatur? Valde etiam  
circa hanc quaestionem dissentiunt DD.  
Huberus a) putat, non alium posse pro-  
sci judicem, nisi ferrum; & Grotius  
quo-

quoque existimat, nec regi, nec Populi voluntati decisionem causæ competere. Sunt tamen econtra & alii, populi voluntati decisionem relinquentes. Mihi videtur dispiciendum esse, utrum litigantes in eo consentiant, quod lis amice decidi debeat; & tunc optime consultum erit, si vel Populi decisioni id relinquatur, vel certi constituantur arbitri. Quia vero amica decisio vix est speranda, ideo hoc consilium potius est commendandum, nempe ut Princeps Jus succedendi sibi asserens de possessione acquirenda & per milites conservanda sit sollicitus. Postea enim facile inveniri possunt rationes jus atque possessionem adeptam defendendi.

Conf. III. Thomasius ad Huber. de jure Civitat. p. 286. n. 52. not. i.

§. 23. Aristocratia est, ubi summa Potestas non est apud omnes sed apud optimates, s. præcipuos ac potentiores cives. *Definitio Aristocratia ejusque requisita.*

Quando, aut unde exorta sit, plane est incertum, licet alii ex Democritia, alii ex Monarchia, ejus petant originem. In ea vero non ad externum respiciendum est habitum, sed ad Jurium Majestaticorum administrationem. Etsi itaque in hac Reipubl. forma consensus Populi in certis negotiis requiratur, aut in ea Princeps, tanquam Præses, Optimatum

Collegio adsistat & præsit, uti in Republ. Veneta, manet tamen Aristocratia.

Vid. Hertii Diss. de special. Rom. Germ. Imper. Rebuspubl. Sect. 2. §. 24.

*Ipsius for-  
mae diver-  
sa.*

§. 24. Variæ etiam hujus dantur formæ. Nam deprehenditur Aristocratiæ electiva atque successiva. Interdum Optimatum numerus est definitus, interdum est indefinitus. Apud nonnullos imperium Optimatum perpetuum, apud alios temporarium est. Sæpe omnes admittuntur ad hanc dignitatem, alibi certæ saltem familiæ. Hic Optimates eligit Populus, illic autem Optimates ipsi.

Vid. Huber. de Jur. Civit. L. I. Sect. 8. c. 1. & 3. & Hertius in Elementis P. I. Sect. 10.

*De Optimatum  
Juribus  
in Aristocratia.*

§. 25. Iisdem Juribus Majestaticis gaudent Optimates, quibus in Monarchia Reges. Ita habent jus Belli & Pacis, jus leges ferendi, quæ Sæcra vocari solent, jus legationum. Crimen Majestatis non quidem in singulos committi potest, sed tamen in Rempubl.

*Illorum Potestas  
quousque sit  
restricta.*

§. 26. Potestas vero mutandi formam Reipubl. aut LL. fundamentales evertendi illis haud competit. Delicta si committant, a reliquis puniri possunt. Si inter se dissentiant, prævalet pluralitas votorum, quæ tamen si fuerint æqualia, nihil peragi potest,



§. 27. Democratia est, quando summa Potestas s. exercitium jurium Majestaticorum penes univcrsum est Populum. Hinc etiam in hac forma omnia jura, quibus Rex gaudet, habet & Populus. Non autem hic quoque ex habitu externo dijudicari debet, sed rursus ex Jurium illorum Majestaticorum exercitio. Nam dantur Democratix, ubi certo Senatui negotia expedienda commissa sunt; dantur alix, in quibus unus Principis instar Comitii præest, ita, ut tamen Populo salvum maneat summum imperium, & illi vicariam saltem habeant Potestatem.

*Democratia Definitio ac requisita.*

Vid. Hertius in Element. Prudent. civil. P. I. Sect. 10. §. 19. sqq.

§. 28. Hoc præcipuum est in Democratia, quod negotia republ. concernentia in Comitiiis expediantur. Major vero votorum pluralitas semper obtinet locum: alioqui nil prorsus perfici posset. Absentes nihilominus obligantur; nemini tamen prærogativa aliqua præ altero competit.

*Cur in Democratia Comitii sint introducta.*

Confer. Cosceji Diss. de calculo Minervæ, & Horatii de paribus Judicium, sententiis.

§. 29. Jura comitiorum nulli competunt, nisi Civibus: omnes igitur peregrini, incolæ, advenæ sunt exclusi. Utrum fæminæ, impuberes, minores &c: imo utrum omnes Cives Jus Comitiorum ac

*Quibusnam Jura Comitiorum competant.*

R r 3

pa

potestatem deliberandi habeant, a LL. & conventionem Civitatis dependet. Ita dantur Democratix, ubi nullus Civium admittitur, quam qui certum numerum agrorum, aut domum propriam habet. In aliis vota distributa sunt in familias, ita, ut tota familia unicum saltem habeat votum.

*Resp. mixta quid earumque diversitas.*

§. 30. Quoties Imperium aliquod existit, quod nec absolutum, nec simpliciter Aristocraticum, nec mere populare est, vocatur republ. mixta: Quæ mixtura pluribus modis variat; interdum ex omnibus tribus formis, interdum ex duabus saltem consistit, interdum certis saltem jurebus Majestaticis gaudet. Talem mixtam republ. existere sine ratione negavit Hobbesius de Cive. c. 7. §. 4.

Vid. Kulpisius in Colleg. Grotian. p. 26.

*Ipsarum Differentia a Systemate plurium Civitatum.*

§. 31. Cum his mixtis rebus publ. non confundi debet Systema plurium Civitatum, quod existit, quando plures republ. per foedus nexu arctissimo ita coalescunt, ut unum tantum corpus constituent, unamque quasi republ. repræsentent. Retinent in hoc Systemate suas formas ac leges particulares, suas separatim habent rationes, verbo, pristinam suam formam in omnibus retinent, sed communi simul vinculo & nexu inter se continentur.

*Dubia in hoc Systemate unde decidenda.*

§. 32. Varia autem in tali Systemate se offerunt dubia, quæ omnia non nisi ex LL. fun-

fundamentalibus ac nexu ipso, possunt decidi. Ita quæritur: An singuli jus habeant belli? item: An jure gaudeant, a Systemate iterum se separandi? atque alia plura; de quibus in Discursu.

§. 33. Neque cum tali Systemate confundi debet unio duorum, vel plurium regnorum; quod contingit, si vel plures resp. in unam coalescant, uti videmus in unione Sabinorum & Romanorum: vel si una alteri instar Provinciæ accedat, ut in regno Navarrae: vel si plura regna per successionem uni Principi subjiciantur, ut in Anglia, Scotia & Hibernia.

*Ejus Differentia ab unione Regnorum.*

§. 34. Hactenus regulares pertractavimus republ. Irregulares quod concernit, variis modis existere possunt; de quibus vid. Pufendorf. in Diss. de republ. irregulari.

*De Rebus publ. irregularibus.*

§. 35. Quænam forma Rerum publ. alteri sit præferenda, non uno modo decidit a nostris Doctoribus: plurimi tamen rem decidunt ex affectu. Non enim dubitari quidem potest, unam præ altera nonnullis gaudere commodis, si tamen res accuratiori oculo inspicitur, deprehendimus, unamquamque sua & commoda, & incommoda habere. Bonus itaque Civis contentus est ea forma, in qua vivit, atque quocumque modo annititur salutem rei

*An una forma Reip. alteri præferenda.*

publ. promovere eaque omnia avertere, quibus deterior redditur reipubl. status.

*Tyrannis quotuplex?* §. 36. Antequam finiamus, non abs re erit de tyrannide quoque aliquid admonere, quam duplicem esse statuunt, tyrannidem scil. usurpationis ac exercitii.

*Usurpator quis & an occidi possit?* §. 37. Tyranni primi generis sunt invasores Imperii, qui legitimo Principi imperium auferre, aut in Aristocratia & Democratia libertatem reipubl. suppressere, Monarchiam stabilire, sibi que summam potestatem arrogare intendunt. Talis invasor, si extraneus est, ut hostis; si Civis, ut rebellis consideratur. Talis autem ut occidi possit, præcipue si legitimi Principis consensus accedat, Jure Naturæ stricto licitum ac permissum esse omnino videtur.

*Usurpatio quamdiu duret?* §. 38. Atque in hoc statu tamdiu manet, donec in regno Aristocratico & Democratico Populi consensu agnitus ac homagium ei præstitum fuerit. In Monarchia autem tunc demum invasor esse desinit, si legitimi Regis accesserit voluntas; nam sine hac nullo gaudet jure, licet Populus in ejus imperium consenserit, licet & homagium præstiterit. Populus enim legitimo suo domino neque nuda promissione, neque jure jurando jus quæsitum adimere atque auferre potest; neque gesta abin-

vasore alicujus possunt esse efficacia.

Conf. Cocceji Diss. de regimine Usurpatoris, Pregelzer de Tyrannide, & Abichti Disp. de Homagio in vasori præstito.

§. 39. Tyrannus in exercitio vocatur, <sup>Quisnam fit Tyrannus in exercitio.</sup> qui imperio in se translato abutitur, subditos supprimit, Privilegia, Bona vitamque ipsam eorum eripit, ac salutem reip. pessumdat. Non quidem refragabor, si tyrannis Principis, si manifesta, Populum resistere jugumque excutere salvis regulis Justitiæ posse; sed difficillimum erit determinare, quis sit tyrannus, & quid requiratur, ut quis pro tyranno possit declarari. Nam notum est, olim quemlibet Monarcham nomen tyranni gessisse. Quare vereor, ne tyrannus inter res mere speculativas debeat numerari.

Conf. omnino Ill. Thomastus ad Huberum L. I. Sect. 9. c. 2. n. 20. lit. p.

## CAP. XVIII.

De

Modis acquirendi & amittendi Imperii, item de mutationibus atque interitu Civitatum.

R r 5

S. I.

## §. 1.

*De Modo  
acquirendi  
regni a re-  
liquis di-  
verso.*

**D**e modis regni acquirendi non opus est addere multa, cum capite præcedente nonnullos jam modos recensuerim. Hic saltem admonendum puto, maxime inter se differre regni & aliarum rerum acquisitionem. Has enim, si nullius sunt, sola occupatione nobis acquirimus: quod vero in regnis non procedit, sed licet totum regnum jam occupatum ac possessum sit, nondum tamen potest haberi pro acquisito, nisi populus consenserit, talem pro suo imperante agnoverit ipsique homagium præstiterit. Præteribimus varias illas divisiones, quod nimirum modus acquirendi sit vel originarius, vel derivativus, item vel violentus vel pacificus; de quibus agit Palthenius in Diss. de Dethronisatione, alique plures.

*De Modis  
amittendi  
regni 1) in  
teritu Civi-  
tatis.*

§. 2. Modos amittendi regni quod atinet, in specie quod interitu Civitatis acquisitione extingvatur, res per se est satis clara: itaque saltem nonnulla adhuc erunt adferenda de abdicatione, derelictione & justa imperantis remotione.

*2) Abdica-  
tione.*

§. 3. Quoad abdicationem vix ambigi posse arbitror eam esse licitam ac permitfam, dummodo recto tempore & ita fiat, ne republ. maximum exinde sentiat da-  
num.

mnum. Liberum vero etiam est abdicanti, certas sibi reservare conditiones, quas si concedit Populus & in eas consentit, omnino quoque servare ex regulis justitiae tenetur. Imo & independentiam pacisci posse, uti exemplum reginae Sveciae Christinae testatur, non repugnat Juri Naturae, licet negari non possit, rem valde irregularem atque indecentem esse.

§. 4. Amittitur etiam regnum derelictione, si scilicet imperans illud pro derelicto habeat; hoc enim tacitam involvit abdicationem. Debet autem abdicatio non tantum esse voluntaria, sed & eo animo facta, ut rex reipublicae amplius praeesse non velit. Nam qui metu commotus regnum suum deseruit, abdicationis atque derelictionis reus argui nequit.

§. 5. Utrum imperans removeri, si ita loqui liceat, dethronificari queat a subditis? est difficillimae decisionis. Nam in theoria quidem facile hoc defendere, causasque proferre possumus, propter quas dethronificatio institui debeat: in applicatione vero res haud aequè procedit. Nam quamvis dicas: dethronificationem locum habere, si justam Populus habeat causam; majores tamen se offerent difficultates circa quaestionem: quænam causa haberi debeat pro justa?

&

& quis jure gaudeat de illius causæ justitia cognoscendi? Exterus Princeps si alterum bello devicerit, suæ securitatis gratia eum remove, atque ut regno suo renunciaret, cogere potest. An vero, si renunciatio facta sit invito Populo, hincque regem suum denuo recipere cupiat, alter ex renunciatione obligatus sit, non sine ratione dubitari posse videtur.

Plura ab aliis allegantur, quæ tamen vix fidem inveniunt. Vid. interim Huber. de Jure Civit. L. I. Sect. 9. c. 6.

*De Modis  
diversis  
Mutationis  
Rerump.*

§. 6. Mutatio Rerumpubl. variis potest contingere modis, vel salva ejus manente forma v. g. si fiat vectigalis, clientelaris, feudalis &c. vel quando aliam plane assumit formam. Et hoc triplici contingere potest modo, nempe vel consentientibus Civibus v. g. si formam Reipubl. in aliam transmutari consentiant, vel Civibus invitis, si v. g. invasor existit, vel si tandem imperium vacat, ita, ut dicatur interregnum.

Conf. Hertius in Element. Prudent. civil. L. I. Sect. 12.

*Illi quatenus a Populi Arbitrio dependent.*

§. 7. Dependet ergo a Populi arbitrio, utrum eandem retinere formam novumque regem eligere, an vero in aliam plane formam, Rempubl. velit transmutare.

§. 8



§. 8. Quis tempore interregni imperium gerat, dependet a LL. cujuslibet Reipubl. Nam alibi lege, alibi electione interrex constituitur; alibi unus saltem, alibi plures interregnum administrant; uti & in Germania nostra duos habemus Vicarios. Qualis potestas interregi competat, dissentiunt Dd. Jus Naturæ id haud determinat, sed hic rursus respiciendum est ad LL. Regni fundamentales: quæ interdum idem jus, quod Princeps habet, interregi permittunt, interdum vero ejus potestatem restringunt.

*De Modis Interregni & Jure Interregis.*

Vid. Dn. Gribneri Diff. de Juribus Vicar. Imper. & de Münchhausen. de Vicar. Ital. De vacantia Regni, si Rex absens, captivus, morbo afflictus est &c. dicemus in Discursu.

## CAP. XIX.

De

# Officio erga mortuos.

§. I.

**M**ors omnia Jura solvit: nulla itaque mortuis debentur officia, nulla eis inferitur injuria, s. sepeliantur, s. insepulti relinquuntur. Interim tamen ex officiis humanitatis homines vivos obligatos esse puto, ut mortuos honeste sepeliant, non quidem respectu ipsorum mortuorum

*An & cui sepultura debeat mortuis.*

rum, qui ex Sepulturæ intermissione nul-  
lum sentiunt damnum, sed respectu vi-  
ventium, quibus hoc ipso declaramus ve-  
nerationem atque amorem, quo defun-  
ctum prosecutus sumus. Ex quo simul flu-  
it, quod neque hæretico, neque alteri cu-  
idam honeste vitam transigenti ac finienti  
Sepultura debeat denegari.

*Diversa er-  
ga mortuos  
Officia an-  
sint iuris  
Nat.?*

§. 2. Nec jubet Jus Naturæ tam late  
quam stricte sic dictum Sepulturam inter  
Christianos receptam, sed eam saltem ap-  
probat, juxta autem non impugnat com-  
bustionem Romanis usitatam, a) neque  
improbat Ægyptiorum mores balsaman-  
di & condiendi mortuos. Dicitur tamen  
Jus Naturæ, ut ita sepeliantur aut perdan-  
tur, ne putredine cadaverum respubl. da-  
mnum patiatur. Exinde simul sequitur,  
quod inter gentes denegatio Sepulturæ  
inter causas belli justas plane referri ne-  
queat. Si enim, uti diximus, adsit aliqua  
obligatio, non potest tamen alia esse, quam  
interna & ex regulis decori fluens.

a) De combustione cadaverum multa erudite ob-  
servavit Jas. Gothofred. ad Cod. Theodos. de  
Sepulchr. violat. Tom. 3. p. 148. sq.

*An iure  
Nat. cada-  
vera delin-  
quentium  
non sepeli-  
enda?*

§. 3. Neque jubet Jus Naturæ, ut cada-  
vera delinquentium insepulta maneat.  
Mores tamen, quibus Sepulchra iis dene-  
gantur, non pugnant cum Jure naturali; a)  
&

& licet ex falsis ac superstitiosis fortan principiis originem ducant, nihil tamen hoc impedire videtur, quo minus illi mores observentur atque retineantur.

a) Contrarium asserit Bodinus de Jur. inhum. concl. 1.

§. 4. Patet exinde quoque, quod jus circa Sepulturam Principi competat, ita, ut circa eam omnia illa disponere ac introducere possit, quæ & istius respectu utilitas atque Salus reipubl. exigere solet.

*De iure Principis*  
1) *circa Sepulturam.*

§. 5. Potest igitur Princeps salvis iustis regulis jubere, ut alii sepeliantur honeste, alii inhoneste; quamvis fatendum sit, distinctionem inter Sepulturam honestam ac inhonestam, humanam atque asininam vulgum olere: potest quoque disponere, ubi sepeliendi sint mortui, quibus cum solennitatibus id peragi debeat, imo has mutare & plane abrogare potest.

2) *In specie circa Modos sepeliendi.*

§. 6. Quin etiam exigunt regulæ de cori, ut tales solennitates magis minuat, quam augeat. Nil enim magis promovet superstitionem, nil magis auget luxum ac ambitionem, quam solennitatum frequentia.

3) *In primis circa Solennitates funebres.*

Fufius de hac materia egit Ill. Thomafius in Diff. de iure Principis Evangel. circa solennia Sepulturæ An. 1702, habita.


*Sepultura  
in Templis  
an conce-  
denda.*

§. 7. Præprimis autem vetare debet Princeps ne in Templis mortui sepeliantur; atque omnino certum, Sepulturam mortuorum in Templis Juri naturæ tam late quam stricte sic dicto repugnare. Nam cadaverum effluvia sanitati maxime sunt inimica eoque magis nocent, quia clausus est Sepulturæ locus. Hinc quoque apud omnes gentes ejusmodi Sepultura fuit prohibita: superstitio vero ac avaritia Cleri inter Christianos eam introduxit.

Vid. Ill. Thomasius in Jurisprud. div. L. 3. Cap. ult. & in cit. Diss. §. 8. it Anonymus in Tract. An: 1685. Francofurt. edit. sub tit. *Schrift- und Naturmäßiges Bedenken über die Begräbnisse der abgestorbenen, welche man in die Kirchen und Beth-Häuser zu begraben pfleget* &c.

FINIS.





# INDEX I. AUTORUM.

## A.

**A** Bicht.  
 Ærodius.  
 Alberti.  
 Alethæus.  
 Arcuarius (Daph-  
 næus)  
 Aristoteles.  
 Arnoldus.  
 Arnøldus (Gottfrid.)  
 Athanasius (Vincent.)  
 Auberius.  
 Augustinus.

## B.

**B** Achovius.  
 Basnage.  
 Baylius.  
 Barbeyracius.  
 Becmannus.  
 Becker (Balthaf.)

Bernardus (Jac.)  
 Beyer (Adrian.)  
 Beyer (Georg.)  
 Beza.  
 Blondellus.  
 Bodinus (Joh.)  
 Bodinus (Henr.)  
 Bœclerus.  
 Böhmerus.  
 Bontekoë.  
 Boyle.  
 Buchananus.  
 Buddeus.  
 Buxtorffius.  
 Brenneisen.  
 Bruckner.  
 Brummerus.  
 Brunnemannus;  
 Brutus.  
 Bynckershœk.

Ss

C. Ca-

# INDEX.

## C.

**C**Alixus.  
Callier.  
Carpzovius.  
Cartesius.  
Cassanus.  
Chiffletius.  
Choppinus.  
Cicero.  
Clericus.  
Coccejus (Henr.)  
Codex Theodos.  
Conringius.  
Cordemoi.  
Croufaz.  
Crusius.  
Cumberland.

## D.

**D**Anæus (Lambert.)  
Dassouius.  
Delphinus (Hieron.)

## E.

**E**Hrenbach (Myler  
ab)  
Einsidel.  
Eisenmenger.  
Epictetus.

## F.

**F**Elden.  
Filmer.  
Fleury.  
Fluddius.  
Forstnerus.  
Francke (Aug. Herm.)  
Franckenstein.  
Friedlibius.  
Frisius.  
Fritschius.  
Furstenerius.

## G.

**G**entilis (Alber.)  
Gerhardus.  
Girardus.  
Gothofredus (Jac.)  
Gracian.  
Gribnerus.  
Gronovius.  
Grotius (Hug.)  
Grotius (Gvil.)  
Gundlingius.

## H.

**H**Avemann.  
Hannekenius.  
Hermann : Von der  
Hardt.  
He

I. AVTORUM.

Hedinger.  
 Helmont (Jo. Bapt.)  
 Henniges.  
 Hemmingius.  
 Heumann.  
 Hertius.  
 Hobbesius.  
 Hochstetter.  
 Hoppius.  
 Hopperus.  
 Hornbeck.  
 Hornius.  
 Hottomannus.  
 Huberus.

I.

**J**Anus.  
 Jaquelot.

K.

**K**emmerich.  
 Kestnerus.  
 Kingius.  
 Kresius.  
 Kuhnius.  
 Kulpifius.

L.

**L**Aërtius.  
 Lamey.  
 Layritz.

Leibniz.  
 Lightfoot.  
 Limborch.  
 Lipsius.  
 Lith.  
 Loccenius.  
 Lockius.  
 Longinus.  
 Löscher.  
 Ludovici.  
 Ludolph.  
 Lyserus.

M.

**M**Alebranche.  
 Malpighius  
 Masius.  
 Melanchthon.  
 Menagius.  
 Menckius.  
 Montagne.  
 Mollerus.  
 Molliere.  
 Montaltus.  
 Mornæus.  
 Morus.  
 Muelen.  
 Musæus (Joh.)  
 Müldner.  
 Müller.  
 Münchhausen.

Ss 2

N. Neu-

# INDEX.

N.

**N**euemann.  
Neuenhahn.

Nitschius.

Noodt.

O.

**O**bservat. Hallenf.

Obrecht.

Ochinus.

Ockel.

Van Offe (Melchior)

Osiander.

P.

**P**agenstecher.

Paracelsus.

Pasch.

Petitus.

Pfeiffer.

Pictetus.

Placette.

Placcius.

Poiret.

Postellus.

Praschius.

Pregizer.

Presbevtat.

Pritius.

Procleus.

Procopius.

Pufendorf.

Q.

**Q**uintiliauus.

R.

**R**achelius.

Rechenberg.

Reyherus.

Röhrensee.

Rhodius.

Rossæus.

Rothius.

Ryffel.

S.

**S**andius.

Sanderson.

Saurinus.

Scharrockius.

Schelwig.

Scherzerus.

Schilter.

Schwarzius.

Seldenus.

Seneca.

Se.



I. AUTORUM.

Seckendorf.  
Sidney.  
Sirbrandus.  
Sixtinus.  
Spenerus.  
Spencerus.  
Stahlius.  
Stobæus.  
Strauchius.  
Strimesius.  
Sturmius.  
Strykius (Sam.)  
Strykius (Jo. Sam.)  
Svarez.

T.

Tacitus.  
Taylor.  
Tenzel.  
Tesarus.  
Textor.  
Thomafius (Chr.)  
Thomafius (Jac.)  
Titius  
Tollandus.  
Treuer.  
Tfirnhausen.

V.

Valesius.

Vaffor.  
Vasquius.  
Uffelmann.  
Velthuyfius.  
Vitriarius.  
Vitringa.

W.

WAhrenmund.  
Weber.  
Weickmannus.  
Weigel.  
Werlhof.  
Wernsdorf.  
Wernher.  
Wehrenfelsius.  
Wicquefort.  
Willenbergius.  
Wildvogel.  
Winckler.

Z.

ZEntgraf.  
Zierold.  
Ziegler.  
Zollius.  
Zweiburgius.



## INDEX II. RERVM.

- A** *Abstractiones* unde oriantur pag. II. §. 36.  
*Academia.* Vid. Schola.
- Accessio* ad littus est officium Humanitatis p. 334. §. 30.
- Accessio* industrialis an sit modus acquirendi? p. 387. §. 47-49.
- Actionum* Intellectus ac Voluntatis diversitas p. 20. §. 69. Actionum humanarum divisio & imputatio p. 25. §. 89. sqq.
- Actiones* injuriarum quomodo repugnent Juri Naturæ 299. §. 29. quando talis actio instituenda ibid. §. 30. de Actionibus noxalibus & de pauperie p. 301. §. 33. sq. actio ratione damni data servo vel subditis p. 302. §. 35. De Actionibus bonis malisque vid. Bonitas item Malitia &c.
- Acquirendi* modus est unicus p. 380. §. 25. de Acquisitione Scripturæ & Picturæ p. 392. §. 58.
- Adjunctionis* s. Texturæ requisita p. 389. §. 58.
- Adulter* ad quid obligetur? 296. §. 23. de adulterii turpitudine ac pœna p. 476. §. 53.
- Ædificatio* quot modis fiat p. 390. §. 55.
- Æquales* omnes habendi p. 279. §. 2. æqualitatis hujus fundamentum p. 280. §. 3. in quoniam

## INDEX

nam illa consistat c. l. §. 4-8. ubi ad object.  
respond. p. 281. §. 7. sq. consuetaria p. 282. §.  
9-11. & p. 288. §. 14.

*Affectus* impedit sanum rationis iudicium p. 17.

§. 57. §. 57. Caput de Affectibus perperam  
fuit neglectum p. 29. §. 1. unde eorum Defi-  
nitio petenda p. 30. §. 2. Affectus quinam  
sint primarii aut secundarii p. 31. §. 7. sq. cur  
ipsi nec generentur in nobis nec exuantur  
p. 33. §. 16. sed nobis connati semper inhæ-  
reant c. l. §. 17. eorum excitatio in quoniam  
consistat ib. §. 18. ipsorum Suppressio quo-  
modo fiat p. 33. §. 19. eorundem impedi-  
menta interna ac externa horumque subdi-  
visio p. 34. §. 20-24. objectum ipsorum p. 38.  
§. 37. motus eorum diversus c. l. §. 40. item  
definitio p. 59. §. 117. divisio c. l. §. 119. an  
sint boni uel mali p. 59. §. 120. sq. quomodo  
sint emendandi p. 185. §. 63. eorum vitiosus  
& excessus & defectus 202. §. 3. Plura vid. ti-  
tulo: Passiones &c.

*Affirmatio*, quid? p. 12. §. 40.

*Aggratiandi* Jus quid & quomodo competat.  
Principi p. 545. §. 11. sq. etiam in homicidio.  
doloso p. 546. §. 13. sq. & 547. §. 16.

*Ambitiosus* maxime & iuvare & nocere potest  
p. 57. 107. De Ambitione vid. sub tit. Passi-  
ones item Temperament:

*Amicos* parandi modus p. 187. §. 75.

## INDEX

- Amer* sui inordinatus p. 17. §. 62. sqq. & ejus effectus p. 69 §. 34.
- Amer* est affectus primarius & cur? p. 30. §. 5. sq.
- Amor* rationalis an sit Passio quaedam peculiaris p. 86. §. 97. in quonam consistat & quid sit? p. 86. §. 98. sq. & p. 204. §. 5. item p. 256. §. 21.
- Angeli*, quonam de iis credenda? p. 45. §. 68. eorum existentiam ratio ignorat p. 46. §. 68. essentiam ipsorum frustra scrutamur p. 46. §. 69. eorundem existentia constat ex sola Scriptura c. l. §. 70.
- Anima* cum Corpore conjunctio & Sympathia p. 77. §. 68. sq. ejus cura in quonam consistat p. 253. §. 14.
- Appellandi* Jus ad Principem an competat subditis p. 136. §. 17. & 19. de appetitu inordinato p. 65. §. 17.
- Aristocratiae* definitio & requisita p. 627. §. 23. ejus variae formae p. 628. §. 24. Jura ac Potestas Optimatum in Aristocratia c. l. §. 25. sq.
- Arma* licita ac illicita p. 608. §. 15.
- Assurationis* contractus quid? p. 415. §. 31.
- Assignmentis* Definitio & requisita p. 428. §. 52.
- Atheismi* Definitio & causa p. 242. §. 71. sq. ejus Differentia ab impietate & hypocrisi p. 243. §. 73.
- Avarus* ut plurimum nocet, raro vero juvat p. 56.

## II. RERUM.

§6. § 106. De Avaritia vid. quoque titul.  
Passiones item Temperament.

*Auctoritatis* Præjudicia plurimorum hominum  
p. 42. §. 55. Vid. quoque titul; Præjudicia.

*Audacia*. Vid. Temeritas.

*Autbochiria* cur illicita? p. 263. §. 36-39. in quo-  
nam casu ea sit licita p. 265. 40. an sit puni-  
enda? p. 266. §. 41.

**B***ellum* omnium in omnes p. 444. §. 10. in  
causa injusta an promissa auxilia possint  
denegari p. 591. §. 16. de causa Bellorum o-  
mnium p. 601. §. 1. de mediis bellum finien-  
di p. 602. §. 2-5. Belli definitio p. 604. §. 6.  
*Bellum* quatenus sit licitum c. l. §. 7. de Bel-  
li causa justa p. 605. §. 8. causa injusta que-  
nam? c. l. §. 9. Belli variæ Divisiones p. 606.  
§. 10-12.

*Belli* indictio requiratur? p. 607. §. 13.

*Beneficia* debent esse gratuita p. 216. §. 56. Be-  
neficium quid dicatur p. 318. §. 38. eorum  
convenientia & disconvenientia cum officiis  
Humanitatis c. l. § 39. sq. Beneficia quomo-  
do sint exhibenda? p. 319. §. 41.

*Bestialitatis* Definitio ac turpitude p. 469. §. 41.

*Bona* quotuplicia? p. 567. §. 5. circa

*Bona* Privatorum quid Princeps disponere que-  
at? p. 568. §. 7. Vid. quoque titul: Divitiæ.

*Bonitatis* s. Actionum bonarum gradus p. 120.  
§. 108. sq.

*Bonum* apparens s. falsum Passionis dominantis

Ss §

p.

## II. RERUM.

p. 66. §. 19. bonum partis præfertur bono totius p. 68. §. 26. bono ordinario præfertur extraordinarium c. l. §. 27. de bono maloque positivo ac privativo c. l. §. 28. bono ordinario ac extraordinario p. 68. §. 29. boni positivi & privati Definitio p. 68. §. 30. bonum verum quale sit? p. 69. §. 32. de bono momentaneo p. 70. §. 36. de bono interno ac externo p. 111. §. 78. de bono triplici, nempe iusto, decoro & honesto p. 121. §. 110. Boni in genere Definitio p. 230. §. 35. ejus gradus c. l. §. 36. diversitas p. 255. §. 19. Bonum summum in quonam consistat p. 256. §. 20.

**C**alamitatum finis a Deo intentus p. 237. §. 53.  
**Capitulationem** supergrediendo an Princeps regnum amittat p. 621. §. 10.

**Captivi** quid in eos liceat? p. 609. §. 16.

**Carnis** elus an sit licitus p. 371. §. 3. sqq.

**Cessio** quid? p. 427. §. 51.

**Cholericus.** Vid. Passio it. Temperament.

**Civitatum** consensus hujusque declaratio p. 512.

§. 11. de modis Civitatem constituendi c. l. §.

12. de Civitatum Pacto ib. §. 13. Vid. quoque

titul. republ. item Systema &c.

**Coacte** cur omnia agamus? p. 58. §. 12. Coactio

præsupponit vim p. 58. §. 113. Cogendi vis

quid? p. 110. §. 73.

**Cogitatio** quid & quomodo fiat p. 8. §. 25. sq. de

Cogitationum objecto p. 11. §. 37. cogitandi

modus duplex p. 12. §. 39. cogitatio seriosa quid

p. 14. §. 52. Cogitationes hominum stolidæ

p. 64. §. 14.

Ca.

## INDEX

- Cognitionis* sui ipsius defectus p. 17. §. 59.  
*Collegii* Definitio p. 570. §. 1. ejus finis c. 1. §. 2.  
an Collegia in Republ. toleranda? p. 571. §. 3. de  
Jure Principis circa Collegia c. 1. §. 4. de no-  
vorum Collegiorum Jure ac Privilegiis p.  
572. §. 5. de Subditorum officiis respectu Col-  
legiorum c. §. 6. Statuta quatenus valeant  
c. 1. §. 7.  
de *Comitiis* eorumque Jure p. 629. §. 28. sq.  
*Commerciorum* Jus saltem ex regulis decori con-  
ceditur p. 336. §. 34.  
*Commixtio* quid & quotuplex? p. 390. §. 54.  
*Commodatum* quid & quæ circa id officia? p.  
419. §. 36.  
*Communia* an mutet Dominium? p. 388. §. 50.  
*Compensationis* Definitio & requisita p. 426. §. 49.  
de *Concessione* ad vitam accipientis p. 378. §. 20.  
*Concubinatus* quid & num licitus sit? p. 468.  
§. 38. sq.  
*Conditio* quid & quotuplex? p. 336. §. 336. 42 44.  
*Confusio* quid & quotuplex? p. 390. §. 53.  
de *Conjugum* mutuis officiis. p. 480. §. 60. Confer.  
titul. Matrimonium.  
*Conscientiæ* Definitio p. 94. §. 19. ea an ad intel-  
lectum vel voluntatem referenda c. 1. §. 20.  
de Conscientia corrupta ib §. 21. ea quisnam  
careat? p. 95. §. 22. ipsius Divisio c. 1. §. 23.  
Definitio Conscientiæ re&æ, item erroneæ  
ac dubiæ ib. §. 24-26. de Conscientiæ dubiæ  
homonymia p. 96. §. 27. Definitio Consci-  
en-

## II. RERUM.

- entia probabilis p. 96. §. 28. & scrupulosa c. l. §. 30. Conscientia cur non sit Norma Actionum humanarum ib. §. 31. Conscientia antecedens & consequens rejicitur p. 99. §. 39.
- Consensus* qualis requiratur & quotuplex sit p. 325. §. 14. sq. qualem producat Obligationem p. 326. §. 16. ejus impedimenta p. 327. §. 17. de
- Consilio* ut Norma Actionum nostrarum p. 99. §. 40. Consilium an producat obligationem? p. 110. §. 74. ipsius Definitio p. 124. §. 9. Consilio reguntur sapientes p. 113. §. 85. ejus cum Imperio convenientia & discrepantia p. 100. §. 41. sqq. officia inde fluentia p. 102. §. 49. In specie de officio petentis Consilium p. 103. §. 50. Consiliorum Petitio & stultitia & prudens c. l. §. 51. Characteres stultæ Consiliorum Petitionis ib. §. 52. sqq. requisita prudentis consilii petitionis p. 105. §. 58.
- Consiliarii* & Consuleatis officia ac cautela p. 105. §. 59. sqq.
- Consuetudo* cur habeat vim legis? p. 529. §. 5.
- Contractus* & Pacta an differant? p. 343. §. 54. & p. 408. §. 19. de Contractuum divisionibus c. l. §. 20. sqq.
- Contractuum* accessoriorum Species diversa p. 421. §. 40. sqq.
- Contradictoria*. Vid. Impossibilia.
- Controversias* Theologicas decidendi Jus cui nam competat? p. 579. §. 12.
- Conversatio* cum quibusnam sit quaerenda p. 194. §. 97.



## INDEX

- §. 97. sq. ejus necessitas p. 196. §. 101. ac utilitas p. 262. §. 33. de observandis & vitandis in Conversatione p. 345. §. 16. sqq.
- Cordis* Purgatio necessaria p. 193. §. 93. sqq.
- Corporis* humani definitio p. 3. §. 8. ejus differentia a Corporibus cæterorum animalium c. l. §. 9. ejusdem cum materia convenientia & disconvenientia p. 4. §. 10. Corpus in genere quid? p. 5. §. 13. Corpora agunt eodem ac diverso modo p. 35. §. 25. cur ea & profint & noceant p. 70. §. 81. ex quonam sint composita? p. 74. §. 51. Corporis cura necessaria in quonam consistat p. 252. §. 8. sqq.
- Credulitas*. Vid. Superstitio.
- Creationis* finis quis? p. 236. §. 52.
- Creaturarum* usus & abusus p. 372. §. 4-7.
- Cultus* Deo debitus p. 233. §. 44. Cultus internus in quonam consistat c. l. §. 45. sqq. ad hunc cultum obligant nos solæ regulæ honesti, non justii p. 234. §. 49-51. ejus finis, quem Deus intendit p. 237. §. 54. de Cultu Dei externo p. 246. §. 81. sqq. Cultus publici necessitas ac utilitas p. 248. §. 86. Cultus rationalis Deo placet etiam externus p. 249. §. 80. circa Cultum externum quid Princeps possit disponere p. 580. §. 15. Jus circa hunc Cultum unde deducendum? p. 581. §. 16. de inutili circa ipsum distinctione c. l. §. 17.
- Curiositas* inutilis p. 66. §. 20.

Da-

## II. RERUM.

**D**ammum casu datum an restituendum? p. 316. §. 57. sq. cur id restituendum? p. 291. §. 1. & 292. §. 9. de damni in Bonis & per Consequantiam dati restitutione p. 293. §. 11-15. de damno doli ac negligentiae, item culpa, casu & a pluribus illato restituendo p. 294. §. 16. & p. 303. §. 37. de Damni causa morali ac politica p. 295. §. 20. de damno per injuriam datum p. 298. §. 28. Damnum a furioso vel infante illatum cur restituendum? p. 300. §. 31. Damnum a defuncto datum an heredes restituere debeant? p. 302. §. 36.

**Defensio** sui ipsius an & cur licita sit? 266. §. 43. & 44. & quidem in Statu naturali quovis modo est permessa p. 267. §. 45. idem probatur p. 268. §. 46. sqq. dubia solvuntur p. 270. §. 51. Defensio quoque Consanguineorum est licita p. 270. §. 52. Defensio contra Parentem ac Principem quatenus sit licita, vel non p. 271. §. 53. sq. & 57. Defensionem non prohibet Religio Christiana p. 273. §. 58. Requisita defensionis in Statu civili c. l. §. 59. Dubiorum solutio p. 274. §. 60. sq. Confectaria c. l. §. 62. de Defensione rerum licita p. 275. §. 63.

**Decori** erroneus conceptus p. 71. §. 41. Decori Principia quid? p. 154. §. 97. Decorum quid dicatur p. 187. §. 73. de Decoro naturali & politico p. 187. §. 76-80. quasi-Delicta p. 298. §. 27.

De

## INDEX.

**Delictum** an reus sponte fateri debeat p. 355.

§. 54.

**Democratia** Definitio & requisita p. 629. §. 27.

cur in ea Comitia habeantur? c. l. §. 28. sq.

**Depositum** quid & quæ depositari officia p. 420.

§. 39.

**Derelictionis** Præsumtio p. 384. §. 41.

**Desideria** hominum stolidia p. 65. §. 16.

**Desperationis** Definitio p. 38. §. 39. ea est sum-  
mopere vitanda p. 196. §. 104.

**Detronisatio** quando locum habeat? p. 635. §. 5.

**Deus** in Scriptura se accommodat nostro captui

p. 137. §. 48. sq. quales de Deo conceptus for-

mandi c. l. §. 49-52. est imprimis Deus con-

cipiendus ut Pater p. 139. §. 53. & 55. cur De-

us potius ut Pater ac Doctor, quam ut Legis-

lator concipiendus p. 144. §. 67. & 145. §. 69.

**Dei** Descriptio p. 219. §. 5. ejus existentia:

Probatio c. l. §. 6-14. de Dei essentia vix ali-

quid nobis constat p. 222. §. 15. hinc ipse ne-

quit definiri c. l. §. 16. sqq. nec Scriptura De-

um definivit p. 225. §. 24. de Dei omnipoten-

tia ac Voluntate p. 226. §. 27. sq. de Ejus uni-

tate p. 227. §. 29. cur Deus non sit causa

mali s. peccati p. 229. §. 33. sqq. Dei Bonitas

summa p. 231. §. 38. sqq.

**Diabolo** quænam prædicata conveniant, nec ne

p. 47. §. 71.

**Diffidentia** Definitio p. 38. §. 39.

**Disciplina** quid? p. 118. §. 101.

Di-

## II. RERUM.

*Dispensandi* Jus in quonam consistat p. 533. §. 11.

*Dissimulatio* licita p. 354. §. 1.

*Divitiæ* an negligendæ? p. 182. §. 55. sq. circa eas ac bona quæ nobis incumbant officia p. 310. §. 19.

*Divortium* quatenus & cur sit licitum p. 462. §. 29. sq. cautelæ circa ipsum p. 463. §. 31. ad Object. responsio p. 464. §. 32-34.

*Doctoris* officium in quonam consistat p. 118. §. 102. sq. ejus scopus p. 119. §. 105. ipsius aptitudo oritur ex Temperamento p. 120. §. 106.

*Dolus* impedit obligationem ex pacto p. 327. §. 18. dolus tertii non tollit contractum p. 328. §. 19.

*Domaniorum* alienatio p. 567. §. 6.

*Domini & Servi* mutua officia p. 502. §. 8. in specie Officia Domini c. l. §. 9-11. Jus Vitæ ac necis an & quatenus Domino competat p. 503. §. 13. sq. de Domini Jure vendendi Servos p. 504. §. 15. item acquirendi per servos p. 505. §. 16. de Domini Potestate in liberos Servorum c. l. §. 17.

*Dominium* in Bruta p. 371. §. 1. sq. ejus origine p. 374. §. 10. sq. ejus Definitio & requisita p. 375. §. 12. de Dominio Oceani, Maris, Aëris, Luminis &c. item rei occupatæ & possessæ p. 376. §. 13-16. de Dominio pleno ac minus pleno hujusque subdivisione p. 377. §. 17. de Dominio ad certum tempus p. 378. §. 19. de Do.

## II. RERUM.

**Dominio** rei principalis & accessoria. item Agri in alienum Agrum translati p. 382. §. 32. de Dominio Piscium; ferarum &c. p. 381. §. 30. **Dominium** eminens in quonam consistat p. 564. §. 1. quatenus id competat Principi p. 565 §. 2. de ipsius fundamento c. 1. §. 3. **Divisione** p. 566. §. 4.

**Donationes** ac Dispositiones inter vivos p. 393. §. 62.

**Donatio** quid & quousque licita sit p. 415. §. 32.

**Electio** imperantis cuiam competat? p. 622. §. 13. de Personis eligendis c. 1. §. 14.

**Emendatio** an naturaliter sit possibilis? p. 201. §. 1. ejus difficultas & utilitas p. 202. §. 2. de ipsius impedimentis eorumque remotione p. 206. §. 12. cur ac quomodo emendatio sit possibilis p. 204. §. 9. sq. de Mediis emendationis p. 205. §. 11. & p. 255. §. 19. sqq. ejus requisita p. 255. §. 18.

**Emtio** Venditio quid & quæ circa eam Officia p. 410. §. 23. de ejus Pactis accessorius p. 411. §. 24.

**Error** an tollat obligationem ex Pacto p. 328. §. 20. quando noceat erranti c. 1. §. 21.

**Exempla** cur probe sint respicienda p. 40. §. 51. & cur sint necessaria p. 208. §. 21. & 24. sq. unde ea expectanda eorumque vis p. 210. §. 27-30.

T t

Ex.

## INDEX.

*Exhalationes* morales diversæ p. 54. §. 96-101.

*Exhereditatio* liberorum an sit Juris Naturæ p. 397. §. 72.

*Existimationis* Definitio ac Differentia a fama p. 556. §. 2. item Divisio c. l. §. 3. ejus acquirendæ modus & requisita p. 557. §. 4. 6.

*Externa* Sapienti cum stulto sunt communia p. 61. §. 7.

*Exulum* receptio est Beneficium p. 334. §. 31. sq.

**F***alsiloquii* Definitio p. 351. §. 41. an falsiloquium omne sit illicitum? c. l. §. 43. consensus Scripturæ ac Patrum, quod sit licitum p. 353. §. 47. Augustini & Scholasticorum dissensus c. l. §. 48.

*Fama* læsa cur sit restituenda p. 269. §. 49. quid fama sit & quomodo ab Existimatione differat p. 556. §. 2. & 558. §. 7. de famæ effectibus p. 559. §. 8. de opposita ei infamia, hujusque definitione ac effectibus c. l. §. 9-12. fama intensiva quid? p. 561. §. 13. infamiæ consequentia in Statu naturali p. 562. §. 16. defamæ ac infamiæ causis in Statu civili p. 563. §. 17. de his omnibus quid Princeps dispo-  
nere possit p. 563. §. 18.

*Felicitatis* falsus conceptus falsaque media p. 70. §. 37. ad felicitatem unusquisque per-  
tingere potest p. 87. §. 100. sq. ea est vel interna vel externa p. 115. §. 91. interna est fundamentum externæ c. l. §. 92. de felicitate  
S-

## II. RERUM.

Sapientum p. 184. §. 61. de Mediis ad felicitatem perveniendi p. 185. §. 62. it. 186. §. 65. & 238. §. 56. felicitas interna in quonam consistat p. 185. §. 64. felicitas hujus & æternæ Vitæ p. 239. §. 60. sqq. de Mediis in specie ad felicitatem externam p. 279. §. 1. circa hanc quid præcipiat Jus Naturæ p. 520. §. 13. finis ejus quomodo obtinendus p. 521. §. 14. de feræ bestię Acquisitione p. 380. §. 29. sq.

*Fictiones* sunt licitæ, imo necessariæ p. 355. §. 52. sq.

*Fidejussio* ejusque finis p. 423. §. 43.

de *Fœderibus* hominum cum Deo quid sentiendum p. 138. §. 51.

*Fœderum* utilitas ac Jus p. 585. §. 1. fœdus quid? c. 1. §. 2. Præceptum generale circa fœdera p. 586. §. 3. eorum Divisio & Subdivisio c. 1. §. 5. sq. quot modis fœdera inveniuntur p. 587. §. 7. de fœderum bellicorum modis c. 1. §. 8. fœdera inæqualia quænam? c. 1. §. 9. eorum Divisio p. 588. §. 10. an Christiani cum Turcis fœdus inire queant c. 1. §. 11. sq. cum quibus & quomodo fœdera ineunda p. 589. §. 13. fœderis Obligatio quando finiatur p. 590. §. 14. an Confoederatus seorsim Pacem inire possit? c. 1. §. 15.

*Forma* est activa p. 5. §. 14. ipsa dat Speciem ac Spiritum p. 6. §. 17.

*Furis* caedes cur sit licita? p. 269. §. 47. an quoque sit licita in Statu civili? p. 275. §. 63. fur & raptor ad quidnam obligetur p. 297. §. 25.

T c 1

Gen.

## INDEX

**G**entium æqualitas p. 163. §. 125. sq. Gentel  
 nullo obligantur Pacto p. 165. §. 128. sq. de  
 Gentium Jure vid. sub titul. Jus &c.

**Gradus** (Matrimonii) communiter prohibitus  
 & an circa eos Princeps possit dispensare? p.  
 479. §. 58. sq.

**Gratia** ac Natura p. 241. §. 65. & p. 242. p. 68.

**Gratitudo** ipsique opposita ingratitude p. 319  
 §. 42--45.

**H**eroes veri quinam & quæ eorum Criteri  
 p. 42. §. 56.

**Homicida** ad quid obligetur p. 296. §. 21.

**Homicidii** Poena non est necessario capitalis p.  
 150. §. 87-89. sed in homicidio etiam doloso  
 potest dispensari p. 546. §. 13-16.

**Homo** quonam referendus, quid sit & ex qui-  
 bus constet p. 3. §. 6. sq. ejus essentia maxime  
 consistit in Voluntate p. 21. §. 74. homines  
 sunt diversæ Naturæ ac Speciei, p. 22. §. 75.  
 homo secum ipse diffidet p. 22. §. 76.

**Hominum** diversitas & inde deductæ Conclufi-  
 ones p. 23. §. 79. sqq. Homo homini maxime  
 prodest vel obest p. 50. §. 82. unusquisque al-  
 terius eget ope c. l. §. 83. sq. non est capax  
 amoris vel odii omnium p. 51. §. 85. homi-  
 ne nihil inconstantius c. l. §. 86. de eadem  
 hominum inconstantia ac diversitate p. 53.  
 §. 91. non æque omnibus fidendum nec ipsi  
 pariter metuendi p. 56. §. 105.

Ho.



## II. RERUM.

*Hominis* Partes quænam? p. 74. §. 51. sqq. Homo est Creatura miserrima p. 304. §. 4.

*Honesti* erroneus Conceptus p. 71. §. 40. Principia Honesti quid? p. 154. §. 96. Honestum & Honesti Regulæ quid? p. 187. p. 72.

*Honores* an negligendi? p. 182. §. 55. eum Honores a solo Principe in Cives conferendi p. 555. §. 1. Honor quid & quomodo differat a Laude? p. 561. §. 13. debetur is saltem ex regulis Decori c. l. §. 14.

*Hosti* in hostem quid liceat? p. 607. §. 14. Hostis res quando & cuiusnam acquirantur p. 610. §. 18-20. de Hostium Pactis in ipso Bello initis horumque divisione p. 611. §. 21. sq. hæc cum hoste inita Pacta quomodo dissolvantur p. 612 §. 25.

*Humanitatis* Officia cur & quomodo præstanda? p. 305. §. 5. sqq. ea in casu Necessitatis vi extorqueri possunt p. 306. §. 8. ipsa Princeps in Statu Civili præcipere potest p. 307. §. 9. quot modis præstentur c. l. §. 10-12. in quonam consistant p. 308. §. 13. sqq.

*Humilitas* non differt a Modestia p. 286. §. 10. Humilitatis falsæ criteria p. 287. §. 11. ipsius effectus p. 287. p. 12. sq.

*Hypocrisis* Definitio, causa & criteria p. 244. §. 77. sq.

*Hypotheca* ac Pignoris differentia p. 379. §. 24.

*Ideæ* an dentur ac quomodo formentur p. 9. §. 27. sq. de earum diversa denominatione p. 12. §. 42.

T t 3

Igno-

## INDEX.

- Ignorantia* Divisiones inutiles p. 211. §. 36.  
*Imaginatio*: vid. titul. Phantasia.  
*Impatientia* damna p. 65. §. 18.  
*Impensarum* restitutio p. 399. §. 78.  
*Imperandi* libido p. 72. §. 45.  
*Imperium* & Consilium sunt Actionum humanarum Norma p. 99. §. 40. eorum convenientia & discrepantia p. 100. §. 41. Officia ex Imperio consilioque deducta p. 102. §. 49. Imperio coërcentur soli stulti p. 113. §. 85. de imperatium Officiis p. 309. §. 18. Imperium cur & quale competat Marito in Uxorem p. 152. §. 92. & 457. §. 23-27. Imperii Divisio in dominicum & paternum p. 139. §. 54. de Imperio absoluto p. 619. §. 5. sq.  
*Impietatis* Definitio p. 243. §. 74. ejus causa p. 244. §. 75. ac Divisio c. l. §. 76.  
*Impossibilia* s. contradictoria cur Deus nec velit nec possit facere p. 42. sq. §. 57. An impossibilia natura dentur? p. 49. §. 78. An & quatenus ad impossibilia obligemur, vel non p. 331. §. 27-29.  
*Impudentum* numerus est maximus p. 40. §. 49. eorum impedimenta c. l. §. 50. quomodo ipsi decipiant alios p. 41. §. 54. Vid quoque titul. Stultus.  
*Imputatio* in Præmium pœnamque quid sit p. 211. §. 32. sq. & 37. ubinam ea habeat locum? p. 213. §. 41. Ejus Etymologia c. l. §. 42. requisita ib. §. 43. Actiones Corporis & Intel-

## II. RERUM.

Sapientum p. 184. §. 61. de Mediis ad felicitatem perveniendi p. 185. §. 62. it. 186. §. 65. & 238. §. 56. felicitas interna in quonam consistat p. 185. §. 64. felicitas hujus & æternæ Vitæ p. 239. §. 60. sqq. de Mediis in specie ad felicitatem externam p. 279. §. 1. circa hanc quid præcipiat Jus Naturæ p. 520. §. 13. finis ejus quomodo obtinendus p. 521. §. 14. de feræ bestię Acquisitione p. 380. §. 29. sq. *Fictiones* sunt licitæ, imo necessariæ p. 355. §. 52. sq.

*Fidejussio* ejusque finis p. 423. §. 43.

de *Fœderibus* hominum cum Deo quid sentiendum p. 138. §. 51.

*Fœderum* utilitas ac Jus p. 585. §. 1. foedus quid? c. 1. §. 2. Præceptum generale circa fœdera p. 586. §. 3. eorum Divisio & Subdivisio c. 1. §. 5. sq. quot modis fœdera ineantur p. 587. §. 7. de fœderum bellicorum modis c. 1. §. 8. fœdera inæqualia quænam? c. 1. §. 9. eorum Divisio p. 588. §. 10. an Christiani cum Turcis foedus inire queant c. 1. §. 11. sq. cum quibus & quomodo fœdera ineunda p. 589. §. 13. fœderis Obligatio quando finiatur p. 590. §. 14. an Confoederatus seorsim Pacem inire possit? c. 1. §. 15.

*Forma* est activa p. 5. §. 14. ipsa dat Speciem ac Spiritum p. 6. §. 17.

*Furis* caedes cur sit licita? p. 269. §. 47. an quæque sit licita in Statu civili? p. 275. §. 63. fur & raptor ad quidnam obligetur p. 297. §. 25.

T c 2

Gen

## INDEX

**G**entium æqualitas p. 163. §. 125. sq. Gentel  
 nullo obligantur Pacto p. 165. §. 128. sq. de  
 Gentium Jure vid. sub titul. Jus &c.

**Gratus** (Matrimonii) communiter prohibiti  
 & an circa eos Princeps possit dispensare? p.  
 479. §. 58. sq.

**Gratia** ac Natura p. 241. §. 65. & p. 242. p. 68.

**Gratitudo** ipsique opposita ingratitude p. 319.  
 §. 42--45.

**H**erois veri quinam & quæ eorum Criteri  
 p. 42. §. 56.

**Homicida** ad quid obligetur p. 296. §. 21.

**Homicidii** Poena non est necessario capitalis p.  
 150. §. 87-89. sed in homicidio etiam doloso  
 potest dispensari p. 546. §. 13-16.

**Homo** quonam referendus, quid sit & ex qui-  
 bus constet p. 3. §. 6. sq. ejus essentia maxime  
 consistit in Voluntate p. 21. §. 74. homines  
 sunt diversæ Naturæ ac Speciei, p. 22. §. 75.  
 homo secum ipse dissidet p. 22. §. 76.

**Hominum** diversitas & inde deductæ Conclufi-  
 ones p. 23. §. 79. sqq. Homo hominī maxime  
 prodest vel obest p. 50. §. 82. unusquisque al-  
 terius eget ope c. l. §. 83. sq. non est capax  
 moris vel odii omnium p. 51. §. 85. homi-  
 ne nihil inconstantius c. l. §. 86. de eadem  
 hominum inconstantia ac diversitate p. 53.  
 §. 91. non æque omnibus fidendum nec ipsi  
 pariter metuendi p. 56. §. 105.

Ho.

## II. RERUM.

- Hominis Partes* quænam ? p. 74. §. 51. sqq. Homo est Creatura miserrima p. 304. §. 4.
- Honesti* erroneus Conceptus p. 71. §. 40. Principia Honesti quid? p. 154. §. 96. Honestum & Honesti Regulæ quid? p. 187. p. 72.
- Honores* an negligendi ? p. 182. §. 55. eur Honores a solo Principe in Cives conferendi p. 555. §. 1. Honor quid & quomodo differat a Laude? p. 561. §. 13. debetur is saltem ex regulis Decori c. l. §. 14.
- Hosti* in hostem quid liceat? p. 607. §. 14. Hostis res quando & cuiam acquirantur p. 610. §. 18-20. de Hostium Pactis in ipso Bello initis horumque divisione p. 611. §. 21. sq. hæc cum hoste inita Pacta quomodo dissolvantur p. 612 §. 25.
- Humanitatis* Officia cur & quomodo præstanda? p. 305. §. 5. sqq. ea in casu Necessitatis vi extorqueri possunt p. 306. §. 8. ipsa Princeps in Statu Civili præcipere potest p. 307. §. 9. quot modis præstentur c. l. §. 10-12. in quonam consistant p. 308. §. 13. sqq.
- Humilitas* non differt a Modestia p. 286. §. 10. Humilitatis falsæ criteria p. 287. §. 11. ipsius effectus p. 287. p. 12. sq.
- Hypocrisis* Definitio, causa & criteria p. 244. §. 77. sq.
- Hypothecæ* ac Pignoris differentia p. 379. §. 24.
- Ideæ* an dentur ac quomodo formentur p. 9. §. 27. sq. de earum diversa denominatione p. 12. §. 42.

## INDEX.

- Ignorantia* Divisiones inutiles p. 211. §. 36.
- Imaginatio*: vid. titul. Phantasia.
- Impatientia* damna p. 65. §. 18.
- Impensarum* restitutio p. 399. §. 78.
- Imperandi* libido p. 72. §. 45.
- Imperium* & Consilium sunt Actionum humanarum Norma p. 99. §. 40. eorum convenientia & discrepantia p. 100. §. 41. Officia ex Imperio consilioque deducta p. 102. §. 49.
- Imperio coërcentur soli stulti p. 113. §. 85. de imperatorum Officiis p. 309. §. 18. Imperium cur & quale competat Marito in Uxorem p. 152. §. 92. & 457. §. 23-27. Imperii Divisio in dominicum & paternum p. 139. §. 54. de Imperio absoluto p. 619. §. 5. sq.
- Impietatis* Definitio p. 243. §. 74. ejus causa p. 244. §. 75. ac Divisio c. l. §. 76.
- Impossibilia* s. contradictoria cur Deus nec velit nec possit facere p. 42. sq. §. 57. An impossibilia natura dentur? p. 49. §. 78. An & quatenus ad impossibilia obligemur, vel non p. 331. §. 27-29.
- Imprudentum* numerus est maximus p. 40. §. 49. eorum impedimenta c. l. §. 50. quomodo ipsi decipiant alios p. 41. §. 54. Vid. quoque titul. Stultus.
- Imputatio* in Præmium poenamque quid sit p. 211. §. 32. sq. & 37. ubinam ea habeat locum? p. 213. §. 41. Ejus Etymologia c. l. §. 42. requisita ib. §. 43. Actiones Corporis & Intel-

## II. RERUM.

tellectus non imputantur p. 213. §. 44. sq.  
quibusnam Præmia ac Pæna imputentur p.  
214. §. 50. sqq. de Imputatione Promissorum  
c. l. §. 50. sqq. de Beneficiorum Imputatio-  
ne p. 216. §. 56. de damni Imputatione c. l.  
§. 57. sq. nugæ Scholasticorum de Imputa-  
tione p. 217. §. 59.

*Incestus*, quid de eo sentiendum? p. 151. sq.  
sq. §. 91. adversatur non quidem regulis  
justi, sed tamen decori p. 477. §. 55. sq. quo-  
modo prohibendus p. 478. §. 57.

*Individuo* uno cognito, novimus cætera p. 6.  
§. 18.

*Infamia*. Vid. sub titul. Fama.

*Infiniti* an detur Idea perspicua? p. 222. §. 17. de  
Infinitatis diversitate p. 223. §. 18. infiniti  
conceptus unde incipiat p. 224. §. 19. est is &  
positivus & negativus c. l. §. 20. sq. ejus no-  
scitur existentia, non vero essentia p. 225. §. 22.  
Infinitas Dei quatenus cognoscatur c. l.  
§. 23.

*Ingenii* excellentis criterium p. 11. §. 38.

*Ingratitudo*. Vid. Gratitude.

*Injuria* quid sit p. 128. sq. §. 26. an ejus vindicta  
sit licita p. 269. §. 48. quomodo perferenda  
p. 272. §. 56.

*Innocentem* an & quatenus occidere liceat p.  
277. §. 68.

*Inquisitio* quomodo instituenda p. 550. §. 20.

*Instinctus* naturalis p. 140. §. 57.

## INDEX

*Intelligendi* ac volendi Potentia quomodo differant p. 8. §. 23.

*Intellectus* Definitio p. 8. §. 24. quænam per Intellectum cognoscamus p. 10. §. 31 de Intellectu activo & passivo c. l. §. 32. & 34. in quo consistat c. l. §. 33. de Intellectu puro p. 11. §. 36. de Intellectus motu p. 14. §. 51. ejus actiones sunt immanentes p. 20. §. 69. ipsius corruptio p. 63. sq. §. 12. sq.

*Interpretatio* S. Scripturæ quænam præferenda p. 147. sq. §. 79. Interpretatio quatenus requiratur in Jure p. 430. §. 1. ejus utilitas & contemptus c. l. §. 2. Scriptores de ea quænam? p. 431 §. 3. item restauratores ipsius p. 432 §. 4. ejus divisio & definitio hujusque ratio c. l. §. 5-10. de Interpretatione Logica V. regulis comprehensa p. 435. §. 15-21. falsæ regulæ quænam p. 437. §. 22-26. Regulæ Interpretationis allegoricæ p. 439. §. 27.

*Interrognum* & *Interrex* hujusque Jus p. 637. §. 38.

*Invisibilia* quomodo operentur & quid sint. p. 2. §. 4. sq. eorum effectus p. 5. §. 15.

*Invitum* quid? p. 212. §. 40.

**J***Oci* urbani an in Conversatione immiscendi? p. 346. §. 24.

*Judici* qualis ordo a Principe præscribendus p. 538. §. 29.

*Judicii* solidi criterium p. 11. §. 38.

*Juramenti* Definitio p. 358. §. 1. necessitas c. l. §. 2. an



## II. RERUM.

2. an sit licitum ? p. 359. §. 3. jurandi abusus  
ortus a Papatu p. 360. §. 4. seq. Juramentorum  
Divisiones p. 361. §. 6. finis c. l. §. 7. de Jure-  
jurando super re illicita ac impossibili p.  
362. §. 8-10. ejus requisita p. 363. §. 11. sq. an in  
Juramentis Deo aliquid promittatur p. 363.  
§. 13. de Juramentis per res charissimas ac vi-  
lissimas p. 364. §. 14. sq. de eorum effectibus  
p. 365. §. 16. de ipsorum Interpretatione c. l.  
§. 17. sq. cur pejerans gravius peccet, quam  
nude promittens ? p. 366. §. 19. Juramenti Dif-  
ferentia a promisso nudo c. l. §. 20. de relaxa-  
tione Juramenti p. 367. §. 21. Præcepta Juris  
Nat. de Juramentis c. l. §. 22. sqq. de Juramen-  
tis per falsos Deos p. 368. §. 27. de Juramen-  
tis infidelium p. 370. §. 29. sq.

*Juris* Vocabulum quid denotet ? p. 122. §. 1. Jus  
differt a lege p. 127. §. 20. quatenus non obliget  
c. l. §. 21. differt quoque ab Obligatione ib. §.  
22. de Jure connato & acquisito p. 128. §. 23.  
sq. de opposita Juri injuria p. 128. sq. §. 26. in  
quonam Jus conveniat cum obligatione p.  
129. §. 27. & in quo ab ea differat c. l. §. 28.  
sq. Hobbesius male Jus deducit ex Pacto p.  
130. §. 31. sq.

*Jus* imperfectum Grotii exploditur p. 132. §. 33.  
alia Divisiones ac Subdivisiones Juris. p. 132.  
§. 34. sqq. Jus Naturæ & naturale non dif-  
ferunt p. 133 §. 37. de Jure Naturæ late & stri-  
cte sic dicto p. 134. §. 38. sq. Jus positivum

T t §

quan-

## INDEX

quando obliget c. l. §. 40. & quatenus sit humanum p. 135. §. 43. Jus Nat. quatenus sit divinum c. l. §. 44. & quatenus immutabile p. 158. §. 106-111. Juris variæ Divisiones ac Subdivisiones p. 161. §. 115. an Jus Naturæ cadat in bruta? p. 161. §. 117. circa Jus Gentium Quæstiones controversæ p. 162. §. 120. ejus homonymia p. 163. §. 121. sqq. Jus universale quid? p. 165. §. 130. Principiorum Juris Natur. neglectus p. 166. §. 1. eorum indagatio per Grotium aliosque c. l. §. 2. ipsorum scopus ib. §. 3. quid per hæc Principia intelligatur p. 167. §. 4. Requisita Principii Juris Natur. c. l. §. 5. de Principiis falsis Juris Nat. p. 168. §. 6-41. genuinum Juris Natur. Principium quodnam? p. 177. §. 42-52.

*Justitiæ* Divisio in commutativam ac distributivam. item explettricem & attributricem rejicitur p. 132. §. 34.

*Justitiæ* divinæ & humanæ differentia p. 148. §. 81.

*Justus* quis dicatur p. 130. §. 30.

*Justum* quid? p. 187. §. 74.

**L**abor quatenus qualisque requiratur Sapientis p. 257. §. 23. sqq. a læsione aliorum quomodo & cur abstinendum p. 289. §. 1-4. læsio quid & Confectaria inde deducta p. 291. §. 7. de læsione. ultra dimidium p. 405. §. 13.

La-

## II. RERUM.

**Latrocinium Gentium** p. 444. §. 10. Laus quid? p. 561. §. 13. debetur saltem ex Regulis decori c. l. §. 14.

**Legati** Definitio P. 592. §. 2. ejus divisio ac Subdivisio p. 593. §. 3. quis Legatos mittere possit c. l. §. 4. quam re indigeant ad legitimandam suam Personam c. l. §. 5. sq. quænam erga eos officia? p. 594. §. 7.-17. de ipsorum Privilegio Religionis p. 600. §. 18. an etiam gaudeant Privilegio Jurisdictionis p. 601. §. 19. sq.

**Legis** vocabulum quid significet? p. 122. . 2. Lex stricte dicta quid? c. l. §. 3. lex latealis quid? p. 123. §. 5. de Virtutibus legis p. 125. §. 15. non omnis lex est pœnalis p. 126. §. 16. nec disjunctiva c. l. §. 17. an leges disjunctivæ sint pœnæ ib. §. 18. leges divinæ forenses cur nos non obligent p. 134. §. 41. sq. legum divinarum valor & necessitas c. l. §. 45. sq. lex naturalis quid? p. 136. §. 47. legum naturalium necessitas ac utilitas p. 140. §. 58. sqq. legum divinarum humanarumque diversitas p. 143. §. 64. de legibus divinis universalibus quid sentiendum? p. 147. §. 75-78. & p. 151. §. 90. legis Natur. homonymia p. 153. §. 95. sqq. leges divinæ & naturales solæ sunt immutabiles p. 157. §. 104. sqq. legum positivarum & humanarum necessitas p. 160. §. 112. de lege scripta & non scripta p. 162. §. 118. legum divinarum divisio p. 160. §. 114. & 116. legis Rhodiz

## INDEX

diæ de jactu æquitas unde desumenda p. 278.  
§. 69. de legum civilium scopo p. 531. §. 8. sq.  
legum Publicato cur qualisque requiratur p.  
534. §. 12. quatenus leges obligent Subditos  
c. l. §. 13. sq. de legibus criminalibus & capi-  
talibus p. 542. §. 7.

*Leges fundamentales.* Vid. titul. *Capitulatio.*

*Lenocinii turpitude* p. 476. §. 54.

*Liberi.* Vid. titul. *parentes &c.*

*Libertas* intrinsecæ *Voluntati humanæ* non  
competit p. 58. §. 112.

*Libido* quomodo supprimenda p. 447. §. 5. de  
libidine vaga ejusque speciebus p. 151. §. 91  
& p. 466. §. 35. sqq.

*Lingvarum origo* p. 343. §. 9.

*Locatio Conductio* quid ejusque requisita p.  
411. §. 25.

*Logomachie vitandæ* p. 349. §. 34. sq.

*Lotteria* quid & an licita? p. 414 §. 29.

*Ludi* an sint liciti p. 414. §. 29.

*Lupanaria* an sint toleranda in republ. p. 476.  
§. 54.

*Lytrum hosti solvendum* p. 609. §. 17.

**M***agi & Veneficæ* an & quales dentur? p.  
48. §. 76.

*Magistratus & Subditorum ortus* p. 513. §. 1. Plu-  
ra vid. sub titul. *Princeps.*

*Majestas* quid? p. 513. §. 1. de ejus acquirendi  
modo & causa p. 514. §. 2. sq. an *Majestas*  
com-

## II. RERUM.

Competat quoque Populo & an hic illam transferat in Principem c. l. sq. ejus attributa ac divisiones p. 516. §. 6-8. an §. 4. detur Majestas patrimonialis? p. 517. §. 10. an Clienti ac Vasallo Majestas patrimonialis? p. 517. §. 10. an Clienti ac Vasallo Majestas competat? p. 518. §. 11. de Majestaticorum Jurium requisitis & Divisionibus p. 524. §. 19-21. an Majestatem Princeps promittendo vel jurando minuat? p. 620. §. 9.

*Malitia* s. malarum Actionum gradus p. 120. §. 107. & 109.

*Malum* internum & externum quid? p. 111. §. 78. Malum omittendo sponte operamur bonum p. 203. §. 4.

*Mandati* homonymia p. 124. §. 11. quatenus Mandatarius mandantem obliget & quotuplex sit Mandatum 337. §. 47. sq. an Mandatum possit tolli aut revocari? p. 338. §. 50. sq. Mandatum quid & quæ Mandatarii officia? p. 419. §. 38.

*Materia* quid? & cur dicatur passiva? p. 4. §. 11. sq.

*Matrimonii* detrectatio non repugnat regulis justis p. 336. §. 35. sq. Ejus Finis p. 445. §. 1. de impulsu naturali ad Matrimonium incundum c. l. §. 3. hic impulsus quomodo fiat vitiosus p. 447. §. 4. variæ de Matrimonio Sentientiæ p. 448. §. 6. an ipsum præstet Coelibatu? p. 449. §. 7. an præcipiatur in S. Scriptura

## INDEX.

- ptura p. 450. §. 9. quid circa ipsum Princeps  
disponere possit? c. l. §. 10. ejus Definitio  
p. 451. §. 11. finis primarius ac media c. l. §.  
12. sq. requisita p. 452. §. 15. sqq. Variæ quæ-  
stiones decisæ p. 453. §. 18. sqq. de Matrimonio  
ad Morganaticam p. 469. §. 40. de Personis  
ad Matrimonium habilibus & inhabilibus p.  
470. §. 42. sqq.
- Melancholicus.* Vid. titul. Temperamentum.
- Membri mutilatio* qualis sit læsio? p. 293. §. 10  
de Obligatione ex ea p. 296. §. 22.
- Memoria* quid? p. 11. §. 38. excellentis Mem o  
criterium ibid.
- Mendacium* quid? p. 351. §. 41. Confer. titul. Ve-  
ritas.
- Menstruata*, cum ea Concubitus turpis & no-  
xius p. 151. §. 91.
- Meriti* Definitio p. 210. §. 31.
- Metus.* Vid. titul. Timor.
- Miracula* in S. Scriptura non fundata nec sunt  
recipienda p. 43. §. 58. de miraculi veri crite-  
rio c. l. §. 59.
- Miracula* cur non sint multiplicanda p. 44. §.  
60. quomodo differant ab admirando p. 45.  
§. 65. circa Miracula in genere notanda p.  
45. §. 66. sq. de Miraculis Moïsis & Christi eo-  
rumque differentia c. l. §. 67.
- Miseria* humanæ origo, causa, modus ac media  
contra eam p. 27. §. 95. p. 28. §. 101. sq. p. 63.  
§. 11. & p. 239. §. 57.
- de Mixtura* 1) ambitionis ac avaritiæ 2) Volu-  
ptatis

## II. RERUM.

ptatis & ambitionis 3) Voluptatis ac avaritiæ eorumque diversis effectibus p. 55. §. 102-104. & p. 83. §. 88-91. Mixtura Voluptatis & ambitionis est omnium optima p. 57. §. 109. mixtura ambitionis ac avaritiæ facit morosos difficilesque p. 58. §. 110. mixtura Voluptatis & avaritiæ efficit stultos p. 58. §. 111.

*Moderamen inculpatæ Tutelæ.* Vid. titul. Defensio.

*Modestia* requisita p. 283. §. 1.

*Monarcha* temporarius an detur? p. 517. §. 9. Monarchomachorum & Machiavellistarum duo extrema vitanda p. 519. §. 12. Monarchiæ Definitio ac Divisio p. 618. §. 3. sq. & 620. §. 8.

*Monitum* paternum quid? p. 124. §. 9.

*Morganatica* Vid. Matrimonium.

*Mors* quid? p. 252. §. 9.

*Mores* hominum cur & convenient & discrepent? 60 §. 1. Eorum Definitio hujusque ratio p. 60. §. 2. sq. Mores distingunt Sapientem a stulto p. 61. §. 6.

*Motus* boni & mali probe discernendi p. 47. §. 72. eorum criteria c. 1. §. 73.

*Mundus* ex quibusnam constet? p. 1. §. 3.

*Mutui* Definitio & requisita p. 417. §. 33.

*Mystica* Theologia. Vid. Theologia &c.

**N***aturæ* corruptio quomodo cognoscenda p. 1. §. 1. sq. Naturæ humanæ impotentia p.

# INDEX

49. §. 78. de Natura & Gratia p. 241. §. 65. & p. 242. §. 68.

*Naturalia*. supernaturalia, præternaturalia ac contranaturalia s. contradictoria quænam sint ac dicantur p. 44. §. 60 64.

*Naturalia* ac supernaturalia, imprimis bene distingvenda p. 48. §. 75. de Jure Naturæ vid. Jus. &c.

*Necessitas* cur exlex & quid? item ejus Divisio p. 275. §. 64-67. quid in Necessitatis Casu sit licitum Principi? p. 569. §. 10.

*Negatio* quid? p. 12. §. 40.

*Negotiorum* gestor ad quid obligetur? p. 419. §. 38.

*Neutralium* officia erga belligerantes horumque erga illos p. 613. §. 26. sq.

*Nocendi* modi hominum diversi ac media iis resistendi p. 35. §. 26. sq. non omnis nocet, qui nocere potest p. 51. §. 87. nocendi occasio quomodo devitanda p. 52. §. 88.

*Norma* quali opus habeat homo p. 1. §. 1. sq. Normæ Actionum humanarum Necessitas p. 88. §. 1. de ea diversæ Sententiæ p. 92. §. 15. in quo ea non consistat p. 93. §. 16. & sq. §. 31. sqq. & in quo consistat, nempe in Consilio ac Imperio p. 99. §. 40. causa diversæ hujus Normæ p. 116. §. 97. sq. duplices quoque sunt Personæ Normam hanc applicantes p. 117. §. 99. sqq. p. 206. §. 13. & p. 215. §. 15. sq.

No.



## II. RERUM.

*Novationis* Definitio requisita & effectus p. 427. §. 50.

**O**bligatio quid? p. 110. §. 75. sq. ea a vi & Seductione differt p. 111. §. 77. sqq. est interna vel externa ib. §. 79. 81. Obligatio sapientis ac stulti est diversa p. 113. §. 83. sqq. obligationis externæ gradus diversi p. 125. §. 14. de obligatione per famulos nostros p. 338. §. 49. obligationes quomodo dissolvantur p. 423. §. 44-56.

*Obscuritatis* sermonis sensusque verborum interni origo & causa p. 434. §. 11-13. in Obsides quid liceat hosti p. 612. §. 23. ad Obsidis munus Princeps subditos cogere potest p. 612. §. 24.

*Occupatio* est unicus modus acquirendi originarius p. 380. §. 25. ejus requisita c. l. §. 26. Definitio & divisio ibid. §. 27. sqq.

*Officia* erga Deum quot, & cur primo loco tractanda p. 218. §. 1-4. eorum finis p. 237. §. 54. Officia erga nos ipsos proxime nos continent post Officia erga Deum p. 249. §. 1. unde ea deducenda p. 250. §. 2-4. Præcepta generalia de his officiis p. 251. §. 5. sq. Circa Officia erga alios notandum Præceptum regularum Justi, de non lædendis aliis p. 289. §. 1. sq. & Præceptum quoque generale regularum decori de præstandis Humanitatis officiis ac Beneficiis p. 303. §. 1. sqq. officiorum Humanitatis obligatio interna p. 305. §. 6. de officiis aliorum respectu Domini p. 380. §. 75. de Officiis viventium in Societate p. 441. §. 1. sqq.

U<sub>n</sub>

Q<sub>u</sub>

## INDEX

*Officialium* necessitas p. 550. §. 1. ipsi sunt subje-  
cti Principis Imperio p. 551. §. 2. Officia pu-  
blica omnia a solo Principe dependent c. 1.  
§. 3. de *Officialium* requisitis p. 552. §. 4. qua-  
ratione *Princeps* circa Officia publica dispo-  
nere queat p. 553. §. 5. de Jure Principis in  
ipsofficialibus c. 1. §. 6. in Officiis publicis  
conferendis Personæ qualitas consideranda  
p. 554. §. 7. ipsorum quoque officiorum qua-  
litas attendenda p. 555. §. 8.

*Olla* fortunæ quid & num licita? p. 415. §. 30.

*Onera* quibusnam Personis possint imponi p.  
568 §. 8. quid circa ea potissimum observan-  
dum p. 569. §. 9.

**P**Acti Definitio p. 124. §. 10. & 323. §. 6. Pacta  
cur & quomodo sint introducta p. 322. §. 4.  
sq. eorum obligatio fluit ex regulis *Justi* p. 323.  
§. 7. Præceptum generale de Pactis ib. §. 8.  
Pactum quotuplex c. 1. §. 9. Requisita obli-  
gationis ex Pacto p. 324. §. 10. qualis ad Pacta  
consensus requiratur p. 324. §. 12. sqq. obli-  
gationem ex Pacto impedit dolus p. 327. §. 18.  
non vero error p. 328. §. 20. sq. an metus  
tollat Pactum? c. 1. §. 22. an victus bello te-  
neatur ad Pacta servanda? p. 330. §. 24. de  
Principis capti obligatione ex Pacto cum  
hoste inito c. 1. §. 25. an Pacta Principis cum  
Civibus metus obtentu rescindenda? p. 331.  
§. 26. Pactorum contra Leges prohibitivas  
initorum nullitas p. 332. §. 30. sqq. Pacta de  
re aliena p. 334. §. 36. item de rebus, ubi Jus  
in alios transtulimus p. 335. §. 38. Consensus

## II. RERUM.

in Pacta Declaratio p. 337. §. 45. sq. & obligatio ex eo p. 339. §. 53. Pacta & Contractus an differant p. 340. §. 54. & p. 408. §. 19.

**Parentes**, ergo eos quænam liberis incumbat obligatio p. 482. §. 2. & p. 490 §. 16. de Patria Potestate c. l. §. 3-10. de Parentum officio in liberis educandis p. 488. §. 11-15. de specialibus liberorum erga Parentes Officiis p. 491. §. 17. sqq. Patria Potestas quando desinat p. 492. §. 20.

**Passio dominans & infima** quid? p. 53. §. 92. de Passionis & infimæ irritatione c. l. §. 93. in quo differant Passio dominans ac infima c. l. §. 94. de Passionum gradibus motuque subtili p. 54. §. 95. de earum mutatione c. l. §. 96. sq. & Prærogativa p. 83. §. 86. earum mixtura est infinita c. l. §. 87.

**Passio infima an supprimenda?** p. 204. §. 6. de Passionum Emendatione necessaria p. 89. §. 6. Confer. quoque Mixtura item Affectus & Temperament.

**Pater** ejus conceptus quid involvat? p. 139. §. 53. quadrat is in Deum c. l. §. 55. Patris affectus qualis sit in liberos p. 142. §. 62. applicatur hoc ad Deum p. 143. §. 63.

**Pax** quid operetur p. 615. §. 29. pro quibus in Pace fiat stipulatio p. 616. §. 32. de Pacis accessoriis, imprimis Gvarandis c. l. §. 33. Pacem firmatam quænam consequantur p. 617. §. 34.

**Poccati** causa an sit Deus? p. 229. §. 33. sqq.

**Pecunie** valor an a Principe determinari possit pro lubitu? p. 407. §. 15. de ejus augmento, diminutione ac evitanda fraude c. l. §. 16. de

Uua

iphus

## INDEX.

- ipſius emendatione* p. 408. §. 17. *Confer. titul. Pretium (eminens).*  
*Peregrini cur hoſpitiſ excipiendi?* p. 336 §. 33.  
*Perfidia tollit obligationem ac Contractum* p. 429. §. 55.  
*Permiſſio non ſpectat ad Virtutes legis* p. 127. §. 19.  
*Perſuaſio quid?* p. 124. §. 7.  
*Phantafia quid?* p. 11. §. 38.  
*Philantia. Vid. Amor ſui &c.*  
*Phyſica eſt baſis Studii Moraliſ* p. 26. §. 96.  
*de Phyſiognomicis Signis* p. 86. §. 96.  
*Pietatiſ Religioniſque Prætextuſ ipſiuſque di-*  
*mnium* p. 42. §. 55. & p. 70. §. 35.  
*Pignoriſ & hypotheçæ differentia* p. 379. §. 34.  
*de Pignoratitio Contractu* p. 422. §. 42.  
*Pœna ejuſque & Præmiuſ Diviſio* p. 114. §. 89. *Pœniſ*  
*Præmiuſque externiſ ſtulti, internis vero*  
*Sapienter moventur* p. 114. §. 89. ſq. *Pœna-*  
*rum gradus* p. 137. §. 14. & p. 533. §. 10. ſunt vel  
*naturaſ vel arbitrarie* p. 144. §. 65. *Pœnaſ*  
*humanaſ Juſ Naturæ ignorat, non tamen*  
*prohibet* p. 144. §. 66. *cur eaſ Juſ Nat. non*  
*determinet* p. 149 §. 83 ſq. & 546. §. 14. *Pœ-*  
*naſ cur Princepſ mitigare vel plane tollere*  
*queat* p. 149. §. 85. *Pœnarum Neceſſitaſ* p.  
 160. §. 113. & 533. §. 10. *it. p. 208. §. 21. ſqq. Pœ-*  
*næ quomodo irrogandæ* p. 539. §. 1. ſq. *Pœ-*  
*næ Definitio* p. 540. §. 3. *quiſ ſit punienduſ?*  
*c. 1. §. 6. & p. 544. §. 10. de earum & graduum*  
*Pœnæ cauſiſ* p. 541. §. 5. & *qualitate* c. 1. §. 6.  
*quinam actus puniendi, vel non* p. 542. §. 8.  
*ſq. ad Pœnam ſubeundam non obligatur de-*  
lio

## II. RERUM.

- Iniquus** p. 548. §. 17. de Prærequisitis irrogationis Poenarum p. 549. §. 19.
- Penitentia** vera in quo consistat p. 189. §. 82. sqq. quid sit? p. 190. §. 87. eius requisita p. 191. §. 89.
- Politica** quid? p. 188. §. 80.
- Pollitationes** an obligent? p. 324. §. 11.
- de **Polygamia** quid sentiendum? p. 191. §. 91. An ea sit licita, nec ne? p. 472. §. 47-52.
- Possessor** bonæ fidei ad quid obligetur? p. 297. §. 25.
- Possibilia** ac impossibilia homini p. 49. sq. 9. 79. de iisdem ratione & Animæ & Corporis p. 52. §. 90.
- Potestas** legislatória quid involvat? p. 526. §. 1. eius necessitas p. 527. §. 2. cuiam competat? p. 528. §. 3. sq. de eius abusu p. 530. §. 7.
- Præcepti** Definitio p. 125. §. 12. Præcipere quænam Princeps, nequeat p. 532. §. 9.
- Præjudiciorum** tam auctoritatis, quam Præcipiantia origo p. 17. §. 58. de Præjudiciis communibus eorumque causa ac Divisione p. 73. §. 47. Vid. quoque tit. Auctoritas &c.
- Premia** quibusnam, quomodo & a quo distribuenda? p. 208. §. 21. 23. & 25. item p. 210. §. 27. de Præmiorum Poenarumque in republ. necessitate p. 539. §. 1. Confer. tit. Poenæ &c.
- Præscriptioni** inter Gentes an leges civiles aliquid addere possint? p. 385. §. 42. ad eam non requiritur bona fides p. 386. §. 43. an debita pecuniaria præscribi possint? p. 386. §. 44. de Præscriptione regalium c. l. §. 45. sq. Vid. quoque tit. Usucapio.
- Præti** rerum origo & causa p. 400. §. 1. eius Definitio.

## INDEX

- finitio p. 401. §. 2. causa variantis Pretii c. 1.  
 §. 3. est vulgare vel eminens c. 1. §. 4. de hujus  
 necessitate p. 402. §. 5. cur ex auro & argen-  
 to consistat c. 1. §. 6. de Pretii hujus funda-  
 mento c. 1. §. 7. de officiis ratione ipsius ac  
 rerum æstimatione p. 403. §. 9. sq. de Pretio  
 Affectionis in res fungibiles p. 404. §. 11. sq.  
 An Pretium a Magistratu possit determinari  
 p. 406. §. 14. Confer. titul. Pecunia.
- Primogenitorum Jus** p. 622. §. 15. quid ratione  
 eorum a Pactis dependeat? p. 623. §. 16. quid  
 faciendum, si Primogenitus rempubl. admi-  
 nistrare nequeat? p. 625. §. 20.
- Principia innata an dentur?** p. 93. §. 16-18. Prin-  
 cipia Justi, Honesti & Deori quid? p. 186.  
 §. 69-71.
- Principis officium circa coactionem poenalem  
 & disciplinarem** p. 118. §. 100. sq. Ejus Sco-  
 pus & connexio cum Doctore Sapientiæ p.  
 119. §. 104. sq. ejus aptitudo unde? p.  
 120. §. 106. Ipsius officia p. 520. §. 13-15.  
 qualis Principi Potestas competat p. 522. §.  
 16. crudelitas Principe est indigna p. 523. §.  
 17. quænam Princeps præcipere nequeat p.  
 532. §. 9. de quibusnam possit disponere p.  
 534. §. 14. ei soli competit Potestas judicariæ  
 p. 535. §. 15. qua ratione eam exerceat p. 536.  
 §. 16. de Discrimine inter Principem ac Ju-  
 dicem inferiorem p. 537. §. 18. quid Principi  
 in Necessitatis casu licitum sit p. 569. §. 10.  
 cur & Principe & Doctore nobis opus sit? p.  
 574. §. 3. quænam actiones Principis Imper-  
 rio sint subjectæ p. 575. §. 5. sq. & 577. §. 8.

## II. RERUM.

sq. de Jure & Officio Ejus circa Sacra vid. tit. Sacra &c.

de Probabilismo Jesuitarum p. 96. §. 29.

Processus promovendus p. 538. §. 21. de forma Processus c. l. §. 22. de Processu criminali p. 550. §. 20.

Promissorum imputatio ac obligatio p. 214. §. 50-54. ad promissa illicita servanda an quis possit cogi? p. 334. §. 33. sqq. de Modo Promissionum diverso p. 335. §. 40. sq. de adjuncta Promisso conditione p. 336. §. 42-44. an Promissum acceptari queat nomine alterius sine Mandato p. 319. §. 152. Promissi requisita p. 363. §. 11. sq. ejus Differentia a Juramento p. 356. §. 19 sq. de Promissis loco Juramenti receptis p. 367. §. 22.

Proprietas rerum cur sit introducta p. 374. §. 9.

Protoplastorum Status cur nobis parum constet? p. 146. §. 74.

Providentiæ divinæ certitudo p. 232. §. 43.

Prudentia quid & quotuplex? p. 188. §. 80.

Pudor rationalis & irrationalis p. 191. §. 88.

Pupillus vid. sub Tutela.

**Q**uærorum error principalis quis? p. 242. §. 68.

Quies nostra turbatur nimis cupiditatibus p. 70. §. 38. ea quomodo tamen sit obtinenda p. 204. §. 5.

**R**atiocinatio in qua consistat p. 9. §. 29. ejus & Ratiociniorum duplex Objectum p. 12. §. 41.

Reflexio Hominis triplex ejusque abusus p. 63. §. 13.

## INDEX

**Regule** Morales obligant omnes p. 156. §. 103.  
 Regulæ Justi, Decori & Honesti sunt conjungendæ p. 186. §. 66. earum connexio inter se c. 1. §. 67. & distinctio c. 1. §. 68. ipsarum Definitio p. 187. §. 72-74. Præcepta de iisdem p. 189. §. 81. sqq. & p. 197. §. 106-116.

**Regnum** despoticum quid? p. 619. §. 7. de Regnis successivis & electivis p. 622. §. 12. & 15. Regna quomodo acquirantur & amittantur p. 634 §. 1-5.

**Religio** juvat externam quoque reipubl. felicitatem p. 573. §. 1. cur Religio ipsa Principi non sit subjecta p. 575. §. 5. & 577. §. 8. sq. de crimine Persecutionis propter Religionem p. 578. §. 10. de Bellis, Inquisitione &c. propter Religionem c. 1. §. 11. de Religionum Tolerantia p. 579. §. 13. de Poena errantium in Religione p. 580. §. 14.

**Religionis** Definitio & Effectus p. 428. §. 52.

**Renunciatio**, pro se suisque liberis in Regno successivo p. 622. §. 21.

**Rerumpubl.** formæ diversæ, Divisio & Definitio p. 617. §. 1. sq. de Rebusp. mixtis p. 630. §. 30. quomodo ipsæ differant a Systemate Civitatis c. 1. §. 31. de Rebusp. irregularibus p. 631. §. 34. quænam Reip. forma alteri præferenda? c. 1. §. 35. de Rerump. Mutationibus p. 636. §. 6. sq. Vid. quoque titul. Civitas, item de Rerumpubl. utilitate ac necessitate p. 508. §. 3. de ipsarum origine c. 1. §. 4-9. an Resp. extiterint in Statu Integritatis p. 511. §. 10.

**Res nullius** quænam? p. 373. §. 8.

R.



## II. RERUM.

*Reservatio mentalis* p. 350. §. 38.

*Restitutio* in duplum, triplum, quadruplum p. 298. §. 26. Plura vid. p. 399. §. 76-80.

*Revelatio*. Vid. sub. titul. *RATIO*.

*Risus* non omnis damnandus p. 192. §. 90. sq.

**S***Abbatii Præceptum* unde deducendum? p. 248. §. 87.

*Circa Sacra Jus & Officia Principis* p. 581. §. 18-25.

*Salus* Vid. titul. *Felicitas*.

*Sanguis* ex quibusnam constet partibus p. 74.

§. 52. sqq. hæ partes sunt inæquales c. l. §. 57.

ejus pars dominans indicat Temperamen-

tum p. 75. §. 58. Sanguinis varietas varios pro-

ducit effectus c. l. §. 62. Sanguis an comen-

dendus? p. 153. §. 93. sq. & p. 371. §. 3. sqq.

Vid. quoque titul. *Temperamentum*.

*Sanitas* quomodo conservanda p. 252. §. 10. sqq.

*Sapiens* quomodo se stultis accommodet p. 62.

§. 8. Sapiens perfecte non datur p. 91. §. 9.

Sapiens solus felix p. 184. §. 61. causa quere-

læ de Sapiantum paucitate ejusque effectus

p. 321. §. 1-3. quomodo Sapientes a stultis di-

gnoscendi p. 89. §. 4. Sapientis titulum quis

mereatur p. 39. §. 46. Sapientes hodiernum

dantur p. 206. §. 14. de eorum auctoritate p.

207 §. 17-19. Potentia p. 208. §. 20. Raritate p.

210. §. 26.

*Sapientie* initium quodnam? p. 61. §. 4. sq. Sa-

pientie quis est capax p. 87. §. 100. de Sa-

pientia veterum p. 89. §. 3. Sapientie unus

præ altero capacior p. 91. §. 10. de Mediis s.

via ad Sapientiam c. l. §. 11. de *Sapientia Se-*

Uu §

num

## INDEX.

- num Juvenumque p. 92. §. 12. Sapientiae gra-  
 dus diversi p. 201. §. 119.
- Satio* quotuplex? p. 391. §. 57.
- Satisfactionis* requisita p. 423. §. 45 sqq.
- Scandalum* omne vitandum p. 311 §. 22. & 24.
- Schola*, Seminaria, Academiae &c. quodnam  
 circa ea Jus & quæ Officia sint Principis? p.  
 584. §. 26. sq.
- Scortationis* Definitio ac turpitude p. 467. §. 37.
- Scripturae* S. ratio non contradicit p. 147. §. 79. sq.
- Securitas* omnis vitanda p. 196. §. 104.
- Sensibilem* amor stultus p. 65. §. 18.
- Sensuum* in externos ac internos Divisio & De-  
 finitio p. 7. §. 30. Cognitionis per *Sensum* ac  
 per *Intellectum* Differentia p. 10. §. 31. Sen-  
 sationes an & quomodo ad *Intellectum* refe-  
 ferendæ p. 10. §. 33.
- Sensus* Mysticus, ænigmaticus vel occultus &  
 literalis p. 439. §. 28.
- Sepultura* cur & qualis debeatur mortuis? p. 637.  
 §. 1. sq. an Cadavera delinquentium non se-  
 peliendæ? p. 638 §. 3. de Jure Principis circa  
*Sepulturam* p. 639. §. 4-6. an *Sepultura* in  
 Templis concedenda? p. 640. §. 7.
- Sermo* quid sit? p. 341. §. 2. quatenus requiratur  
 c. l. §. 3. ejus Signa c. l. §. 4. sq. causa p. 342.  
 §. 6. ejus convenientia cum rebus c. l. §. 7.  
 sq. de ipsius lingvarumque ortu p. 343. §. 9.  
 ejus finis p. 344. §. 10. sq. Præcepta circa Ser-  
 monem c. l. §. 12. sqq. de *Sermone* circa Adia-  
 phora p. 346. §. 23. *Sermo* qualis esse debeat  
 p. 347. §. 27. sq. quænam in *Sermone* vitan-  
 da c. l. §. 29. *Sermo* obscurus unde oriatur?  
 p. 431. §. 11. sqq.

Ser-

## II. RERUM.

**Servitus** a nobis ipsismet appetitur p. 72. §. 42. ad eam diversimode trahimur c. l. §. 45. de Servitute personali p. p. 378. §. 20. sq. de Servitutis realis translatione p. 379. §. 22. ejus Definitio, requisita &c. c. l. §. 23.

**Servi** natura an dentur? p. 498. §. 1. de Servitute in genere quid dicet Jus Naturæ? p. 499. §. 2. ejus causa, requisita, qualitas & Species f. Divisiones c. l. §. 3-7. generale Præceptum de mutuis Domini ac Servi officiis p. 502. §. 8. de fuga Servi licita p. 503. §. 12. de specialibus Servorum officiis p. 506. §. 18. de Modis Servitutum dissolvendi p. 506. §. 19.

**Simulatio** & dissimulatio licita p. 354. §. 51.

**Socialitatis** Defensores & Impugnatores p. 175. §. 34

**Societatis** fuga noxia p. 195. §. 98. sq. Confer. titul. Conversatio.

**de Societatis** conjugalis fine p. 445. §. 1. Plura vid. sub titul. Matrimonium. De Societate herili & paterna vid. titul. Parentes, item Dominus &c.

**Socinianorum** Error principalis quis? p. 242. §. 68.

**Sodomie** turpitude p. 151. §. 91.

**Solitudo** fugienda p. 194. §. 97. sqq. ejus damna p. 195. §. 100.

**Solutionis** Definitio, requisita, Effectus & Modi p. 425. §. 48. sqq.

**Specie** cur homines differant? p. 6. §. 19.

**Specificationis** Definitio & requisita p. 389. §. 51.

**Spei** Metusque Cognitio est pernecessaria p. 30.

§. 3. Spei Definitio p. 31. §. 9. ipsa requirit vim c. l. §. 17. ea connascitur Affectibus primariis c. l. §. 12. Spes datur sine metu c. l. §. 15. ea licet

non

## INDEX

- non generetur, augetur tamen externe ac inter-  
ne p. 36. §. 31. sq. de Spe rationali & irrationali  
illius emolumentis, hujus vero damnis p.  
37. §. 35. Spei diversitas p. 38. §. 41. sq. & p. 50.  
§. 80. Ejus varia Divisio p. 38. §. 42. sq. Spe  
omnes nostras Actiones dirigit p. 39. §. 44.  
cur Spes in nemine ponenda p. 52. §. 89. Spe  
vana impossibilium p. 69. §. 32.
- Spiritus* quomodo agat in Corpus p. 6. §. 16. ejus  
essentiam ratio non cognoscit p. 7. §. 20.
- Sponsio* quid? ejusque requisita p. 413. §. 27. & p.  
591. §. 17. ex sponsione Ministri an Princeps  
obligetur c. l. §. 18. Sponsor ad quid sit obliga-  
tus p. 192. §. 19.
- Spontaneum* quotuplex? p. 212. §. 39.
- Stipulæ* Jus in quonam consistat p. 313. §. 28
- Status* civilis Origo p. 507. §. 1. quid circa hunc  
Statum præcipiat Jus Naturæ c. l. §. 2. Status  
naturalis quid? p. 73. §. 48. & p. 441. §. 2. Ejus  
delineatio p. 442. §. 3. ipsius felicitas c. l. §. 4.  
falsus, de eo conceptus c. l. §. 5. ejus compara-  
tio cum Statu civili, tanquam præstantiori p.  
443. §. 6. sq. de hodierno Statu naturali in-  
ter Gentes p. 444. §. 8. intuitu hujus Status  
nulla Gens nullaque Respubl. aliqua gaudet  
Prærogativa c. l. §. 9. & p. 561. §. 15.
- Studia* quænam maxime commendanda? p. 261.  
§. 31. sq.
- Stultorum* Divisio in astutos & stupidos p. 39.  
47. sq. Stulti diversi quomodo, diversimode  
sunt tractandi p. 208. §. 21-24.
- Stultitia* hominum communis p. 62. §. 10. & p.  
88. §. 2. Stultitiæ Criteria p. 91. §. 8. de Stultiti-  
a

## II. RERUM.

*Vitæ gradibus variis* p. 116. §. 93-96. ubinam radices agat Stultitia? p. 89. §. 5. & p. 257. §. 22.

*Turpi* Definitio & turpitude p. 466. §. 36.

*Stylus* Sapientis qualis sit p. 348. §. 30. sqq.

*De Subditorum* officiis p. 309. §. 18. & p. 324. §. 18. sq. ipsis num liceat aliunde Jus petere? p. 537. §. 19.

*Successionum* controversias finiendi optimum medium quodnam? p. 398. §. 74. Successio quibusnam competat? p. 624. §. 17. an etiam feminis? c. l. §. 18. de Jure Successionis Castilianæ p. 625. §. 19. de Jure successionis inter gentes p. 626. §. 22.

*Successio* ab intestato unde orta & an Juris Naturæ sit? p. 396. §. 69. sq. de ejus fundamento p. 397. §. 71.

*Superbia* quid & quare vitanda? p. 283. §. 2. ejus gradus quinam? c. l. §. 3-9.


*Superstitionem* comitatur temeritas p. 42. §. 55. ejus definitio & Comparatio cum Atheismo p. 245. §. 80.

*Systema* Civitatum ac dubia in illo decidenda p. 630. §. 31. sq. quomodo differat ab unione Regnorum p. 631. §. 33.

**T***emperamenta* hominum differunt p. 73. §. 49. Temperamentum quid? p. 75. §. 58. est triplex c. l. §. 59-61. Eorum effectus diversi c. l. §. 62-65. Temperamenti non datur cognitio perfecta, sed saltem generalis p. 76. §. 66. sq. Characteres (1) Sangvinei s. voluptuosi p. 77. §. 70. (2) Cholericis s. ambitiosi c. l. §. 71. (3) Melancholici s. avari p. 78. §. 72. *Doctes animi* (1) sangvinei p. 78. §. 73. (2) Melan-

cha

## INDEX

- cholici c. l. §. 74. (3) Cholericus p. 79. §. 75.  
 Quomodo se gerant (1) Sangvinei p. 79 §. 76-79. (2) Cholericus p. 80. §. 80-82. (3) Melancholici p. 81. §. 83-85.
- Temperamentum* ita dictum phlegmaticum est tantum mixtura quædam p. 84. §. 91. Temperamentum ipsum non mutatur p. 85 §. 92. sq. licet varia concurrant ac cooperentur p. 84. §. 92. Confer. titul. Mixtura &c.
- Testamenti* Definitio p. 392. §. 60. sq. Testamenti Jus Naturæ ignorat p. 393. §. 63. per ea haud fit Translatio Testatore vivo c. l. §. 64. Testamenti condendi Jus an ex Animæ immortalitate sequatur? p. 394. §. 65. Testamenti unde orta? c. l. §. 66. An & quomodo obligent? p. 395. §. 67. an reipubl. expediant? c. l. §. 68.
- Theologiæ* Mysticæ subtilitates inutiles p. 48. §. 74.
- Timor* quomodo externe excitetur p. 34. §. 24. & p. 35. §. 28. sq. ejus Divisio in rationalem ac irrationalem p. 37. §. 34. ipsius diversitas ratione boni malique p. 38. §. 41. est divinus vel humanus c. l. §. 42. dirigit nostras Actiones p. 39. §. 44. ejus diversitas p. 50. §. 80. timor vanus possibilium p. 69. §. 32. Alia Divisio Timoris p. 125. §. 13. an Timor tollat Pactum? p. 328. §. 22.
- Traditionis* Definitio & requisita p. 382. §. 36. ejus necessitatem ignorat Jus Naturæ p. 383. §. 37.
- Tranquillitas*. Vid.  Quies it. felicitas.

## II. RERUM.

*Transactionis* Definitio, requisita & effectus p. 428. §. 53.

*Transitus* per Territorium & Mercium alienarum an concedendus? p. 312. §. 25-27. de Translatione Juris utendi p. 378. §. 18. Translationis modus derivativus in quo consistat p. 382. §. 34. sqq. de Translatione tacita p. 383. §. 38. de Translatione Domini per ultimam Voluntatem p. 392. §. 59.

*Trinitatis* Mysterium ex sana Ratione nequit probari p. 228. §. 30. Tutela quid de ea dicet Jus Nat. item de Tutoris Potestate & officiis tam ipsius, quam Pupilli p. 493. §. 21-29. Tutelæ Administratio quamdiu dureret p. 498. §. 30.

*Tyrannis* quotuplex? p. 632. §. 36. sq. Tyrannus in exercitio quis dicendus? p. 633. §. 39.

*Vedigalium* Jus p. 313. §. 29.

*Veneficæ* an qualesque dentur? p. 48. §. 76.

*Veritas* cur nec bona nec mala? p. 66. §. 21-24. & p. 352. §. 44. de Veritate falsa & fucata p. 67. §. 25. media ad Veritatis cognitionem p. 253. §. 15. quænam ejus criteria p.

*Verum* a verosimili discernendum c. l. §. 17. Veritatis cognitio est necessaria p. 350. §. 39. ejus homonymia & Definitio c. l. §. 40. Præceptum Juris Nat. de dicenda Veritate p. 351. §. 42. Veritas quando celanda p. 352. §. 45. de Veritatum abusu c. l. §. 46. Confectaria quædam p. 354. §. 49. sq.

de *Victoris* Juribus p. 614. §. 28.

V...

# •INDEX

*Vindicta* an sit licita? p. 269. §. 48. Vindicta optima quanam? p. 272. §. 55. sq. & 311. §. 21.

*Virginem* vitians ad quid obligetur? p. 297. §. 24.

*Virtutes* fucatae & simulatae p. 41. §. 52. sq.

*Vis* visibilis & invisibilis p. 59 §. 114. illa cum sit inimica? c. 1. §. 115. Invisibilis Vis subdivisio ibid. de Vi propulanda p. 269. §. 50. de Vi a Principe concessa p. 318 §. 37.

*Vita* quid? p. 252. §. 9. an in Vitam suam homo Jus habeat, & an ejus periculum subire debeat? p. 262. §. 34. sq.

*Vitiosi* quique simulant Virtutes p. 41. §. 53.

*Visibile* quid? p. 2. §. 5. Voluntas & appetitus sensitivus in quonam convenient & differant p. 13. §. 43. Voluntas quid? & quatenus conjungenda cum Intellectu c. 1. §. 44-47. ejus motio unde? ac Divisio p. 14. §. 48. sq. Voluntas movet Intellectum & Corpus, non vero ab illis movetur p. 15. §. 53. sq. quomodo moveat p. 16. §. 55. si ipsa potest cogi p. 20. §. 68. ejus actiones sunt transeuntia p. 20. §. 69. an ei competat electio ac libertas & quotuplex qualisque hæc sit p. 21. §. 70-74. non una, sed tres dantur Voluntates in uno eodemque homine p. 23. §. 83 in quo hæ tres Voluntates convenient & differant p. 24. §. 84-88. Voluntatis bonum diversum quodnam? & in specie quodnam Voluntatis ambiciosi, item avari & voluptuosi p. 27. §. 96-99. Voluntas & agitur patitur p. 30. §. 4.

*Voluptas* an omnis sit prohibita? p. 183. §. 57. sq.

*Voluptuosus* magis inclinatur ad juvandum, quam necessarium p. 57. §. 108. Confer. titulum Temperament.

*Vota* an obligent? p. 324. §. 11.

**U***scapio*, inter Gentes diversae Sententiae de ea p. 383. §. 39. ejus existentia ac fundamentum p. 384 §. 40. Vid. quoque titulum Praescriptio.

*Usura* an sint licitae p. 417. §. 34. sq.

*Usurpator* quis & an possit occidi? p. 632. §. 37. Usurpatio quamdiu duret? c. 1. §. 38.

*Usus*, ususfructus, & habitatio quomodo differant? p. 370 §. 21.

*Uxor* qualis sit ducenda? p. 449. §. 8.



# ERRATA TYPOGRAPHICA.

- P** Ag. 2. Nota b. dele p. 253.
- 5. linea 4. lege. Cap. 13.
  - 7. lin. 2. lege: quot.
  - 9. §. 21. lin. 7. lege: referuntur.
  - 10. §. 31. in Margine pro cogitationis lege: Cognitionis.
  - 11. §. 35. in Margine supple sqq.
- De eadem Differentia Intellectus activi & passivi.*
- 12. §. 38. in Margine lege: Criterium.
  - 15. §. 53. lin. 4. lege: Conversatione.
  - 18. §. 61. lin. 2. lege: alibi.
  - 43. lin. 5. lege: dictamen.
  - 55. §. 101. lin. 1. lege: Veneris.
  - 56. §. 104. lin. 4. lege: Amicitiam.
  - 69. §. 32. in Margine pro una lege: Vana.
  - 83. §. 87. lin. 6. lege: Colores.
  - 93. §. 16. lin. 5. lege: Lock.
  - 94. lin. 4. dele: rectam.
  - 101. §. 45. lin. 10. lege: Contentum.
  - 109. lin. 1. lege: impartiales.
  - - lin. 2. lege: adhibeat.
  - - lin. ult. deletur Semicolon.
  - 112. lin. 7. lege: item.
  - 127. lin. 8. lege: propius.
  - 123. §. 4. lin. 4. lege: viribus.
  - 140. §. 56. lin. 8. lege: quietem.
  - 141. lin. 6. lege: nonne.
  - 144. §. 67. lin. 11. lege: facile.
  - 149. §. 84. lin. 1. lege: posset.
  - 151. lin. 2. lege: etsi.
  - 173. (Nota a) linea 2. lege: Grotius.
  - 180. lin. 3. pro huc lege: hæc.
  - 184. §. 61. linea 3. pro insufficientia lege: in Sufficiencia.
  - 188. §. 80. linea 5. dele a)
  - 192. §. 90. lin. 5. pro 19. lege 29.
  - 193. lin. ult. pro cogitea lege: Cogita.
  - 195. lin. 1. pro Conservatiōnem lege: Conversatiōnem.
  - 196. §. 101. lin. 5. pro utique lege: ubique.
  - 197. §. 106. lin. 7. lege: mereantur.
  - 199. §. 111. dele Colon & pone post vocabulum: gradus.
  - 200. §. 117. in Margine adde sqq.
- Quo ordine hæc Regula applicanda.*
- 202. 217. in linea suprema pro

**pro Applicationis lege :  
Applicatione.**

- 806. lin. 2. pro qua lege: que.
  - 209. §. 25. lin. 1. pro utique lege: ubique.
  - 221. in linea suprema pro Kominum lege: Hominum.
  - 244. §. 76. lin. 2. pro Circumstia lege: Circumstantia.
  - 248. lin. 17. lege: futurarum.
  - 252. §. 20. lin. 3. lege: concessa.
  - 256. §. 20. lin. 9. lege: si querantur.
  - 264. §. 19. lin. 4. lege: opprobrium.
  - 277. §. 67. lin. 10. lege: utrum.
  - 302. lin. 6. lege: Aquilia.
  - 307. §. 10. lin. 2. lege: Exhibentur.
  - 321. §. 21. in Margine adde hæc sqq.
- Vindicta optima quenam?*
- 320. §. 45. lin. 7. pro altero lege: altero
  - 329. item 331. & 333. in linea suprema pro Pacientium lege: Paciscentium.
  - 339. lin. 3. pro Ergo lege: Ego.
  - 347. §. 28. lin. 4. lege: obsoleto.
  - 348. §. 30. lin. 1. lege: Stylum.
  - 353. lin. 5. lege: factum.
  - 362. §. 9. in Margine adde

sqq.

*Responsio ad limitationem  
Grotii.*

- 374. §. 10. in Margine post verba: de origine, supple omitta hæc verba sqq.
- Dominii §. Proprietatis verum.*
- 382. §. 34. lin. 4. lege: transferendi.
  - 383. §. 37. lin. 5. lege: nquiratur.
  - 391. §. 58. in Margine leg: Scriptura.
  - 394. §. 66. in Margine pro tora lege: orta.
  - 434. lin. 2. pro Sansum lege: sensum.
  - 439. §. 28. lin. 7. lege: apitalis.
  - 441. §. 1. in Margine pro certarion lege: certarum.
  - 449. §. 7. lin. 14. lege: convenientius.
  - 470. §. 43. in Margine adde sqq.
- De Personis ad Matrimonium inhabilibus.*
- 475. §. 52. in Margine supple hæc sqq.
- Polygamia successiva quatenus sit licita?*
- 479. lin. 2. pro iraitantur lege: irritantur.
  - 484. pro §. 5. bis posito altera vice lin. 17. lege: §. 6. & ibid. lin. 6. lege: interficiendi.

486. §. 9. linea 14. pro regulis lege: regulas.

489. in linea suprema pro Pareotum lege: Parentum.

§. 15. in Margine pro quod lege: quoad, & in hoc ipso §. lin. 10. lege: omnia Nutrimenta.

522. lin. 1. lege: subjectus. lin. ult. lege: subdidit.

528. §. 3. lin. 3. pro spensandi lege: dispensandi.

552. §. 4. lin. 14. pro hominis lege: homines.

559. §. 9. in Margine ita corrige: *Infamia fama*

*opposita quid?*

569. §. 9. in Margine lege: onera.

§. 10. in Marg. lege: Principi.

570. §. 1. lin. 2. pro plurimum lege: plurimum.

577. lin. 8. pro aliam lege: alium.

592. §. in Margine supple hæc: *Legati Definitio.*

601. §. 20. adscribe in Marg. sqq. *De honoribus titulis Legati.*

604. §. 7. in Margine adde sqq. *Bellum quatenus sit licitum?*

# CATALOGVS LIBRORVM LATINORVM, qui sumptibus NOVI BILLIOPOLII prodierunt.

**G**eorgii Beyerii specimen iuris Germanici 4.

*Bibliotheca academica* anni 1718 & 19, 4.

*Bibliotheca nouissima* obseruat. ac recens. 4.

Godofredi Boemigk digesta in ord. natur. reducta 8 & 4.

- - institutiones consonantes 8 & 4.

*Dubia* iuris naturae 4.

Irenaei Elpistii de eligenda religione 4.

*Etbica Cartesiana*, 8.

Georgii Franci de Franckenau Palingenesia 4.

Io. Christophori Franck de dominio rei filio familias fauore in patrem donatae patri vulgo, sed perperam tributo 4.

- - de successione liberorum matri in tutore ipsi petendo negligenti hodierno iure non adimenda 4.
- - institutiones iuris cambialis 8.
- - vindiciae verborum postremorum §. vit. I. de nuptiis aduersus emendationes intempestivas 4.
- Mich. Henr. *Gribneri* principia processus 8.
- - opuscul. select. iuris publici 4.
- Nic. Hieronym. *Gundling.* ad legem maiestatis 4.
- Nic. *Curtleri* institutiones theologicae 4.
- Mich. Gottlieb. *Habuschii* selecta moralia 4.
- Io. Gottlieb. *Heineccii* cultioris latinitatis fundamenta 1.
- - syntagma antiquitatum Romanarum iurisprudentiam illustrantium 8.
- Io. Mich. *Heineccii* de colloquiis religiosis 4.
- Christiani *Knaut* compendium botanicum 8.
- Polyseep. *Leyseri* historia poetarum & poematum mediæ ævi 4.
- Ioh. Petri de *Ludewig* Icti dica Jubileorum 4.
- - opuscula miscella II. tom. fol.
- - oratoria 8.
- - prerogativa Wurtembergici ducatus 4.
- Ludov. *Menskenis* tabulae synopticae Institutionum 1.
- - tabulae synopticae Pandectarum f.
- - theoria & praxis Pandectarum 8.
- - usus practicus Institutionum 8.
- Fridr. *Menz* Aristippus philosophus Socraticus 4.
- Musens* de Hero & Leandro cum notis variorum 8.
- Io. Ge. *Pertsch* de crimine Simoniae 4.
- Io. Wilh. *Petersenii* Vranias 4.
- Proba Falconia* cento Virgilianus 8.
- Fridemann *Schneider* processus disputandi 8.
- Carolus *Sigonius* de antiquo iure populi Romani 8.
- Iacobi Caroli *Spener* de dativa tutela subvassallorum 4.
- - historia Germaniae universalis & pragmatica 8.
- - notitia Germaniae antiquae 4.
- - primitiae observationum historico feudalium 4.
- Zachar. *Conr.* ab *Uffeubach* bibliotheca Vffenbachiana MSS. 4.
- Vitae* iuris consultorum veterum Bernardini Rutilii, Jo. Bertrandi & Guil. Grotii. 4.
- Io. Ge. *Wagner* iuris naturalis & gentium liber elementarius 6.
- Iac. Gabr. *Wolffii* institutiones iurisprudentiae naturalis 8.

